MARCI VALERII
MARTIALIS
EPIGRAMMATA

M. V. MARTIALIS

EPIGRAMMATA

AD CODICES MSS.

OPTIMASQVE EDITIONES

RECENSITA

NOTISQVE VETERIBVS ET NOVIS

ILLVSTRATA.

VOLVMEN PRIMVM.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXXIII.

TYPOGRAPHI TAVRINENSIS

MONITVM.

Praefationem Martiali meo haud praemitto: satis namque praefatus est nuperrimus Editor Parisinus V. C. cuius editionem typis meis exscribendam suscepi. Monendi tamen sunt lectores, praetermissum esse in hac editione quidquid supervacuum visum est, variantes nempe lectiones quamplurimas, graecam Scaligeri versionem multorum epigrammatum, notas denique quae nullam vel minimam utilitatem legentibus afferre visae sunt. Hinc ex tribus iustae molis voluminibus duo tantum effecti sunt: quod omnibus gratum futurum puto.

PARISINI EDITORIS

PRAEFATIO

Ad optimorum codicum fidem emendatus, optimarum annotationum copia, quantum fieri potuit, illustratus, ac pertinaci explanatus diligentia, en denuo prodit in lucem epigrammatum summus artifex Martialis. Qui quidem tot et tantillis opusculis suis qualem et quantam sibi merito gloriam vindicare possit, neque hic disputabimus, et declarare supervacuum sine controversia foret, sed admonitos lectores volumus, e Latinorum poëtarum multitudine paucos admodum esse quos magis sit necessarium notis et interpretatione quasi perpetua explicari, ne legentium plurimos genuinus sensus aut tarde afficiat, aut omnino effugiat. Et illud quidem, si quis usquam eruditior simul, atque delicatior in iudicando vir, ille nobiscum fatebitur; sed id qua ratione esse possit, quidam forsitan rogent: neque enim iis vitiis Martialem laborare dixeris, quae suboscuros persaepe poëtas efficiunt; quippe qui neque obsoletas et antiquas et merito antiquatas, aut voces, aut loquendi formulas, ut Plautus, habeat; neque aut asper, aut audax, aut pressus nimis in construendo sit, quibus vix Aquinatem satyrographum, aut Horatium, aut sublimem Tacitum, miratores quemque sui, identidem absolverint; neque, ut Delphici et

Sibyllini Apollinis aemulator Persius, tenebras et caliginem versibus suis sponte circumdare moliatur.

Haec equidem vera nolim diffiteri: quanquam, quod obscuritatis causam non perspicias et assignes, ex eo non sequitur necessario inesse obscuritatem; neque, dum re vera immorabitur saepius et haesitabit qui legendum Martialem suscipiet, iure dixeris, nec immorandum unquam esse, nec haesitandum. Sed ne plura in irrito, eam causam facile reperire est, quae minus perspicuos Epigrammatarii nostri iocos saepe facit, dummodo sedulo excutias, et quale sit illi ingenii genus, et quibus ingenium illud suum applicare consueverit.

Nempe, ut facies et statura hominum, ita ingenium multiplex quoddam et varium est. At ne, in multiplices et prope innumeras, quod aiunt, specialitates si degredi acciderit, nihil iam secernatur, et evanescant praecipui χαρακτῆρες, duplex tantum ingenii genus distinguitur. Illud excelsum, et vastum, et sublime, « nil parvum aut humili modo, nil mortale » sonat; alterum argutum, subtile, vividum, lepidissimi acuminis, rapidissimae nequitiae plus habet. Illi placet regna et reges, magnifice gesta, magnas clades gravissima voce loqui; huic vero e summis in ima quasi desultatoria penna volitare, et sales spargere, et facetias, et iocos. Homerus et Tragici et Dithyrambicae poëseos princeps Pindarus illo claruere; hoc Σατυρογράφους et Comicos, hoc Aristophanem et Lucianum apud Graecos, in Italia Plautum et Martialem, commendavit.

At haec de quibus iocantur, qualia esse nunc putemus? Scilicet res vitae levissimas et minutissimas, ut civitatis ridiculi mores, vestium forma et color,

convivales apparatus, amatoriae nequitiae, religio, aedes, ludi, doli et id genus multa, quae vicibus perpetuis obnoxia, aut locorum mutatio subinde variaverit, aut brevissime temporum fuga e medio sustulerit. Ista vero quae circa res magnas versantur, affectus animi intimos movent et perpetuum movent, neque ulla saeculorum serie neque longinquarum solitudinum spatiis hebetanda. Sic et pueriliter expavescentem Astyanacta et Andromachen δακρυόεν γελάσασαν quum legimus, non minus facile intelligimus quam suaviter affecti miramur. Sic et vicissim amore, metu, aegritudine, ira nos Virgiliana Dido vehementer agit. Quid interest, an haec Carthagine et Troiae in moenibus evenerint? an viginti, an triginta abhinc effluxerint saecula? «Sunt lacrymae rerum, et mentem mortalia tangunt.» Spectant illa vere divina ad humanitatem totam, atque «humani nihil a te alienum putas.» Verum ista, quae supra memoravimus, num pertinent ad totam humanitatem? minime, sed in angulo perexiguo terrarum, sed in articulo temporis fluxo et cito transeunt: ibi, hodie intelligis, aut alio, aut cras dubitaturus; locum muta aut tempus, iam res minus in perspicuo erit. Ita, lib. I, epigr. XXIV, quum ait Martialis,

Mirabar quare numquam me, Colla, vocasses:
Iam scio me nudum displicuisse tibi.

nullus hic sensum ante attigerit, quin id doceatur, solitos nimirum esse promiscue in balneis viros et feminas lavari, et hic saepe, quum deposita veste totum corpus spectaretur et iusto aestimaretur, eligi a multis aut amasios, aut amicas. Item quum lib. IX, epigr. XXX, Philaenidi occinens, haec precatur a Diis Manibus,

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes;

cui nos perspectum fore credimus, quantum et lepidissimi salis et amarissimi fellis in ambiguo carmine sit, nisi formulam hanc loquendi *Sit tibi terra levis* bene norit? Porro in his quae exempli loco attulimus, illa duntaxat selegimus, quae circa res omnibus notas versabantur. Finge tamen tirunculo cuidam e scholis ignorari, licet ille apprime sciat quid omnes voces significent, et verborum ordinem rectum facile perspiciat, num intelliget? At in Martiale quam multa sunt, in quibus vel eruditissimi viri tirunculos sese fateantur? quot et quanta, in urbe tunc omnium vastissima et diversissima, mixta et contraria celebrabantur? quam pauca autem ex his ad nos usque et prope vicesimum saeculum pervasere? Vbi matutinae salutationes, deductiones, togatulorum anteambulationes, sportulae aut coenae rectae, et convivantium in eodem convivio avara distinctio? ubi balnea, thermae, porticus, donativa, annonarum divisiones, amphitheatra, circi, ludi, aurigarum factiones, mirmillones, belluae, pegmata, aulaea, fistulae quibus diffundebantur unguenta, et, portentosum spectaculorum genus, Scaevolarum, Porciarum et Pasiphaës repraesentatio? Vbi Isidos baiuli sacerdotes, Aricinae Dianae altaria, Bonae Deae sacri dies, Floralium et Saturnalium plus quam Suburrana licentia? ubi lecticae senatorum, currus meretricis, triumphantium imperatorum thensae, mortui tribulis sandapila? ubi denuo, nam etsi multa sigillatim nominavero, plura etiam me effugerint, ubi ista civitatis unius, viri unius *in cuncta terrarum* inaudita, ingens dominatio; qua manente necessarium erat,

ut urbem in unam tot confluerent populi, tot magistratus, tot ritus et mores, tot religiones, tot philosophantium sectae, et tam mira efflorescerct staturarum et corporum, ingeniorum, vestium, aedium, laborum diversitas? Quum ex iis nihil iam nos videamus, quis mirabitur, haud facile ea intelligi, quae istiusmodi res semper narrant, semper innuunt?

At nihil nobis ex iis deerat, quae laboribus nostris auxilium fere possent. Nam multi ante nos, et ii celebratissimi viri, his epigrammatibus vel quibusdam vel omnibus navarunt egregie operam; quos inter nominemus Raderum, Ramiresium, Farnabium, Gruterum, Gronovium, Calderinum, Musambertum, Schrevelium, Beverlandum et Anton. *de Rooy*: et praeterea, quod utilius forsitan saepe fuit, multi de Romanis antiquitatibus copiosissime et ex professo scripserunt. Haec quum abundarent, nihil iam, ut haud absurdum opus absolveretur, necesse erat, nisi improbus labor et pertinacia summa in eligendis et exscribendis notis, quod nos ad haec pro virili parte contulisse arbitramur et gloriamur. Proferatur ergo demum quid a nobis in nova hac editione praestitum sit:

1° Vitam Martialis, iudicium et testimonia de auctore et editionum notitiam literariam, ut mos noster est, praemisimus, cum dissertatione de metris Martialis et indice alphabetico epigrammatum indicante aut primas voces, aut lemmata; tum tertius declarat, quem numerum in diversis editionibus ea praeferant; quartus vero omnia illa in locos communes distribuit.

2° Textum ex optimis Manuscriptis omnibusque editionibus, etiam recentissimis, inter se collatis

diligenter recognitum emendavimus, veterem ὀρθο-γραφίαν respuentes. Tum Iulii Scaligeri μετάφρασιν graecam epigrammatum quorumdam contextui subiecimus.

3° Variantium lectionum fere omnium meminimus; sed de iis raro iudicavimus, quum saepius satis indicaret, aut quantitas syllabarum, aut sensus, quae bona, quae melior; rarius vero de iis disputatio nobis instituta fuit. (1)

4° Iis praecipue notis usi sumus, quas principio in edit. Gallic. ad usum Delphini publici iuris factas iuris sui Cl. *Valpy* fecit, quibus tamen et Variorum notas saepe, interdum nostras, adiunximus.

5° Monetarum, ponderum et mensurarum tabulas, a Doctissimo Viro LETRONNE accurate confectas, tabulas ad calcem primi voluminis dedimus; ad quas saepenumero recurrendum tibi est, dum Martialem legis.

6° Indicem addidimus copiosissimum, qualem nulla hucusque in editione reperire erat. Valpiano quidem in Martiale indicem habes omnium vocum quibus auctor usus est; sed perpetuum fere unica vox est, cuius locus indicatur. Nos duas, interdum tres voces ita iungimus, ut memoriae simul auxilium adveniat, et laboris minus in requirendo consumatur.

(1) Vid. Monitum nostrum. *Typ.*

AD

LECTORES.

EX EDITIONE TH. FARNABII.

Passenium Paulum, splendidum equitem Romanum, Elegos quos erudite scripserat recitaturum, atque incipientem dicere *Prisce iubes*, Iabolenus quidam Priscus qui aderat, Paulo quidem amicus, sed ipse dubiae sanitatis, interpellavit; *Ego vero*, inquiens, *non iubeo*. Oborto audientium risu, non dubium est quin Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulerit: atque hinc monet Plinius, providendum esse tam sollicite recitaturis,[1] non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant. Sanum profecto, mi Secunde, consilium: neque enim difficile erat vobis, qui coram paucis iisque delectis et amicis intra parietes vestros recitabatis, insanos amovere. Sed e publico hoc theatro quis praeco amovebit asperos hosce et austeros Xenocrates,[2] qui Gratiis non litarunt? quis designator e cuneis Patrum et Equitum excitabit istos plebeii et ἀφιλοκάλου ingenii [3] Marios, qui Musis sacra non fecerunt, nec facere

1. *Providendum*, etc. Plinius Sec. lib. VI, epist. 15.

2. *Asperos et austeros Xenocrates*. Plutarchus in Connub. Praecept. atque Diogenes Laërtius in libro IV.

3. *Plebeii... et ἀφιλοκάλου ingenii*. Vid. Plutarch. Vita Marii, et Val. Max. lib. II, cap. 1.

curant? quis mysta a Musarum sacris arcebit profanum hoc vulgus, imperitum iuxta atque arrogans, et hoc arrogantius quo imperitius? Alii namque, ut missos eos faciam, qui theatrum ingrediuntur tantum, ut exeant, seu aliorum praeiudicio, seu fiducia sui audiunt solum quod carpant, neque tam utuntur literis quam abutuntur, in verbi unius aut alterius calumnia malum struunt, quo Poëtas in invidiam vocent: tum denique se Platonas et Aristarchos rati, si alienae insultent laudi, utque ἄποδες aviculae ramos arborum,[1] sic illi humeros bonorum affectent, unde emineant. Alii, homines ignava opera atque servili sententia, δοξόσοφοι, pedarii iudices et ex aliorum ore penduli, illorum velificati auctoritati, subiudicant potius quam praeiudicant. Alii barba tenus docti, piceo graves pallio, ubi a rastris ad Rostra transcenderint, iamque ostrum somniare ausi, vacuum plus nimio verticem inter astra condiderint, Mercurio cum Philologia sua, quam quia ne primoribus quidem labiis praelibasse iis contigit, bona non dicunt verba, immo nuntium remittunt; Apollinem et Musas, quas quia illis ne a limine quidem salutasse datum est, eliminandos clamitant, et inscitiae *suae* praetexentes sanctimoniam, quum artes omnes humaniores, tum poëticam damnandam in totum, et, ut cum Sidonio loquar,[2] *ex asse* pronuntiant. Alii denique (ut in arenam meam descendam, et ad mei ordinis homulos, salva semper doctis et bene meritis reverentia, quos nemo mortalium magis colit quam ego, magis veneratur) non submittunt se Petronii arbitrio, qui generosioris Poëtae spiritum sanitatem

1. Αποδες *aviculae*, etc. Vid. Plin. Nat. Hist. lib. X, cap. 39, et lib. XI, cap. 47.

2. *Sidonio*, etc. Lib. III, ep. 14.

amare negat, neque enim concipere aut edere partum mentem posse, nisi ingenti flumine literarum inundante; neque[1] Senecae (pronuntiantis, non posse eum aliquid grandius ore mortali canere, nisi qui vulgata et solita contempsit, instinctuque sacro surrexit altior) auctoritate adduci possunt, ut maiorum gentium versent Poëtas; sed suos, ut eiusdem Arbitri verbis utar, ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriore verborum ambitu intexuit, putant continuo in Heliconem venisse: et quidni venerint? quando ipsis paedagogulis *Fauste precor gelida* sonet altius quam *Arma virumque cano*, et Elegiaci omnes sordeant, si conferantur cum *Qui mihi discipulus*. Sed unde haec, quaeso, vestra gravitas tanta, sapientia, et sanctitas, immo pigritia, arrogantia, et sinisteritas? Poëtae, quod praetenditis, obscuri sunt. Sed videte, ne hoc vitium a vobis sit, qui non assidua lectione redditis eos magis familiares. Quin et commentatores satis luculenti facem praeferunt; quorum taedium si vel delicati ferre non potestis, vel ad graviora forte studia properatis potius quam maturatis, en vobis sensus medullam notae admarginales praestant. Sed inutilis est, ut causamini, eorum lectio; et, quod dixit Zeno,[2] ad perceptionem disciplinarum nihil alienius Poëtica. Vobis, quae non legitis, an exspectatis usui esse posse? Discite quid dicere Plinius solitus sit, referente nepote suo:[3] Nullum esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset. Ac ne virtutes et utilitates Poëticae cogar in hoc transcursu licentioris quam in-

1. *Senecae*, etc. De Tranquillitate animi, cap. 15.

2. *Zeno*, etc. Diog. Laertius de Vitis Philos. lib. VII.

3. *Referente nepote suo*. Plin. Caecil. Min. Liber III, ep. 5.

stitueram praefationis recensere, D. Augustino vobis auctore, colligite quaecumque ab Ethnicis scripta sunt, et in usum vestrum vindicata, possessoribus illis iniustis erepta. At ex Poëtis plerique, dum tetrica volunt amoenare, verborum nuditate atque rerum obscoenitate aurium reverentiam incestant, animi mores corrumpunt. Nolite, quaeso, loqui perinde ac si in Platonis Republica, aut cum perfectis hominibus viveretur: quasi vero detur sincerum aliquid, sine mali admistione purum, et ab omni terrena faece quasi divino igne excoctum. Profert, habetis enim fatentem reum, haec Aegyptus noxia multa, et multa salubria cultori medicamenta;[1] habet haec Attica, ut mel optimum, ita cicutam letalem; et in amoeno hoc prato urticis saepe violae, spinis rosae internascuntur. Vos apum more omnia lustrate, optima libate. Neque enim, si quis ingenio bono male utatur, velitque per curiositatem esse ingeniose nequam, culpam in alium quam in se conferat. Laudato sane utilique exemplo castigant hodie castrantque nequiores Poëtas, uti et hunc Nostrum M. Raderus; quod et mihi in animo erat. Verum, partim, ne arguerer difficilia, et quae Delio aliquo notatore ac interprete qui sphingem acceperit opus habent, sub praetextu obscoenitatis omisisse; partim, amicorum id ad me efflagitantium precibus victus, Poëtam integrum[2] edidi. Quoniam autem

1. *Aegyptus*, etc. Vid. Plutarchus de audiendis Poëtis ex Hom. Od. Δ.

2. Ita et nos quamvis diu reluctantes et inviti plurima nefandarum imaginum monstra interpretari horruerimus: sed iam in praefatione nostri Iuvenalis, pag. IX et seq. crimen hoc confessi cum optimis editoribus commune suscepimus. Videas, si nobis non defendentibus ignoscere volueris, quomodo ibi conditionem nostram in tam lubrico et difficili

castum, ipsius Catulli[1] iudicio, *esse decet pium Poëtam*, interpretem multo magis esse oportere iudicavi, neque oleum flammae addere, neque Veneris urticas, *οὔτε τὰς ἐκ τῶν βιβλίων ἀκάνθας ἐκλέγειν, ἀλλὰ τὰ χρησιμώτατα καὶ ἀκοῆς ἄξια*,[2] consulte epigrammata obscoeniora silentio praetervexi,[3] quae alium malo quam me explicare, alium intelligere: quorum quidem lemmata obelo in priore editione transfixi, quo vada haec caecosque scopulos cautius declinaret lector; non digitum ad lupanar intendi, qua me calumnia in circulo suo Graeculo nescio quem agyrtam non puduit perstringere. Horruit mihi animus aperire sentinam, aut movere cloacam: neque enim volui hos esse Philaenidis commentarios spurcidicos, Sotadicos, Lampsacenos, Cinaedipolitanos, Ramiresianos. Illis itaque praetermissis ac suppressis, ea maxime explicare atque exornare curae pretium duxi, quae sublimia, acuta, mellis, leporis, piperataeque facundiae[4] plena, in quibus ferventis fulmen ingenii et salva dominatur libertas. Denique, ne proloquii amplitudo angustias regulares et ipsius Myndi modulum excrescat; quoniam, ut ait[5] Plinius, Benignum est et plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, obnoxii contra animi et infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere; quia in tam arctati operis instituto, in quo brevitati, quantam tamen ferat elucidationis

momento exposuerimus. Non alia est in edendo Martiale integro, quam in Iuvenale culpa: non alia erit excusatio. Ed. P.

1. *Catulli*, etc. Epigr. xvi.

2. Οὔτε τὰς ἐκ τῶν, etc. Vlpianus apud Athenaeum, lib. XV, cap. 3.

3. *Silentio praetervexi*, etc. Τῷ ἀποσιωπῆσαι δῆλος γινόμενος δυσχεραίνων τῷ λόγῳ Epict. Enchir. cap. 55.

4. *Piperataeque*, etc. Sidonius Apoll. lib. V, epist. 8.

5. *Plinius*, etc. Epist. ad Nat. Historiam.

necessitas, studui, non datur ubique illud profiteri, hic agnosco me secutum editionem Clarissimi Viri Petri Scriverii; consuluisse MS. unum venerandae antiquitatis et fidei bonae, in bibliotheca Bodleiana, ut et alios duos MSS. Oxonienses; usum fuisse ope commentatorum quotquot exstant omnium, in consilium adhibuisse Petri Scriverii animadversiones, Gruteri notas, Facem artium, et Criticos alios, Anthologiam diligenter contulisse, Historicos insuper omnes et auctores Nostro συγχρόνους relegisse, quos ad Poëtam intelligendum facere iudicavi, quorum alios cito quandoque testes, ad alios lectorem saepe brevitatis studio relego: neque sic tamen mihi ubivis fecisse satis, neque aliis. Ita plane deplorata iacet spes gratiae, aut etiam veniae apud iniquiores impetrandae. Sed gratuita usque fruantur malitia. Ego neque ἀντιλακτίζων [1] Isidis baiulos μεγάλα λακτίζοντας καὶ ἐπὶ ὄνου ἔργῳ μεγαφρονοῦντας, [2] neque crura suffringens canibus, qui si non latrant, hirriunt tamen, [3] neque armata elidens manu anseres, [4] rabioso stridore in me impetum facientes, dum alius mihi tunicam lacerat, alius vincula calceamentorum resolvit, alius crus meum serrato vexat morsu: in scientia, iudicio, et candore eruditorum et cordatorum securus acquiesco:

τί με ὦ κάτω ἕλκετ' ἄμουσοι;
Οὐχ ὑμῖν ἐπόνουν, τοῖς δέ μ' ἐπισταμένοις.
Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος, τρισμύριοι· οἱ δ' ἀνάριθμοι,
Οὐδείς. [5]

1. Αντιλακτίζων. Plutarch. de Socrate, lib. de Educat. Puer.

2. Μεγάλα, etc. Arriani Epict. l. III, cap. 14.

3. *Crura*, etc. Cicero pro Roscio Amer.

4. *Armata*, etc. Petronius Arb. sub fine Satyrae.

5. Τί με ὦ κάτω... ἀνάριθμοι Οὐδείς Diog. Laërt. Epigramm. in lib. Heracl. Anthol. lib. III, cap. 33 — Quod traducere est: « Quid, o Musarum inimici, me deprimitis? non vobis laboro, at iis qui me norunt: vir unus mihi, multorum loco est; innumeri, quasi nullus. »

M. VAL. MARTIALIS

VITA,

EX IPSO MARTIALE POTISSIMVM DEPROMPTA,

AVCTORE

MATTH. RADERO.

M. Val. Martialis, patre Frontone, matre Flaccilla, Bilbili in Celtiberia, Claudii Imper. anno praeterpropter primo, Christi XLIII, quamquam hoc ex coniectura magis quam ἀποδείξει, natus, Calagurritanus fuit alumnus, quam obscurus maiorum natalibus, tam clarus ingenii monumentis. De nominibus Poëtae constat ex omnium codicum fide, qui M. Valerium Martialem praeferunt: quae, num ipse sibi adsciverit, an a parentibus acceperit, in medio relinquo; quamquam Marci et Valerii Romana nomina Romae primum assumpta iudico. Civem enim Romanum fuisse nullus dubito, quum aliis ipse civitatem impetrarit, ut lib. III, epigr. 95, gloriatur in Naevolum:

> Quot mihi Caesareo facti sunt munere cives,
> Nec famulos totidem suspicor esse tibi:

nec factum, sed natum; alioqui patronum suum carmine laudasset. Facilis vero erat tum aditus ad ius civitatis, quod Claudius tam vile fecerat, ut vitreis fractis vulgo diceretur emi. Otho vero peregrinis etiam donavit, ut Dio in Claudio et Othone testatum reliquit. Bilbilis colonia Augusta dicta est, ut ipse scribit lib. X, epigr. 103:

> Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri
> Monte creat:

et exstat in Tiberii Imp. aereo nummo, AVGVSTA BILBILIS. Ve-

spasianus autem, Plinio teste III, 3, universae Hispaniae ius Latii dedit; civitatem postea Caracallus. Marci ergo et Valerii nomina, more civium Romanorum, qui praenomen, nomen, cognomen ferebant, sibi Poëta legit, arbitratu reor suo. Marci forte et Martialis, quod mense Martis esset editus; illi enim Marci, ut Veteres tradunt, vocabantur. Valerii nomen, vel a Moecenate suo aliquo Valerio, vel Valerio Flacco familiari poëta, vel forte ob memoriam Catulli, quem est imitatus, qui et ipse Valerius audivit, sibi sumpsit: nec enim a maioribus acceptum arbitror, etsi non ignoro, nomina novis civibus assumpta ab iis, quorum beneficio civitatem impetrassent, sua vero pro cognominibus servata. Quod lib. I de Bello Gallico Caesar ostendit, quum ait; « Commodissimum visum est, M. Valerium Procillum, Caii Valerii Caburri filium, cuius pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere. Et Cicero ad Acilium, « Cum Demetrio Mega mihi vetus hospitium est: ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur ». Idem ad eumdem Acilium: « C. Avianium Philoxenum Caesar meo beneficio in Novocomenses retulit, nomen autem Avianii consequutus est, quod homine nullo plus usus est, quam Flacco Avianio meo familiarissimo. » Item in Verrem: « Q. Lutatius Diodorus beneficio. Q. Catuli a Sylla civis Romanus factus, eademque ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli civis factus, Q. Caecilius Dio est appellatus. » Sub imperatoribus, quum Romana civitas integris provinciis daretur, hi, qui civitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris praenomen et nomen, vel eius, aut eorum, quorum praecipue subsidio civitatem impetrassent, nomina ferebant. Verum quum Antonius Caracallus Imperator constitutionem edidisset, quae l. I Digestorum sub titulo de statu hominum refertur, qua omnes eos, qui in urbe Romana essent, cives esse voluit; tum pro cuiuscunque arbitrio nomina sumpta, aut nobilissimarum familiarum, quae iam defecerant, aut nova excogitata, vetere vocandi consuetudine, quae ad ea usque tempora parum certe violata perduraverat, paulatim postea labante. Quae praecipua causa fuit (quod portento simile est) ut post Caracalli tempora, intra paucissimos annos horum nominum usus, per mille annos conservatus, omnino dissipatus, et in nova vocabula transformatus. Nam nulla deinceps nominis, praenominis, vel cognominis distinctio observata est, sed omnia in foedissimam barbariem versa antiquitatis cognitionem omni ex parte perdiderunt. Haec Panvinius de antiquis nominibus Romanorum.

Consule et Sigonium et Vrsinum de nominibus et familiis Romanorum, Volaterranum Anthropol. Martialem (quamvis et hoc Romanum) a parentibus nuncupatum, sive a kal. Martiis, quibus est editus, sive maiorum arbitratu ob Martis cultum et memoriam censeo. Martiales porro nostro poëtae fere aequales plures lego apud scriptores. Est apud Lampridium Gargilius Martialis, paulo tamen nostro Martiale minor. Celebrat Tacitus Cornelium Martialem primipilarem. Laudat noster Martialis Iulium Martialem familiarem suum. Vixit eodem fere aevo S. Martialis, Gallorum mystagogus, Lemovicensis pontifex, scriptis primum suis nobilitatus, dein etiam sanguine pro Christi nomine profuso purpuratus. Notus est et ille Martialis apud Herodianum, lib. IV, Caracalli percussor. De kalendis Martiis Poëtae natalitiis ita X, 24, Martialis ipse canit,

Natales mihi Martiae Kalendae,
Lux formosior omnibus Kalendis.

et lib. eodem, epigr. XCII:

Martem mearum principem Kalendarum.

Coquus audit apud Lampridium in Alexandro Severo: « Vt Martialis coqui, *inquit*, epigramma significat, quod contra quamdam Gelliam scripsit huiusmodi: Quum leporem mittis. » Coquum item appellat Ioannes Sarisberiensis, lib. VIII, Polycrat. cap. 6 et 13, et auctor Sophologii, VII, 12, praeter alios quosdam, qui vitam Martialis conscripserunt. Quod nomen an gentilitium sit, an posthumum et hominum studio inditum, non decerno. Sunt qui censeant a conviviis, quae frequenter celebrat, Xeniis, Apophoretisque hoc illi nomen conditum: alii re ipsa coquum egisse principio existimant. Titius, VII, 21. A maioribus adhaesisse illi potius existimem, seu parens coquus ab artificio audiit, seu a maioribus accepit. Ob tam pauca epigrammata, quibus convivia celebrat, nomenclaturam hanc indeptum esse non est vero simile. Ex hodiernis scriptoribus Casaubonus, Rob. Titius, Claudius, Musambertius seu Marcilius, iterum coquum indigitant: alii negant; natumque errorem hunc ex corrupto Lampridii codice, coniiciunt, quem ita legunt: *ut Martialis coce*, pro *quoque*. Sic enim prisce scribebatur: unde *coci* seu *coqui* vox derivata ac depravata. Meursius de gloria, Claverius in vita Persii, Ramiresius ad prim. epigr. Spect. Sed ego codicem illum antiquum Lampridii optarem inspicere, et in rem praesentem venire. Quid enim? in hac sola voce errarunt librarii, in caeteris emendate scripserunt?

Aliud est, quod me movet, ut eam scripturam ita legendam putem, quod ipse sententiae ordo desideret *quoque*. Sic enim Lampridius: « Idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos, qui leporem comederint, ut Martialis quoque epigramma significat. » Cognoscis, lector, quam opportune cadat hic illud *quoque?* Scripturam ergo priscam confirmat ipsa series et mens verborum. Etsi non necessario legas *quoque* (constat enim sensus nihilominus integer et perfectus, si legas *coqui*), mens tamen inclinat in *quoque*. Multa enim Scriverius super voce *coqui* ad epist. libro I praefixam, et Barthius, VI, 1, qui coquum appellat, et super ea re disputat copiosius. Est quum κατ' ἀντονομασίαν epigrammatarius, ut Homerus vel Virgilius poëta, Demosthenes vel Cicero orator, philosophus Aristoteles, dicitur. Parentum nomina, nisi filius cantasset, oblivione sepulta iacerent: immortalia reddidit lib. V, epigr. XXXIV:

> Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla, puellam.

Parentem tamen affirmant aliqui *coquum* dictum lectumque. Vxorem habuit Clodiam Marcellam ex gente Claudia plebeia, lib. XII, XXI:

> Municipem rigidi quis te, Marcella, Salonis,
> Et genitam nostris quis putet esse locis?

et mox:

> Te cito ridebit peregrinus Clodia partus,
> Romanam ducat quam magis esse nurum.

Ita distichon hoc legit Iosephus Scaliger ad illud Catullianum, carm. LX, 219:

> Dulce rideat ad patrem.

Ex Martiale tamen discis, Clodiam hanc Marcellam non Romanam, sed Hispanam et Bilbilitanam patria fuisse; ut merito dubitare possis, an ex gente Claudia Romana fuerit haec Marcella: versum ergo Martialis rectius scripserim, ut ante habuit:

> Nec cito ridebit peregrini gloria partus.

In patria laudanda tam diligens et frequens est, ut illius amantissimum facile intelligas; I, LXII:

> Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
> Nec me tacebit Bilbilis.

Lib. eodem, epigr. LI

> Vir Celtiberis non tacende gentibus,
> Nostraeque laus Hispaniae,
> Videbis altam, Liciniane, Bilbilin;
> Equis et armis nobilem.

Lib. X, CIII:

> Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis aeri
> Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis;
> Ecquid laeta iuvat vestri vos gloria vatis?
> Nam decus et nomen, famaque vestra sumus.

Et mox in sequenti:

> Illinc te rota tollet, et citatus
> Altam Bilbilin, et tuum Salonem
> Quinto forsitan essedo videbis.

Lib. XII, XVIII:

> Me multos repetita post Decembres
> Accepit mea rusticumque fecit
> Auro Bilbilis et superba ferro.

Sed de patria Martialis et de hac Bilbili plura I, L. Romam venit, quum annum ageret alterum et vicesimum, Nerone imperante: egit in urbe annos quinque supra triginta: discessit septimo et quinquagesimo. Quod ipse me docet Poëta, quum XII, XXXI, de hortis Marcellae uxoris ita canit:

> Munera sunt dominae post septima lustra reverso.

Lib. vero X, CIV, a patria se triginta quatuor annos abfuisse adhuc in Vrbe degens scripsit. Porro X, XXIV, de suis kalendis, monet se quinquagesimum septimum annum attigisse:

> Quinquagesima liba septimamque
> Vestris addimus hanc focis acerram.

Ex quibus concludo, Poëtam sub Nerone, Galba, Othone, Vitellio, Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva, Traiano, Romae vixisse, quum, ut plane sentio, sub primum Traiani annum, quod ab eo negligeretur, in patriam redierit, ibique post quadriennium, summum quinquennium exactum, ultimum vitae diem clauserit, ita ut ἑξηκονταετὴς fere obierit, aut annum ultra vitam prorogarit. Obiit ergo anno post C. N. CIV, aut CV, Traiani quarto aut quinto, Sura et Serviano iterum Coss. Olymp. CCXX, a. 2, post V. C. DCCCLIV. Romae Domitiano, immo et Tito carus gratusque fuit, magnisque honoribus et donis ab

utroque ornatus; iure nempe trium liberorum, quod solus Imperator conferebat, maximaeque argumentum gratiae erat. De quo Plinius minor, Tacitus, Lipsius, alii, et nos suo loco. Gloriatur de hoc munere Poëta III, xcv:

Praemia laudato tribuit mihi Caesar uterque,
Natorumque dedit iura paterna trium.

Et IX, xcviii:

Rumpitur invidia, tribuit quod Caesar uterque
Ius mihi natorum, rumpitur invidia.

Et II, xcii:

Natorum mihi ius trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat. Valebis, uxor.
Non debet Domini perire munus.

Creatus est tribunus, quod III, xcv, iactat:

Est et in hoc aliquid: vidit me Roma tribunum.

Ornatus est equestri dignitate; ibidem:

Et sedeo, qua te suscitat Oceanus:

hoc est, specto in theatris ludos inter equites. Praedicat eamdem V, xiii:

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques.

Auctus est donis in urbe et ruri. Domicilium sibi assignatum in urbe, et rus suburbanum docet IX, xcviii:

Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe est,
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.

Et X, lviii:

Dum suburbani dum iugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, lares.

Item VIII, lxi:

Sed quod sub urbe rus habemus aestivum,
Vehimurque mulis, non, ut ante, conductis.

Praedium Nomentanum pluribus versiculis nobilitat, IV, xliii; VII, xciii; X, xlviii et xciv; XIII, cxix.

Italiae quoque partem eam obiit Poëta, quam olim Aemiliam, seu togatam Galliam dixere, nunc Lombardia cis Padum nuncupatur, ibique nobilissimas urbes lustravit: Forum Cor-

nelii seu Imolam, unde tertium epigrammatum librum emisit, ut III, I et IV scribit:

Hoc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia, Romanae nomine dicta togae:

Et:

Si, quibus in terris, quâ simus in urbe rogabit,
Corneli referas me licet esse foro;

Ravennam item, olim caput Piceni, ut vetus docet inscriptio; et in Venetorum agro Altinum, uti et Patavium et Aquileiam etc. Aquileiam Fori Iulii primariam urbem; quae civitates adeo Poëtae arrisere, ut constituerit extremam illis aetatem consecrare: sic enim IV, XXIV, testatur:

......vos eritis nostrae, requiesque senectae,
Si iuris fuerint otia nostra sui.

Amicis usus est, praeter Caesares, claris, et potentibus, et multis: Stertinio, quem Avitum vocat, Deciano, Liciniano, Stella, Nepote, Lupo, Plinio iuniore, Cornelio Prisco, Iulio, Martiale, Regulo oratore, Quintiliano, Quinto, Ovidio, Iuvenale, Valerio Flacco, Silio, Parthenio tyrannoctono, aliisque compluribus, quos passim in suis libris aeternis ornat elogiis. De Statio mirantur aliqui, quum eodem tempore vixerint, idem saepe argumentum tractarint, eosdem amicos coluerint, cur nulla amicitiae nota inter hos exstet. An quod nulla singularis inter eos necessitudo et usus vitae intercesserit? an occulta aliqua dissensio? an ingeniorum studia, mores, naturae diversae? an quod Statius celer, et saepe extemporalis prope poëta, ut ex Silvarum praefationibus discis, subito gratularetur vel Principi, quum aliquid novi vel accidit, vel conditum est, quod non videtur potuisse Martialis, aut voluisse? Quod ipsum reor fuit, cur nullus familiaritatis index aut symbolum, aut contesseratio apud scriptores reperiatur. Librarium puerum habuit, Afrum Demetrium, quem moriturum, sero nimis, libertate donavit, de quo I, CI:

Illa manus quondam studiorum fida meorum,
Et felix domino, notaque Caesaribus.

Gravi morbo semel duntaxat, dum Romae vixit, tentatus est, VIII, XXV:

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Aegrum me male: saepe te videbo.

Lib. VI, LVIII, se iam prope conclamatum ait:

O quam paene tibi Stygias ego raptus ad undas,
Elysiae vidi nubila fusca plagae!

Domitiano sublato, Parthenio Maecenate amico aulico a militibus interfecto, quum apud Nervam parum, apud Traianum nihil posset, rerum urbanarum taedio affectus, urgentibus iam taedio et fatis, patriam repetivit, in eaque, confecto per triennium libro duodecimo, naturae concessit: neque enim tam gratam et suavem vitam, quam in patria speravit, invenit; immo aemulorum municipum dente laceratus assidue; ex aegritudine, credo, animi morbum concepit, et periit. Nam paullo post, eius mortem Plinius eleganti ad Priscum epistola deploravit, simulque velut funebria persolvit. Forma oris et voce virili fuit, piloso et hirsuto corpore, ut illa gens plerumque solet. Hoc Poëta ostendit, quum X, LXV, Carmenionem carpit, seque ipsum depingit:

Hispanis ego contumax capillis,
Hirsutis ego cruribus genisque.
Os blaesum tibi, debilisque lingua est:
Nobis filia fortius loquetur.

Scripserunt eamdem Martialis vitam Calderinus, Sipontinus, Georgius Alexandrinus, Petrus Crinitus, et alii hos sequuti. Nos ex ipso Martiale Martialem voluimus depingere. Hoc mantissae loco addamus, quibusdam Martialem visum esse prope Christianum. Accipe ex periphrasi secunda Iuvenalis Claverii verba: « Scitum est vero, Martialem non invisum esse Christianis; nam Pudentem et Claudiam, par nobile ac beato Paullo iucundissimum, plurimis in caelum laudibus effert. Ac paene auguror, tremulum quemdam Solis aeterni radiusculum isti poëtae tandem affulsisse: licet plura eius vel priora in lasciviam vergant, ut hodie multis christianis contigit ». Ego tamen nondum inducor, ut hoc ad animum admittam, nisi mihi sanctior et certior testis tabulas alias exhibeat, quod hic, quem adduxi, tam idoneus et sanctus videatur, quam ipse Martialis est. Pudens autem ille et Claudia, quos S. Paullus salvere iubet, non videntur ii, quos Martialis celebrat. Fuit enim A. Pudens Martialis, centurio profanus et Encolpo puero transcriptus, non philosophus. Praeterea multo illis hi iuniores, de quibus IV, XIII, plenius. Pudens hospes S. Petri ordinis iam tum senatorii, non centurio. Fabulis ergo gemina, quae narrant Britannicae antiquitates, a nuperis scriptoribus concinnatae.

DE M. VAL. MARTIALIS
INGENIO ET OPERIBVS
DISSERTATIO.

Nemini sane ex iis qui rei literariae primitias vel extremis labris delibarunt, Martialis aut nomen, aut scripta ignorantur; sed paucos admodum esse reor, qui festivissimi poëtae libellos sedulo evolverint, et ex istis pauciores qui probent et libenter repetant. Videmus tamen quibusdam et veterum et recentiorum frequentissime Bilbilici nostri et numeros et sales non modo non displicuisse, sed in pretio, sed in deliciis propemodum fuisse. Quod ut haec legentibus approbem, non ipsius Martialis testimonia arripiam: quem enim usquam invenies, etsi simplicem alioqui et candidum virum, sui iustum aestimatorem? quis praesertim, si calamum, si lyram vel uno digito attigerit, nec naeniolis suis favet, nec ingenii sibi et gloriae plus aliquantulum auspicatur quam aut assequutus, aut assequuturus est? At in promptu antiquorum bene multa testimonia sunt. Nam Martialem ab acumine ingenii et dicacitate laudat Plinius minor (1), acutissimus ipse et dicacissimus scriptor, qui epistolarum suarum libris, floridus semper, elegantiae et argutiae, si non nimis, certe abunde satis sparsit. Item, referente Spartiano (2), traditum memoriae est, eo usque delectatum Aelium Verum imperatorem unici epigrammatarii versiculis, ut eum rure, domi, in viis, in castris, sub pulvinari, quasi manuale quoddam, Epicteteo sane iocosius, circumferret: porro etsi aliquando aliquis iure suo id effuderit,

(1) Plinii Caecil. lib. III, epist. ultima.
(2) Corpus Histor. August. in Ael. Ver. Caes.

Auriculas asini Mida rex habet, (1)

haud immerito nos cum alio, et eo minus tetrico, satyrographo, reponemus:

Principibus placuisse viris non ultima laus est. (2)

C. Sollium Sidonium Apollinarem praeterea utriusque sententiae suffragari non silendum, qui, ut parum numerosus et fluens in scribendo, ita in iudicando accuratus et sagax, Martialem iis annumerat quibus Hispania maxime gloriabatur (3): protulerat tamen Lucanum et duos Senecas Hispania, qui iisdem fere temporibus eloquentiae simul et carminum principes habebantur, et Italiae ipsis in penetralibus, patrio ingenio fideles, Ibericum ingenium, Ibericam vim poëseos, et quasi Ibericam literarum officinam exhibebant. Haec quidem olim et ante iactata quam a Barbaris Caesareum imperium velleretur,

Incolumi Iove et urbe Roma, (4)

vigescente etiamnum Latina lingua, et fere ab aequalibus. Vbi autem post aetates multas denuo artes ac literae e sepulcris suis emersere in lucem, par honos, par amor, par admiratio Martialem circumfusa est, neque laudatores, annotatores et interpretes ei magis defuere quam Tullio et Maroni. (Vid. ad huius dissertationis calcem testimonia veterum et recentiorum.) At nos utrius in sententiam ibimus? Illiusne, cui Bilbilici omnia aut certe pleraque placet,

Nocturna versare manu, versare diurna, (5)

an illius qui nihil ferme se reperire affirmat in libellis quindecim nisi inepte et inurbane dicta, sordes et facetias inficetas? Antequam de his statuamus, liceat causas aperire quae istiusmodi Aristarchis stomachum movent ac fastidium.

Iuvenem aliquem tibi finge ex oppidulo quolibet, aut villula, ubi Parisinarum rerum nescii sint, Lutetiam modo advenisse, et ingresso forte fortuna thermopolium e varia τετραπτύχων ἐφημερίδων congerie eas potissimum dari quibus ludicra tantum et nugatoria, literae, artes, spectacula, mores et cultus lacessuntur, ut quae *Daemonem* (6) *claudum* sese, aut *Piratam*, (7) aut *Pan-*

(1) Pers. sat. I, vs. 121.
(2) Horat. epist. I, 17, vs. 35.
(3) Sidon. Apollin. in carmin. IX et XXIII.
(4) Horat. lib. III, od. v, stroph. 3, vs. ultim.
(5) Haec fere Horat. Art. Poët. vs. 269, sed pro *versare*, ipse scripsit *versate*.
(6) *Le Diable boiteux.*
(7) *Le Corsaire.*

doram (1) appellari voluere. Omnium certe scriptores acumina et iocos, elegantiam et sales aliquando inveniunt, perpetuum venantur; omnium scriptores

....captant risus hominum famamque dicacis, (2)

quid in causa tamen est cur adolescentulus noster, quem illiteratum non dicimus, dum legit, relegit, perlegit, neque rideat, neque ullo modo ut lepide ii cavillentur, ut callide adulentur, ut commode in ambigua voce ioculentur, assequi possit?

En opusculi anonymi, verbi gratia, editio princeps nuntiatur et commendatur, atque solenni elogio ea peroratio est: «Neque laudibus nostris diffidendum; Eremitis Cacodaemones minime favemus.» Id noster aenigma esse arbitratur, nec facile sine Oedipi alicuius auxilio nodum solvet; quippe quem fugit tribui opus scriptori, qui aliis in libellis olim Eremitam se dixerit.

Inde arripiunt Aristarchi nostri Italicum Orphea, et de eo scommata scommatibus continuant, modo hortantes, «linquat famae turbam, saltem unam, qua ipsius nomen et laudes posteris tradat», modo «tympanis parcat audientium et suis.» Num vides ad haec hiantem et caligantem iuvenem? neque enim ille novit percelebri viro nimium forsan placere ruptum, scissum a tympanis et tubis, melos; neque perspicit ambiguum sensum in clausula, dum et aures et instrumenta musica designat illud *tympanis audientium et suis.*

Quid quum illi optimam mimam laudantes, Gallici vatis lepidissimum distichum excitant, cuius hic sensus:

Huic ea vis, ea vox, ea meus quae plaudere vulgus
Imperat; huic Veneris facies, lepor atque iuventus....
Casmiriisque caret! (3)

Nobis quidem continuo patet ultima haec verba idem sonare ac si diceres, «Pudica est», «Proba est»; nos enim scimus id pervulgatum apud improbae linguae nugatores, donari amicas solas ab amantibus viris mamillari Casmiriano; ita ut συνώνυμον iam Mamillare Casmirianum habeatur Adulteri et Moechi. At quod nos apprime scimus, ille ignorat, neque ergo probe iocosum carmen intelligit quod circa id axiomatis genus versatur.

(1) *La Pandore.*
(2) Horat. Sat. I, 4, vs. 83; *captat*, non *captant* est in textu.
(3) Elle a ces grands talents que le public admire,
De la beauté, vingt ans... et pas un cachemire!
Casimir Delavigne.
(*Les Comédiens.* Act. I.)

Minime iam necessarium puto his exemplis nova subiungi : nam liquet satis, quod in his legendis modo accidit, fore ut usque et usque dehinc renovetur, et caecutiturum iuvenem in istiusmodi nugis, donec usu, contuberniis variis, ambulationibus tandem doceatur, quae advenam haud callere forsan licuit, sed incolam didicisse oportuit.

Nonne enim, quaeso, rusticitas et barbaries est in urbe omnium vanissima, mobilissima et levissimarum rerum, quod levissimae sunt, amantissima, nescire, tum theatrorum omnium nomina et locos et fabulas, histrionumque saltatricumque vultus, dotes, aetatem, rixas, tum aedes regias, templa, thermopolia, balnea, vias, compita, celeberrimos et famosissimos locos, atque imprimis mores, cultus, studia et oblectamenta, quarum rerum mira late efflorescit varietas? Quod si homines a Lutetia nostra non procul degentes haec fere omnia praetereunt, num haec callebunt, qui Thamesim aut Tagum potant, qui Neapolim aut Petropolim colunt? quamquam hic saltem proceres videas nostri simios et *Gallicizantes*. Si nos hodie hodierna latent, num post annos mille, num post mille et septingentos vigebunt illa in hominum omnium memoria?

Revolvamur nunc ad Martialem nostrum. Ab eo distamus et locis simul et temporibus. Quot casus, quot strages, quot humanarum rerum subitae mutationes in orbe terrarum! quarum tamen gravitas Italiae praecipue incubuit. Vt enim de amissa omnium potestate conticescam, incolae, principes, reipublicae forma, Ethnica religio, mores ubi sunt? et quae horum locum occupavere? Atqui de iis solum loquebatur Martialis quae magis fluxa et variationi obnoxia. Quid, quum ea illa etiam quae aeternum mansura, quae temporum fugae reluctatura videbantur,

Imperium sine fine, (1)

et

.... Capitolium
Scandens cum tacita virgine pontifex, (2)

cecidere. Nec tamen quum viveret ipse et scriberet, in Allobrogum semibarbaris vicis, nec in urbibus aut in Britannorum Getarumve pruinosis sylvis, quamvis hic etiam legi gloriaretur, (3)

(1) Virgil. Aeneid. lib. I, vs. 283. (2) Horat. lib. III, od. xxx, vs. 8.
(3) Martial. lib. VII, epigr. LXXXVIII, vs. 1 sqq. et lib. XI, epigr.

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas;
Me legit omnis ibi senior, etc.
... Meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur et nostros cantare Britannia versus.

eum facile assequebantur; tralucebat limpidissimi vatis genuinus sensus, non explendescebat; et arridebant tantum agrestes viri ad haec, quae urbanos cogebant ut cachinnarentur. Ita nos post tot elapsas aetates, quum volumen nugatorium lacessimus, modice recreamur, et aculeatum quoddam in eo scriptore vix agnoscimus, cui ab aequalibus, cui ab aemulis vis maxima ingenii et suavissimus lepos concedebatur. Quae quum ita essent, arripuit quidem calamum annotatorum satis magna copia, et, officio suo perfuncta, notas, notulas et id genus bene multa

> ....summi plena iam margine libri
> Scripsit, et in tergo, necdum finivit, (1)

si quidquid subobscurum illustratura est, si quidquid in ancipiti explicatura. Nec tamen multum profecit immensus labor: tenebras quidem discussere, sed periit gratia omnis ac lepos; haud secus ac si quis Indorum tenuissimis holosericis clavos trabales affixerit. Scilicet duo sunt, quae eveniunt ut plurimum in legendo, nempe scriptoris mentem omnem assequi, dein vel iucunde vel iniucunde affici, quanquam sane aliquando neutram in partem inclinat affectus: porro, si quis vel bene vel male afficitur, ille sensum percepit; at qui percepit, non semper is afficitur. Fingito ergo nunc sensum nec patuisse mihi, ergo nec placuisse, et hunc explicato: patet ille quidem, non placet; lucem fecisti, non voluptatem: rem acu tetigi, rem et acum proiicio, hoc est, et auctorem et annotatorem linquo. Liceat mihi, o docti viri, pace vestra βλασφημίζειν; inest commentariis vestris asperum et gelidum et plumbeum nescio quid quo arescunt corda, ingravescit levitas, friget Vulcanus, fugiunt Veneres: nec magis vos lepidissimum auctorem mihi exhibetis quam Botanista rosam, si ex herbarum thesauro cadaver rosae deprompserit marcidum et pallens. En caules, en calix, en corolla et mascula fila, et femineum stamen, et stylus. At odor myrrha atque opobalsamo suavius spirans, ubi est? ubi purpura clarior color? ubi tremulae gemmulae, quas Aurora adspergebat? ubi lanugo virginalis quae crocei aut coccinei pulveris speciem habens tenellae cuti adhaerescebat? quis hanc papilio nunc agnoscet et circumvolitabit? quae puella comis, aut sinu dignabitur?

His positis, facile iam pervides, quam ob causam ab his nihili, ab his maximi, a plerisque parvi Martialis aestimetur. Non statim mentem iocantis assequuntur, neque id genus mali notae

(1) Iuv. sat. I, v. 5.

reparare sufficiunt; nam quis ferat iocos explicari? quod tam verum est, ut si cum laedere volueris qui in ambiguis vocibus saepius ludit, te caligantem statim simulaturus sis. Contra, ut homericarum fabularum vim demirere, ut Virgilii candida eloquentia moveare, non requiritur ingenium operosaque eruditio. Vbicumque terrarum corda palpitant et flent oculi, Dido et Andromache amabuntur, narrabuntur. Neque enim obstat fuga saeculorum irremeabilis, neque dissociabiles Oceani, quin ubique et perpetuum, ab incunabilis mundi ad novum chaos, in quibusdam homines sui similes sint. Sed in multis discrepant, et haec quibus discrepant vulgo tractant Satyrographi et Epigrammatarii; quae singula et facile variantur et cito evanescunt. Ergo si quis arguti et aliquantulum improbi ingenii vir exstiterit, cui urbis aeternae antiqui ritus et mores perinde innotescant quam elegantulis nostris Parisina omnia, ille Bilbilici saerarii mysta

> Non feret hunc tantum; sed ubique, per arva, per urbem
> Iam feret, assiduus lector in astra feret.

Re quidem vera nullus ex his qui Epigrammatum genus coluere, nostro meliora composuit, pauci aeque bona. Duos novi inter Nostrates qui lyricae poëseos artifices summi, quum Polyhymniae barbiton grave citharamve Euterpes desererent pro Thalia Bilbilica, in suis Epigrammatibus transtulere tum vim ingenii igneam et quasi fulmineam, tum rhythmi elegantiam et nitorem. At Nostrum ego existimo neque in spargendo melle aut felle, neque in pangendis versiculis concedere.

Num cupis molle quiddam et delicatum; vide quam callide amicam donans fictitiis comis blandiatur simul et se excuset:

> Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi,
> Vt scires quanto sit tua flava magis. (1)

quam argute laudet caelatoris in toreumatibus peritiam, et id Virgilii « spirantia aera » (2) exaequat:

> Artis Phidiacae toreuma clarum
> Pisces aspicis: adde aquam, natabunt. (3)

aut quam commode ac quasi incogitanter ad imperatoris laudes decurrat a pueri sui basiis:

(1) Lib. V, epigr. LXIX.
(2) Virg. Aeneid. lib. VI, vs. 848.
(3) Lib. III, epigr. XXXV.

.........quot inquis?
Oceani fluctus ma nmerare iubes,
Et maris Aegaei sparsas per litora conchas,
Et quae Cecropio monte vagantur apes,
Quaeque sonant pleno vocesque manusque theatro
Quum populus subiti Caesaris ora videt. (1)

Noveram dudum (et multos reor didicisse e florentissimi temporum nostrorum scriptoris Christiano poëmate) tetrastichum id vel potius octostichum e Pervigilio Veneris, quum de Amore Nudo narratur:

Iussus est inermis ire,
Nudus ire iussus est,
Neu quid arcu, neu sagittis,
Neu quid igne laederet....
Sed tamen, Nymphae, cavete
Quod Cupido pulcher est!
Est in armis totus idem,
Quando nudus est Amor.

Porro lepidissimum hoc epiphonema nil aliud est, quam imitatio Martialis venustissimum puerum sic canentis:

Spendophorus Libycas domini petit armiger urbes;
Quae puero dones tela, Cupido, para.
Loricam clypeumque tibi galeamque remitto;
Tutus ut invadat praelia, nudus eat. (2)

Num aliquid in toto Anacreonte, num in Catullo, num in Nasone, Tibullo, Propertio aut Eroticis nostratibus suavius reperire est, quam id tetrastichon de Leandro:

Quum peteret dulces audax Leandrus amores
Et fessus tumidis iam premeretur aquis,
Sic miser instantes affatus dicitur undas:
Parcite, dum propero; mergite, dum redeo. (3)

At suavius quiddam ipso in Martiale novi, quod nunquam alii advertere, et mihi dignissimum videtur quod in Gallicam linguam aliquis transferat. De Cynthia Propertii agitur:

(1) Lib. VI, epigr. xxxxiv, vs. 4 sqq.
(2) Lib. Spect. XXV,
(3) Lib. Sp. epigr. xxv *bis*. Caeterum, ea sententia ita delectatus est Martialis, ut huic efferendo in Apophoret. libro (Idem ille est ac qui vulgo inscribitur xiv) Distichum quoque consecraverit:

Clamabat tumidis audax Leander in undis:
Mergite me, fluctus, quum rediturus ero.

Cynthia, facundi carmen iuvenile Properti,
Accepit famam, nec minus ipsa dedit. (1)

Equidem nescio, an mentem auctoris probe attigerim; at nequeo, in verba annotantium jurans, credere hic positum *minus* pro *minorem famam.* Quidni enim pro *minus pretiosa dona?* Quasi nempe diceret: Gloriam quidem, optime vates, tu das; at amica voluptatem: utra harum rerum anteponenda est, si bene attenderis? Tu puellae nomen inseris famae, te puella summis gaudiis: tu eam canis, nihil splendidius; te illa amat, nihil dulcius: tu futura tempora huic exornas; at haec hodierna beat. Ne puellam, o vir, spernas: dii vobis pulcherrima et amplissima annuere, tibi ingenium, huic venustatem; affluat venustati ab ingenio superstes immortalitas, ingenio a venustate praesens felicitas! Parallelum hoc suavissimo huic et notissimo carmini, quo Anacreon, postquam animantium omnium arma nativa explicuit, et intellectum viro datum exhibuit (Τοῖς ἀνδράσιν φρόνημα), derepente siscitatur:

Γυναιξὶ δ' οὐκ ἔτ' εἶχεν.
Τί δ' οὖν δίδωσι; (2)

Et reponit:

..........Κάλλος,
Ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων,
Ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν·
Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον
Καὶ πῦρ καλή τις οὖσα. (3)

Namque rerum omnium potestatem, quae pulchra est, saepe habet. Praetulerim tamen Martialis sententiam: nam in ea delicatius quiddam latere autumo, et Anacreontis dictum mendax aliquando est; Noster hic omnino verus est: quis enim sanus beatitudini famam praetulerit?

At ex his quae gratiam spirant et videtur Idaliis in hortis ipsa Venus dictasse, ad haec transeamus, quibus satyrae iam propior cavillatur, pungit, mordet, secat; forsan in his sese superavit. Vidimus modo puellae blandientem, quam empititia caesarie munerabatur; lege nunc fere contrarium:

Thais habet nigros, niveos Lecania dentes.
Quae ratio est? emptos haec habet, illa suos. (4)

(1) Lib. XIV, epigr. CLXXXIX.
(2) Anacreont. carm. II,
(3) Id. *ibid.*
(4) Lib. V, epigr. XLIII.

De alia muliere illud non minus malignum, et placet quod inexspectatum acumen est, et, ut Graeci aiunt, παράδοξον.

> Nubere Paulla cupit nobis, ego ducere Paullam
> Nolo; anus est: vellem, si magis esset anus. (1)

Παράδοξον quoque et ἐξ ἀπροσδοκήτου concluditur id de avaro divite, qui, quum splendidi et lauti Amphitryonis laudem aucuparetur, cibis tamen parcebat, et nullas non astutias adhibebat, optimas dapes in posterum diem servaturus.

> Esse negas coctum leporem, poscisque flagella:
> Mavis, Rufe, coquum scindere, quam leporem. (2)

Huic hyperbole venustatis haud parum conciliat:

> Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
> Expingitque genas, altera barba subit. (3)

Haec tamen, quaecumque sint, candide fatebimur non optima et vehementissima esse; in his enim *dentibus albis*, nihil amplius, mordet, nec, ut Lucilius olim, in malis viris genuinum frangit. (4) Non tamen desunt hinc illinc quae vim maximam ingenii arguunt, quae acrimoniam sapiunt, quae fel amarissimum et aeruginem meram stillant. Sed haec citare pudet; tam improbe, tam lascive, tam pathice et κιναιδικῶς a poëta scripta sunt, qui ut celeberrimi duo e nostratibus, nunquam a vehementia magis commendandus est, nunquam iustius

> Laurea donandus Apollinari, (5)

quam quum in Gomorrhaeos cantus uberem venam solvit. Quum tamen velum aliquando spurcitiae praetendat, ut perspectum habeamus, quam, in eo genere, non sui dispar ille sit, duo proferemus. Prius de puella quae senem inter et spadonem iacebat:

> Cum sene communem vexat spado Diodymus Aeglen,
> Et iacet in medio sicca puella toro:
> Viribus hic operi non est, hic inutilis annis.
> Ergo sine effectu prurit uterque labor.
> Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
> Hunc iuvenem facias, hunc, Cytherea, virum. (6)

(1) Lib. X, epigr. VIII.
(2) Lib. III, epigr. XCIV.
(3) Lib. VII, epigr. LXXXIII.
(4) Horat. lib. II, Sat. I.
(5) Horat. lib. IV, Od. II, v. 9.
(6) Lib. XI, epigr. LXXXI.

En aliud, quo duas feminas comparans rogat, utrá magis digna quae ametur et repetatur:

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta requiris?
Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.
Vlcus habet, quod habere suam vult quisque puellam....
Quodque senem Pylium non sinat esse senem.
At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
Adiuvat: absentem marmoreamve putes.
Exorare, Dei, si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam pretiosa dare;
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet,
Vt Phlogis; et Chione, quod Phlogis ulcus habet. (1)

His saepe intexit sententias aut nobiles, aut graves, quae brevitate sua maxime perstringunt, haec v. g. in avaritiam:

Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est. (2)

de amicorum specie rarissima:

Aurum et opes et rura frequens donabit amicus;
Qui velit ingenio cedere, rarus erit. (3)

Vel de matrimonii solvendi et rursus contrahendi nimis libera facultate:

.... nubit decimo iam Thelesina viro.
Quae nubit toties, non nubit: adultera lege est. (4)

Breviora ista dices forsan vel mediocris notae poëtis aliquando excidere potuisse. Afferamus ergo quae Epici carminis maiestatem vere spirant:

Si cupis Alcidae cognoscere facta prioris,
Disce: Libyn domuit; aurea poma tulit;
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo;
Addidit Arcadio terga leonis apro:
Aeripedem silvis cervam, Stymphalidas astris
Abstulit: a Stygia cum cane venit aqua.
Fecundam vetuit reparari mortibus hydram;
Hesperias Tusco lavit in amne boves.
Haec minor Alcides: maior quae gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis;
Prima suo gessit pro Iove bella puer:
Solus Iuleas quum iam retineret habenas
Tradidit; inque suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri;
Sudantem Getica ter nive lavit equum.

(1) Lib. XI, epigr. LX.
(2) Lib. VIII, epigr. XLIV, vs. 9.
(3) Ibid. epigr. XVIII, vs. 9 et 10.
(4) Lib. VI, epigr. VII, vs. 4 et 5.

Saepe recusatos parcus duxisse triumphos,
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa Deo, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, caelo sidera, serta Iovi. (1)

Ecce nunc undecim versus, nam quamvis plures cupiamus exscripsisse, terminum nobis ipsi debemus imponere, qui Pindaricae poëseos altitudinem, vim, maiestatem, igneum oestrum habent:

Auditur quantum Massyla per avis murmur,
Innumero quoties silva leone furit,
Pallidus attonitos ad Poena mapalia pastor
Quum revocat tauros et sine mente pecus;
Tantus in Ausonia fremuit modo terror areua.
Quis non esse gregem crederet? unus erat:
Sed cuius tremerent ipsi quoque iura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem
Aurea lunatae quum stetit umbra iubae!
Vnde tuis, Libye, tam felix gloria silvis? (2)

Nonne, amabo, Dithyrambicis flammis incalescentem vatem diceres, quum haec canit? num Pindarus,

...... cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum,

magis enituit? num in figuris Aeschylus aut Sophocles audacior, quam quum ille ait:

Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena,

et infra:

Aurea lunatae ... stetit umbra iubae!

Atquí talis saepe audaciae versus in opusculis Nostri levioribus reperire est, ubi v. g. de plausibus et acclamationibus quae principem circumstrepebant:

Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque
Laetitiae clamor terruit ipse novae. (3)

et id de eodem imperatore:

Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli, (4)

et apostrophe severa ad victas Germanorum turmas, quas a flumine arcet:

Barbare, non debet, submoto cive, ministro
Captivam victrix unda levare sitim. (5)

(1) Lib. IX, epigr. CII.
(2) Lib. VIII, epigr. LV, vs. 5.
(3) Ibid. epigr. XI.
(4) Ibid. epigr. LXV, vs. 3.
(5) Lib. XI, epigr. XCVI, vs. 3 et 4.

Placetne ex grandisonis et excelsis,

..... apis Matinae
More modoque, (1)

ad minutissima quaeque degredi? nil levius certe iis salibus, qui in ambiguo verborum sensu acumen quaerunt, et saepe nil miserabilius, nil putidius. Videamus an hic Noster insipidus fiat; et de eo dicendum, quod de Demosthene Quintilianus, non displicuisse illi iocos, sed non contigisse. Haud equidem epigramma proferam, quod libidinis una et avaritiae feminam quamdam insimulans iis verbis clauditur:

.... vis dare, nec dare vis: (2)

nimium enim obscoenus est versiculus prior, quam ut hic exaretur; sed hoc, quod huic falso abiudicant paedagoguli δοξόσοφοι, quum elegantiae non expers sit, et eodem in verbo luserit Iuvenalis: (3)

Milo domi non est; peregre Milone profecto
Arva vacant: uxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet. (4)

Iubet hoc illius meminisse, quo uxorem quoque negligentis mariti aliquantulum vexat, sed maritum praecipue:

Crispulus iste quis est, uxori semper adhaeret
Qui, Mariane, tuae? crispulus iste quis est?
Nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem,
Et sellam cubito dexteriore premit?
Per cuius digitos currit levis annulus omnes;
Crura gerit nullo qui violata pilo?
.... Vxoris res agit, inquis.
....
Res uxoris agit? res nullas crispulus iste:
Res non uxoris, res agit iste tuas. (5)

En duo quae commendantur brevitate sua: prius, ut puto, in malum poëtam:

Scribit in aversa Picens epigrammata charta;
Et dolet, averso quod facit illa Deo. (6)

(1) Horat. lib. IV, Od. II, 28.
(2) Lib. VII, epigr. LXXV.
(3) Iuv. Sat. IX, vs. 45.

Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quam dominum:

(4) Lib. VII, epigr. CII.
(5) Lib. V, epigr. LXI.
(6) Lib. VIII, epigr. LXII.

posterius, de ardelione :

> Semper agis causas, et res agis, Attale, semper :
> Est, non est quod agas; Attale, semper agis;
> Si res et causae desunt, agis, Attale, mulas.
> Attale, ne quod agas desit, agas animam. (1)

Quae tamen dotes ingenii in exemplis modo allatis elucescunt, earum multis epigrammatarii ante natum Martialem claruerunt, neque ab hac parte ergo virum ab illorum turba merito segregaveris, qui hoc qualecumque poëseos genus pari studio coluere. Sed una laus est, quam nullus ante eum sibi proprie vindicare potuisset, ille vindicat, nempe acumina in clausulis, et sic Επιγραμματολογούντων principem hunc iuste renuntiaveris, quippe qui Epigrammati novum ingenium, novum charactera imposuerit : namque principio Epigramma, ut ipsum indicat nomen (ἐπιγράφειν, inscribere) nil aliud fuit, quam quod pro elogio insculpebatur imaginibus, signis, tropaeis, sepulcris. Illa autem elogia interdum soluta oratione scribebantur, ut Cyri : Ω ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρος εἰμὶ, ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτισάμενος καὶ τῆς Ασίας βασιλεύς. μὴ οὖ φθονήσῃς τοῦ μνήματος. ut Sardanapali : Τάρσον τε καὶ Αγχίαλον μιᾷ ἡμέρᾳ ἐγὼ ἔκτισα, νῦν δὲ τέθνηκα : plerumque autem versibus, ut Simonideum epigramma, quo Casmyli Rhodii nomen, patriam, patrem et victoriae locum ac genus exprimit :

> Εἶπον τίς, τίνος ἐσσὶ, τίνος πατρίδος, τίδε νικῇς.
> Κάσμυλος Εὐαγόρου, Πύθια, πύξ, Ρόδιος. (2)

Quod sic Latine conversum est:

> Dic quis es, et cuius, quae patria, palmaque pugnae.
> Casmylus Evagorae, Pythia, lucta, Rhodos.

At mox in libros translatum est epigramma, ita ut in versuum et structura et numeris aliquantulum curae iam insumerent Επιγραμματολογοῦντες, neque illustres viros, aut praeclare gesta solum dicerent, sed omnia quae colloquentium amicorum mobili levitate percurri et perstringi possunt, « fortissima et ignavissima facta, pulcherrima et turpissima, absurdissima et aptissima, stultissima et sapientissima, maxime ridicula et lamentabilia, minima et maxima, prima et extrema, artes, fraudes, eventus humani, divina et naturalia.(3)» Haec igitur tam multa, et tam multiplex ingenium, tam multiplicem stylum passura, immo postulatura, varii varie cecinere, alii breviter, longiuscule alii, similes tamen sui in hoc, quod ultimas voces non impensius

(1) Lib. I, epigr. LXXX.
(2) Ανθολογ. Βιβλ. Γ. κεφ. βʹ.
(3) Raderus, Prolemmat. ad Mart. cap. 4.

curarent, quam quae pracmittebantur, neque aculeum ullum clausulae de consilio adderent. Quum vero materiam operum suorum haberent ita incircumscriptam, aliunde carminis genus liberum et versatile, elegiacum, phaleucium, iambicum, scazonticum, aliquando etiam heroicum (nam, ut αὐτὸς ἔφη,

> Hexametris epigramma facia? scio dicere Tuccam:
> Tucca, solet fieri; denique Tucca, licet.); (1)

aliunde tandem versuum numerum sine limite certo, quamquam Parmenio:

> Φημὶ πολυστιχίην ἐπιγράμματος οὐ κατὰ μούσας
> Εἶναι·

et Cyrillus:

> Πάγκαλόν ἐστ' ἐπίγραμμα τὸ δίστιχον. ἢν δὲ παρέλθῃς
> Τοὺς τρεῖς, ῥαψῳδεῖς, κοὐκ ἐπίγραμμα λέγεις,

quum, inquam, omnia haec neque definita, neque praescripta sint, quid est proprium epigrammatis, quae dos singularis, quis χαρακτήρ; hanc difficultatem quum intellexisset Martialis, caetera acutus et mordax, et hoc tempore, hoc loco vivens, quo acuminis laude plures multo florerent quam ante floruerant, et pleba etiam urbana literarum haud plane rudis esset, quasi in aëre ipso Atticum quoddam et concinnum spiraret ac circumfunderetur, necesse existimavit, ut difficilis iudicii homines detinerentur, emicare amarissimum aut delicatissimum quoddam in fine, et extremo opusculo vividius titillari aut pungi, allici aut vellicari audientium aures. Hoc inauditum antea genus scribendi quod in soluta oratione apophthegma aut epiphonema vocant, et quo fiunt vere epigrammata, recte cum Radero comparaveris « nunc pugioni, quo punctim feritur hostis, nunc scorpioni qui cauda icit, modo piperi quod acrimonia sua mordet linguam, nunc felli quod amarissimum. » (2) Porro hinc evenit, ut vivus adhuc Catullo maior caneretur Martialis, neque nos qui Maroni Lucanum, Tullio Senecam postponentes, saeculi huius decreta et sententias plerasque rescindimus, a faventium opinione multum recessimus. Neque in conscribendis epigrammatibus tantum, quin etiam hodie in scoliis et odariis quas cantilenas appellamus, Martialem omnes imitantur et stropharum extremam partem acuunt exactissime. Quidam hodie id moleste fuerunt et vituperare visus est nostras Bolaeus, quum in Arte poëtica haec fere dicit gallicis verbis:

(1) Anthol.
(2) Rader. Prolemm. ad Martial. cap. 5.

....Neque tu rege spicula punctim
Vana, neque improbulo mordax epigrammate caudam
Exacuas. (1)

Non equidem hos ego in astra extulerim, qui in ultimis verbis unice operam locant, priorum negligentiores, neque sane ab acuminis praestantia laudaverim, quorum acumen tantum in octavis versiculis pungit. Fateamur tamen, cui misello Musae ingenii satis annuerint, ut ingeniosus identidem videatur, non satis ut perpetuum videatur, bene eum in clausulis praecipue elaborare, et gratius nos affici, quum pessimo exordio optimus finis subiungitur, quam si quis praeclare incipiens, mediocriter vel male desineret. Per hiulca viarum et horridos dumos perveniam libens ad splendidas aedes, aut elegantem casulam; at si splendidas aedes et amoenas vias evaserim, durum erit vel tegetem, vel desertos locos peregrinationis finem habere.

Cuncta nunc fere diximus, quae de Martiale disputanda erant. Quaedam tamen reservavimus hoc loco perpendenda. Scilicet Nostro a frivolis homunculis duo saepe exprobrantur, adulatio foeda erga pessimum imperatorem, et improbitas pathicissima in amatoriis. Quibus paullulum immorari operae pretium esse puto.

Et quidem quod prius obiiciunt, adulatio, ad indolem minus pertinet, quam ad ingenii genus; et poëtam, non hominem aestimantibus quid nisi de ingenio disserendum est? At ea est hominum multitudo, qui temere omnia confundentes ab indole ad ingenium, a vita ad scripta transiliunt, et si quis parum fortis exstiterit, subinde ipsius opera parvi faciunt, ut istis quaedam in mentem revocare necessarium sit. Recordentur ergo obtrectatores, quibus temporibus, quali in Vrbe scripserit Martialis. Scilicet quidquid Augustus et priores Cesares libertatis reliquerant, cesserat: nec ruebant Equites, Patres in servitium; servi omnes nascebantur: et siquando, principis fastus, inclementiam, deliramenta pertaesi, iugum fregissent, subinde aliud iugum capitibus suis imponebant, sat rati si tyrannum excussissent, non tyrannidem. Tum quae potentia imperatoris esse vulgo habebatur, ea militum erat; atqui nunquam pronius cives adulantur, famulantur, quam ubi militare servitium, militare imperium est. Quid tunc fecisset poëta? obstitisset, Catones, Brutos, magna et vana canens? mox ad illustres animas socium

(1) Et n'allez pas toujours d'une pointe frivole
Aiguiser par la queue une épigramme folle.
BOILEAU, *Art Poëtiq.* Chant. III.

demisisset praetorianorum ensis. Tacuisset? clamavissent delatores; et quae obstrepenti, eadem tacenti poena irrogata esset. Laudandum ergo erat. At illa duntaxat laudavit, quae bene, quae probe, quae splendide facta erant, aut quae laudibus nullis digna, nec saevitiam nec imperatoriam arrogantiam arguebant. Sic canit Flaviae genti exstructa templa, additam Romanis viis latitudinem, principis munificentiam in donativis et spectaculis, quarum rerum gloria ne malum quidem regem defraudari licet; sic imprimis illud edictum praedicat, quo vetuit Domitianus excidi infantes et ante aetatem prostitui. Haec merito celebrata nemo non fatebitur. Quid, quum victorias falsas laudat et triumphum ementitium de Germanis, emptis per commercia quorum habitus in captivorum speciem (1) formarentur? Quid, quum credere sese fingit debitas Domitiano Vitellianarum partium clades, at iuvenem, quam ipse purpuram sibi iustius assumpsisset, eam patri ultro concessisse? quid quum a verecundia commendat impudicissimum tyrannum, qui palam fratris filiae adulter, Minervam tamen praecipue colebat, Minerva natum se dici cupiebat? Haec quidem tristi adulatione et mendacio mixta, tamen non nocent, nec ad scelus ignavum dominum incitant. Sed hactenus laudator. Quum Helvidio senatori impositae compedes, quum Thraseam laudavisse capitale fuit, neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque (2) saevitum, quum Agricolae ob nimiam gloriam venenum datum, quum vidit Vrbs obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas; tum nec adulantium multitudini (3) Noster accessit, nec pereuntium ingenio aut constantiae insultavit, aut ruenti in caedes Romanorum Augusto calcar aut stimulos addidit. Adulationes ergo illas, quamvis hyperbolice et immerito saepiuscule effusas, ne tam foedas arbitremur quam voluere plurimi: vana multa, pulchra quaedam, saeva nulla illa laudat; quid ex his non excusandum?

Quod ad verborum libertatem attinet, Martialem reor fere omnino culpa vacare. Neque ignoro quidem hodie delicatis auribus magis probari, si quid de amatoriis rebus narratur, eum sermonem qui, eleganti temperamento, castitatis simul et nequitiae particeps, neque virgini causa erubescendi est, et clarissime tamen cunctis cuncta significat. Inest quippe gratia,

(1) Tacit. Agric. cap. 39.
(2) Id. *ibid.* cap. 2.
(3) Ibid. cap. 45.

dulcedo commoditas ac lepos nescio quis, dum improba probe, inhonesta honeste et tamen vividissime per ambages, at eas vitreas, eloquuntur, et minus pudicis imaginibus quasi mollia vela obtendunt et circuminducunt: ut olim Poppaeam Neronis decebat velari partem oris; (1) ut, si haec comparari queant, elegantior forma earum videbatur, quae Cois vestibus gaudebant, dum corporis candor et mollities pellucebat; namque, ut Coas vestes, sic lascivam eam et dolosam pudicitiam *ventum textilem, lineas nebulas* recte dixeris. At varii variis delectantur, ac ferme constat

...inornata et dominantia nomina solum (2)

placuisse olim in Graecia et in Italia. Quid enim Aristophanes Athenarum nurus et puellas docuit? quid Plautinae fabulae narrant, exhibent, ingerunt? quid amoenissimi poëtae Catullus et Flaccus, quorum utrique molle ac facetum Deus et Deae annuerant, passim crepant? quid assertor ac vindex publicae pudicitiae tenacissimus Iuvenalis in satiris fere omnibus? Tria duntaxat novi, quae minus spurca in spurcitia sua hic notem, Theocriteam Oaristyn, Petronii Miscellanea, Apuleii Asinum Aureum; quae tamen quam aperta, quam obvia sunt, si fabulis nostris Milesiacis, etiam paullo liberioribus, contuleris! Persium memini in satira prima aequalibus suis bellum veluti indixisse, quod mollitiem atque ἁρμονίαν quamdam suam affectantes, Romana verba eliquarent, evirarent. « Haec fierent » ait pudicissimus poëta,

Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis (3)

Nonne eodem fere modo reclamaturum eum fuisse putes, si quis invectus in turpia, per ambages et περιγραπτικῶς haec designans, graphicissime tamen et depinxisset et illecebris novis ornavisset?

Ne igitur Nostro vehementer nimis stomachemur, si quas elegantias, quos jocos in eroticis nactus est, eorum imitator exstitit, et de Lampsacenis, Gaditanis, Alexandrinis nequitiis ea licentia egit, cui invidisset Alexandrinus pathicus, Gaditana saltatrix, et Lampsaci sacris operata mulier. Nihil quippe ex istis obstaculo fuit, quin publice legeretur, non in urbe solum ut vastissima et potentissima, ita corruptissima, at in provinciis, ubi rusticae vere-

(1) Tacit. Annal. lib. XIII, cap. 45.
(2) Horat. Art. Poët. v. 234.
(3) Pers. Sat. I, vs. 103.

cundiae nonnihil remanserat, ubi adhuc vigebat Patavina modestia. Certe ipse de Vienna Allobrogum:

> Me legit omnis ibi senior, iuvenisque, puerque,
> Et coram tetrico casta puella viro. (1)

et infra paullum:

> Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
> Uda puella leges, sis Patavina licet. (2)

At forsan repones: Non tam verba ipsa in improbo reprehendimus, quam Sotadicum ingenium; namque turpitudinis summae gesta narrans, his gaudet, his invidet, his haeret, arridet, blanditur, haec quodammodo suadet ut et tu facias. Aquinatem certe, de quo modo loquebamur, identidem credideris minus in rhetorum officina quam in meretriciis lustris cecinisse. At in haec, quae nominat et describit, acerrime invehitur, haec vi summa exsecratur et deprecatur; ac, si quando ridet, quis risus! quam amarus et mordax! quae indignatio tali risu « fortius ac melius secat res? » — Esto sane; sed Satiras scripsit Juvenalis, in quibus decet scriptorem iratus vultus, minaces oculi, torva frons et in manu flagellum immisericors. At qui epigrammata ludit, num eum necesse Zenonis aut Catonis instar dominantibus iam vitiis hostem se se, hui! quantulum hostem! opponere, et ea in naeniolis commendare quae Aristoteles in Ethicis, quae in Enchiridio Arrianus praecipit? Hoc habet satirae epigramma, pungere et cavillari; at non semper, neque illa potissimum quae invidia magis digna sunt, neque acriter,

> Ense velut stricto... Lucilius ardens,
> Infremit; (3)

ille scalptorio caelo, acu, vel si quid acu levius, punctim ferit. Saepe praeterea Epigrammatarius minime cupit vulnus inferre; et delectaturus innocuis iocis otiantes, piper omne et sal ipse amovet, virgas frangit, cuspidem hebetat. Talis saepe Noster; at iram rursus concepisset, quis, amabo, tulisset gravissime eum disticha aut tetrasticha, ethica aut metaphysica effundere, atque emendandos cives et Astraeam reversuram somniare. Somniare ego dixi; etsi enim in hoc pro virili parte desudasset, in irrito omnis labor effusus foret. Eo nimirum licentiae, spurcitiae, infamiae degeneres populi aliquando per luxuriam deveniunt, ut

(1) Lib. VII, epigr. LXXXVIII.
(2) Lib. XI, epigr. XVI.
(3) Sic fere Iuvenal. Sat. I, vs. 165.

non iam per intervalla ac spiramenta temporum pudenda quaedam adspicias, sed omnes per omnem vitam in nefas omne ruant, quasi de meretricieae scientiae praemio sceleste disputaretur. Quis autem *pater urbium*, immo quis e caelo delapsus Deus, tunc *cupidinis pravae elementa erasurus?* (1) Quemadmodum humano in corpore si aut venenorum ater humor, aut quam γαγγραίναν vocant, postquam singulos artus populata est, altior iam in intima pervaserit pestis, ipsisque praecordiis inhaeserit, iam nulla vis medicaminum, nulla medentium experientia prohibebit, quin aegrotantis miserabile corpus sanie putri liquescat et letali tabe consumatur; ita quum ab omni imperii parte pulsus exsulat pudor; et mollities, quaeque mollitiem vitia consequuntur, procerum et multitudinis antiquam castimoniam inquinavere, nulla vis unquam, nulla lex, nulla religio lasciviam cohibere potest extra fines semper evagaturam, et sic in dies excrescentem, ut necesse sit demum molem reipublicae totam, quasi putridum corpus, ire pessum, et in ruinas resolvi.

Atqui ubi gentium, ubi temporum unquam civitas una exstitit, quae magis ac tunc orbis Romanus, eo modo ruitura, eo modo solvenda, insanabilius malis fatisceret, hebesceret, tabesceret? Saeculi proxime elapsi turpem licentiam et nos Galli saepe conquerimur, saepe detestamur: at haec si romanis moribus, quales Caesarum sub principatu viguere, contuleris, puellarem ignorantiam et innocentiam fere arguant. Namque ut caetera praetercam (quis enim singula enumerans et indigitans ante iustum volumen desineret?) tunc in palatiis et delubris, in hortis publicis, in triviis, adspectabantur Priapi imagines nudae. In Florae sacris, inclinato nondum in vesperem die, ibant globi non meretricum, sed matronarum, non papillis aut umbilico tenus, sed omnino nudae. In balneis quas undique iam splendidas et vastas imperantium liberalis prodigentia exstruebat, et ubi vilissimo pretio (quadrante) lavari licebat, lavabantur promiscue viri nudi, feminae nudae. In theatris frequentissimis, quum fabularum pars prior iam acta esset, ac Sotadicis versibus mentes incenderentur, adstantium nescio quot millia una voce prorumpebant: « Nudentur mimae »... et nudabantur! Quid loquar nefarios et publicos animantium cum mulieribus concubitus, dum, ut veteri fabulae constet fides, in planitie omnium vastissima, (2) imperante principe, effusa ad spectandum omni civitate, Pasi-

(1) Horat. lib. III, Od. xxiv, 51.

(2) Amphitheatro Titiani, ubi octogiata septem millia spectatorum sedebant, et ferme duodena millia stabant.

phaen aemulatura quaedam se tauro offert lignea vacca inclusam, qui ea potiatur. Quid masculam libidinem, et cinaedorum greges florentissimos, et assuetos etiam optimates pati muliebria? Quae ut quivis contumacissime nunc reticeret, sic tunc candidissime quivis fatebatur, ut rem omnium simplicissimam, innocentissimam, usitatissimam. Neque pol negandum, ita eam usu tunc receptam ut naturae ingenio et legibus se repugnare nequaquam suspicarentur: quum Socrates ne discipulis quidem abstineret; quum poëtarum sanctissimus Virgilius (nam eum Flaccus et Maecenas virginem vocabant), Alexin a domino flagitaret; quum humanae indolis praeclarissimum exemplar et aeternum celebrandus honos, pueris quoque gavisus sit, et quo igne Adrianum Antinous mox incensurus erat, hunc ipse sensisset. Miramur ignari Messalinae libidinem atque infamem audaciam, quae ex imperatorio pulvinari, *meretrix Augusta*, (1) ancillam ementita, Lupanaris in sella, oculis venabatur, manu rapiebat viros. At id clanculum, at mulier; neque opprobrium Claudii et imperii et suum evulgatura sponte, neque ut ordinem naturae inverteret. At cinaedus imperator postea visus est, qui, quum eximia et vere feminea pulchritudine commendaretur, feminam se et diceret et iuberet dici, feminae cultus et mores indueret, ut femina uni, dein alteri ex aulicis nuberet, mox utrique marito et perpetuum infelix et palam, ubi vesperasceret, ante palatii fores aut in hortis staret, illa quidem gerens quibus princeps nuntiaretur, purpuram auro illitam, holosericas auro exsplendescentes, at haec insuper quae scortillum arguerent, coccineas soleas et pro mamillari reticulum, ac si quis praetereuntium forma insignior aut corpore robustior, subinde ab eo noctem precaretur.

Quod si quis nunc a nobis quaesierit quem Nostro locum inter eos assignemus qui Epigrammata scriptitarunt, principem eum videri declarabimus. Si leporem spectes, Catullo, Anacreonti et Eroticis omnibus poëtis saepe par est; si argutiam et sales et nativos iocos, Catullum eumdem antecellit, nostrates aequat; si elegantiam et rhythmum et quam vocant technicam harmoniam, non est quod Maronem ipsum, aut Horatium praeferas; si venae ubertatem, nullus tot opuscula, tot lusus, tot sales effudit, neque tam similes res tam variis modis cecinit: tum ab eo data est Epigrammati sua forma, sua hodierna malignitas; ipsi Epigramma debet quod Æschylo Tragoedia, quod Homero Epos. Habeatur ergo princeps in nugatoria sua poësi: et ut lauream et palmas huic Melpomene, huic Calliope adstruit, ita e flosculis tenellulis corollam Bilbilico suo det Thalia.

(1) Iuvenalis, Satira VI, 116 et seqq.

SCRIPTORVM VETERVM
AC
RECENTIORVM QVORVMDAM
DE M. VALERIO MARTIALE

TESTIMONIA.

C. PLINIVS CAECILIVS SECVND. CORNELIO PRISCO SVO S.

(*Epistola lib. III ultima.*)

Audio Valerium Martialem decessisse, et moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis; nec candoris minus. Prosequntus eram viatico secedentem. Dederam hoc amicitiae, dederam etiam versiculis, quos de me composuit. Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare. Nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc inprimis exolevit. Nam, postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quaeris qui sint versiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem. Tu, si placuerint hi, caeteros in libro requires. Alloquitur Musam, mandat ut domum meam in Esquiliis quaerat, adeat reverenter: (lib. X, epigr. xix.)

Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.
Totas dat tetricae dies Minervae,
Dum centum studet auribus virorum
Hoc, quod saecula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas:
Haec hora est tua, quum furit Lyaeus,
Quum regnat rosa, quum madent capilli:
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Meritone eum, qui hoc de me scripsit, et tunc dimisi amicissime, et nunc, ut amicissimum, defunctum esse doleo? Dedit enim mihi quantum maxime potuit: daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius quam gloria, laus et aeternitas? At non erunt aeterna, quae scripsit? Non erunt fortasse: ille tamen scripsit, tanquam futura. Vale.

Aelius Spartianus, in L. Cesionii Commodi, sive Aelii Veri vita.

Idem Ovidii libros Amorum in lecto semper habuisse; idem Martialem Epigrammaticum poetam Virgilium suum dixisse, fertur.

Aelius Lampridius, in Alexandri Severi vita.

Leporem quotidie habuit, venationem frequentem, sed eam cum amicis dividebat, et his maxime quos sciebat per se non habere. Nec divitibus quicquam talium munerum misit, sed ab his semper accepit. Et quod ille leporem quotidie haberet, iocus poëticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos qui leporem comederint, ut Martialis Coqui epigramma significat, quod contra quandam Gelliam scripsit huiusmodi: (lib. V, epigr. XXIX.)

Quum leporem mittis, semper mihi, Gellia, mandas,
Septem formosus, Marce, diebus eris.
Si verum dicis, si verum, Gellia, mandas,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Sed hos versus Martialis in eam, quae deformis esset, composuit: Poëta vero temporum Alexandri haec in eum dixit:

Pulchrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit, et lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Sollius Sidonius Apollinaris. Carm. IX.

Non Gaulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus,
Aut mordax sine fine Martialis.

Idem. Carmen XXIII.

Quid celsos Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Ibericarum?

Ioannes Saresberiensis, Curial. Nugar. lib. VII, 12.

Poëticum illum te subito miraberis invenisse pictorem, qui ad omnia, quae necessitas exigit, scit fortasse simulare cupressum. Desipit ita Rufus in Naevia, a qua eum, teste Coquo, nullus casus avertit. Nam

Quidquid agit Rufus, nihil est nisi Naevia Rufo;
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Coenat, propinat, poscit, negat, innuit; una est
Naevia: si non sit Naevia, mutus erit.

Lib. I, epigr. LXVIII.

Idem. lib. VIII, cap. 6.

Peregrinos odores non nisi dissolutis et amatoribus convenire, Comicus et Coquus docent.

Idem. lib. eod. cap. 13.

Nam foenerator, ut plus recipiat, interdum aliquid praelargitur. Vnde Coquus:

Munera quod senibus viduisque, etc.

Lib. IV, epigr. LVI.

Vetus Glossarium latinum.

Petaso, Petasonis; perna, baconis. Martialis Coquus:

Et pultem dubiam cum petasone voras.

Exstat lib. III, epigr. LXXVII, ubi vulgo, « Et pulpam dubiam.» Laudatur ab eodem glossographo etiam alibi, et sub Martialis Coqui nomine praeterea funginum hoc distichon:

Defungi fungis homines, Macrine, negabas:
Boleti leti caussa fuere tui.

Angelus Politianus, Miscellan. cap. 6.

Nimis enim foret insubidus Poëta: quod nefas credere.

Idem. cap. 52.

Sane per totum epigramma signate usus est verbis argutissimus poëta, etc. ut sic hoc epigrammate nihil utique pensitatius.

Idem in Declamatione pro Quintiliano.

Vt ab ingeniosissimo latinorum epigrammatum poëta, et « vagae iuventutis moderator » et « Romanae gloria togae » vere meruerit appellari.

Iovianus Pontanus, lib. III, de Sermone, cap, 18.

Valerius Martialis artificiosissimus epigrammatum scriptor ita in iis quidem iocatus est, ut frequentius carpat quam delectet: tametsi e demorsione ipsa delectatio quoque paritur. Adhaec dictis eius partim occultissima quaedam insunt spicula; partim verba quae non solum a faceto sint aliena, verum aut obscoena ipsa admodum scurriliaque, aut maxime ampullosa et acida: quod quidem Hispanicum est. Sunt tamen dicta eius in universum arguta, subtiliterque conquisita; abstrusae sententiae, eaedemque rarae, salsae, aculeatae: inventiones vero maxime acutae: verba praecipue accommodata, quaeque non prima tantum facie, atque in ipso explicatu, lectorem alliciant atque auditorem; verum quae in eius animo relinquant tacitam quandam quasi subtitillationem. Nihilo tamen minus iis non pauca quidem animadvertas, quae digna prorsus sunt facetis ac temperatis ingeniis: retineantque decorum illud, quod virtutis huius, de qua praecipimus, maxime est proprium.

Iulius Caesar Scaliger, Poëtices, lib. III, cap. 126.

Epigrammatis virtutes peculiares, brevitas et argutia; hanc Catullus non semper est assequutus. Martialis poëta argutissimus nusquam omisit.

Idem, lib. VI.

Ne Martialem quidem transferre libet ad meliora. Multa sunt eius epigrammata divina; in quibus et sermonis castitas, et argumenti species luculenta est. Versus vero candidi, numerosi, pleni, denique optimi. Alia foeda ne legerim quidem, tantum abest ut ad censuram vocem.

Adrianus Turnebus, Advers. lib. VIII, cap. 4.

Quid vetat attingere festivissimi poëtae Martialis lusus, atque in his operam ludere? Non semper supercilia adducenda sunt.

Idem, lib. XIII, cap. 19.

Quum a lepidissimo poëta, nec enim illis assentior, qui scurram ineptum eum appellant, neque satis elegante Musa libros epigrammatum scripsisse autumant, lib. III, epigr. XCIII, canitur:

Admittat inter bustuarias moechas, etc.

Iustus Lipsius, de Amphit. cap. 15.

Designatorum facete saepe meminit acutus et capitalis ille Hispanus.

Idem ad Ianum Lernutium, I epist. quaest. epist. 5.

Quid censes tu? non melius de Martiale Scaliger iudicavit, qui versus eius candidos, numerosos, plenos, epigrammata multa divina dicit, quam ille, qui scurram de trivio appellat. Nollem excidisset viro magno hoc iudicium iudicii dissimile. Nihil ad Catullum Martialis, scio: sed et hoc scio, epigrammata illa nec in trivio nata, nec omnia in triclinio. Multa foeda, obscoena in Martiale: et mehercule in uno Catulli libello non pudiciora, sed pauciora. Ignorat saeculum illud, qui hoc accusat.

Et caetera, quae ibi sequuntur, tanto viro indigna. Pudet me iudicii: quod infra inter infelicium criticorum iudicia merebatur locum. Sed reliquis tuis meritis lucrifecisti, mi Lipsi, hanc notam censoriam.

SINISTRA QVAEDAM IVDICIA

INFELICIVM CRITICORVM

DE

MARTIALE

Raphael Volaterranus, Commentar. Vrbanorum, lib. XVII.

M. Valerius Martialis, poëta epigrammatum, e Bilbili oppido Celtiberiae. Romae annos triginta commoratus, in Hispaniam demum revertit, pauper admodum, et viatico a Plinio nepote, ut in ejus epistola declaratur, adiutus. Amicos coluit Stellam, Silium Italicum. Ascitus et in ordinem Equestrem, et iura trium liberorum adeptus est: reliquit epigrammatum librum omnino reiiciendum, quippe qui neque elegantiae latinae neque moribus prosit.

Paulus Iovius, in Elogiis Virorum literis illustrium, in Marco Antonio Casanova.

M. Ant. Casanovae, Comense patre Romae genito; arguti epigrammatis palmam detulit illa ipsa Roma, severae auris iudicio superba; nec unquam in confesso pudore Poëtis adulatrix: quod lepida, et salsis finibus aculeata carmina factitaret. Elocutioni castae tamen puritas ac in numero saepe duro lenitas defuit: qualis in Catullo praetenero Poëta conspicitur, quum ingeniose mordaci et impuro Martiali persimilis esse mallet, ut una praesertim peracutae circumductaeque sententiae gloria duceretur, etc.

Andreas Naugerius, auctore in iisdem Elogiis P. Iovio.

Quum epigrammata praestanti iudicio lepidissime scriberet, non salsis aculeatisque finibus, sed tenera illa et praedulci prisca suavitate claudebat, adeo Martiali severus hostis, ut quotannis stato die Musis dicata multa eius volumina, tanquam impura, cum exsecratione Vulcano dicarentur.

Alia sinistra infelicium Criticorum iudicia vide in Martiale P. Scriverii.

RECENSVS EDITIONVM

M. VAL. MARTIALIS

FABRICIANO AVCTIOR, ET IN QVINQVE AETATES DIGESTVS.

AETAS I. AVTOGRAPHARIA 1470—1501.

Orta a duabus edit. principibus, altera Veneta, Georgio Merula correctore, altera Ferrariensi, a quibus proxima est Romana 1. Tum statim accessere commentatores, Dom. Calderinus ab an. 1474, Georgius Merula ab an. 1482, quorum commentarii fere omnes dein edd. obsident: Petrus Marsus ab an. 1492, et Nic. Perottus, qui Spectaculorum librum eumque primum latis disputationibus illustratum edidit ab an. certe 1496, saepius dein repetitum. (1)

Princeps 1, *Veneta*, fol. sine nota anni, per Vindelinum Spirensem, circa an. 1470 facta, Georgio Merula Alexandrino correctore, cum epigrammate cuius primus versus syllaba prima abundat sive procephalus est, «Raphaël Zovenzonius Ister Vindelino Spirensi ob eius incredibilem imprimendi solertiam D. D.

Consummatissimus ille Martialis
Impressus digitis *Vindelinis*
Hic est: hic lepidus facetiarum
Princeps et salis Attici Latini*que*.
Hunc, hunc lector emas, tibi futurum
Praeclarum comitem domi forisque
Istri consilio tui Poëtae.

Cf. Lengnich Beitrage part. II, pag. 122, et Maittarii Annal. typogr. T. 1, pag. 291.

1471. *Ferrariae*, 4. M. Val. Martialis epigrammata. In fine: Hic terminatur totum opus Martialis Valerii, quod continetur in quatuordecim libris partialibus, impressum Ferrariae, die secunda Iulii, M. LXXI » (centenariis omissis). Haec editio non est repetitio praecedentis, sed ex alio libro, eoque valde diverso ducta, carens libro de spectaculis. Andreas Gallus, ante quem nemo Ferrariae artem typo-

(1) Le commentaire de Nic. Perotti sur Martial, connu sous le titre de *Cornucopia*, a été continué et publié par son neveu Pirro Perotti; il parut pour la première fois en 1489, à Vienne, et il y a été réimprimé en 1490 et en 1492. Voy. les *Annales typogr.* de Panzer. *Barbier.*

graph. exercuit, huius edit. impressor habetur. Vid. Maittar. Annal. typogr. T. I, pag. 307.

1473. *Romana* I, fol. — Hanc Scriverius in caelum laudibus tollit.

1474. *Romana* II, fol. per Io. Gensberg. Prima haec fuit recensio iusta, quae cum Domitii Calderini, quinque MSS. Codd. usi, commentariis ad Laurentium Medicem prodiit Romae, nec Venetiis, ut quidam putant. Cf. Lengnich Beitr. part. II, p. 122.

1474. *Veneta*, fol. Domitii Calderini Commentarius in Martialem, Venetiis, ap. Iacobum de Rubeis. Catal. Bibl. Hasaei Prof. Bremensis Class. IV, erit. pap. 503, n. 85.

1474. *Veneta* II, fol. s. 4. mai. «M. V. Martialis, Epigrammatum opus cum commentario integro Domit. Calderini et defensione eius. Venetiis, per Ioh. de Colonia.» Sic legitur tit. in Cat. Bibl. Hasaei Class. IV, inter libros quartae formae p. 523, n. 35, et cf. Lengnichii Beitr. P. II, p. 122. Huic igitur editioni iam subiuncta est defensio adversus Nic. Perottum.

1475. *Veneta* III, fol. per Io. de Colonia. Vid. Lengnich. l. c.

1478. *Mediolan.* I, fol. per Phil. de Lavagnia.

1480. *Veneta* IV, fol. c. Dom. Cald. def.

1482. *Veneta* V, fol. In hac Georgii Merulae commentarii Domitianis adiuncti sunt.

1483. *Mediolan.* II, fol. per Baptistam de Tortis.

1491. *Mediolan.* III, fol. per Phil. Pincium de Canato.

1492. *Veneta* VI, fol. ap. Bonetum Locatellum cum commentariis Petri Marsi.

1493. *Veneta* VII, fol. Martialis cum duobus commentis (Domitii Calderini scil. et Georgii Merulae). In fine: « Hoc per Bartholomeum de Zanis de Portesio Venetiis impressum opus feliciter explicit. M. CCCC. XCII. Die XIII. Novembris». Perrara haec edit. literis impressa est quadratis pernitidis, Maittario autem (ut videtur) ignota. Vid. Maitt. Indic. s. Annal. T. V, part. II, pag. 56, et 536. Hanc notitiam debemus viro perill. Heideggero, Tribuno Reip. Turicensis, in cuius Bibliotheca haec ed. servatur.

1495. *Veneta* VIII, fol. cum Merulae et Calderini commentariis.

1496. *Veneta*, fol. Nic. Perotti Cornucopiae per Ioannem de Tridino, alias Tacuinum (cf. quae ad edd. seqq. an. 1499, 1501, de hoc libro dicuntur). Exstabat quondam inter libros Ioach. Chrph. Nemeiz, Consil. aul. Bipont. venales Argentor. 1745.

1498. *Veneta* IX, fol. c. Merulae et Calderini commentariis.

1499. *Veneta*, fol. Nic. Perotti Cornucopiae in Aedibus Aldi mense Iulio MID. Cf. cat. Bibl. C. G. Schwarzii, Prof. Altorf. P. I, p. 146, inter Aldinas fol.

1501. *Lugd.* fol. Nic. Perotti Cornucopiae seu Commentariorum L. L. una cum commentariis s. expositionibus ipsius Nicolai in C. Plinii Sec. prooemium summa diligentia emendatum, Lugduni impressum per Iac. Mailleti, anno Gratiae M. quingentesimo primo,

die vero secunda mensis Iunii. Sic legitur inter Incunab. tipogr. Bibl. Vffenbach. T. II, App. II, p. 75.

1501. *Veneta*, fol. Nicolai Perotti Cornucopiae: sive commentariorum linguae Latinae ad illustriss. Principem Federicum Vrbinl Ducem, et ecclesiastici exercitus Imperatorem invictiss. liber primus: de Amphitheatro Epigramma primum. In fine: « impressum Venetiis per Ioannem de Tridino, alias Tacuinum, anno domini 1501, die XXVIII. Maii, Regnante inclyto duce Aug. Bar. invicto principe. Laus Deo. cum gratia et privilegio per decem annos ». —Nicol. Perottus, Archiepisc. Sipontinus libr. spectaculorum prolixis comment. illustravit, qui saepius editi sunt sub invidiosa inscriptione Cornucopiae, Venet. ap. Aldum 1513. fol. Tusculani 1522, 4. et Basileae 1526, fol. et 1527, ap. Aldum. — Non autem ille tantum Martialis verba interpretatus est, sed de verbis singulis latas disputationes dedit, quales v. c. apud Eustathium in Homerum reperimus.

AETAS II, 1501 — 1566.

Quamvis nullius certae recensionis significationem habeat, ornamenta tamen accepit ab Aldinis, quarum princeps est an. 1501, Iuntina 1512, Parisinis Colinaei, quarum I prodiit an. 1528, et Gryphianis ab an. 1535. Commentator novus ad priores accessit Iac. Micyllus an. 1536. Verum etiam Martialis castus s. potius castratus prodire coepit, cura Franc. Sylvii ab an. 1514, Conr. Gesneri ab an. 1544.

1501. *Aldina* I, 8. Martialis. — In fine: « Venetiis in aedibus Aldi, mense Decembri 1501. » Edit. perrara prae caeteris Aldinis. Vid. Aldinas in C. G. Schwarzii Bibl. Altorf. Baueri Bibl. libr. rar. univers. et Engel. Bibl. selectiss. Possidet eam quoque perill. Heideggerus Turici, habuitque Hemmo Arnold Werumaeus Ictus Groning. teste Catal. 1783, p. 74.

1503. *Veneta* I, fol. Martialis cum duobus (Calderini et Merulae) commentis. In fine: « Impressit volumen hoc Iacobus Pentius de Leuco Impressorum omnium accuratissimus. M. D. III. Die 23. Decembris: Anno Leonardi Lauretani S. Principis altero: » Edit. pernitida, Maittario ignota, servatur in Bibl. perill. Heideggeri.

1508. *Erffurdiae*, 4. min. « M. Val. Marcialis urbanis. Poëte Xenia et Apophoreta.—Ad candidum lectorem hexastychon M. Ioannis Herbipolitani.

Qui didicit vitam graveolenti ducere porro:
Atque sedare sitis flumine ductus onus,
Hinc procul abscedat: namque hic sybaritica mensa
Instruitur. crapulam nostra talia docet.
Pone modum sophie puer: et iucunda popine
Muria condiscas: non nocitura seni.
Vale et salve.

In fine legitur: «M. Val. Marcialis poëte Xenia et Apophoreta impressa Erffurdie per Iohannem Knapp. Anno domini M. D. VIII, die vero vicesima nona mensis Octobris.» Notitiam huius edit. elegantius impressae benevole nobiscum communicavit vir clar. Aug. Christ. Borheck, rector Bielefeld.

1510. *Aldina* II, 8. in aedib. Aldi.

1510. *Veneta* XI, fol. cum Merulae et Calderini commentariis.

1512. *Iuntina*, 8. Florent. ap. Phil. Iuntam: quam nullibi invenimus, nisi in Cat. Bibl. selectissimae Hemm. Arn. Werumaei Icti. Groning. p. 54, an. 979.

1514. *Veneta* XII, fol. M. Val. Martialis epigrammata cum Calderini commentariis ac figg. — Ex Catal. Bibl. S. I. Lovan.

1514. *Paris.* I, Sylvii. M. Val. Martialis epigrammatum lectoris castimonia dignorum liber, ubi omnia Veneris illius despuendae quasi irritamenta, quibus passim sordidatus lectorum nares corrugabat, accurata Francisci Sylvii Ambianatis diligentia deletili spongia detersa sunt et eluta. — Hic Sylvius primus fuit, qui ex Martiale loca nupta resecuit. Gesnerus hunc sequutus est.

1515. *Argentor.* I, 4. M. Val. Martialis epigrammata, cum interpretamento dictionum graecanicarum, quae passim in toto opere continentur, Othmari Nachtgall Argentini, etc. In fine: «M. Val. Martialis finit. Impressus Argentinae anno Domini M. D. XV. XXVIII die mensis Augusti, in aedibus Ioannis Knoblauch Chalcographi.» Edit. haec rarior est penes perill. Heideggerum Turici.

1517. *Aldina* III, 8. Martialis. — In fine: «Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri mense Decembri 1517.» Edit. Perrara, Maittario ignota, memoratur in Cat. Bibl. Schwarz. Altorf. P. I, n. 2804.

1522. *Lugd.* 8.

1528. *Paris.* II, Colinaei I, 8. ap. Sim. Colinaeum. Edit. rara et nitida.

1530. *Antv.* 8. ex. Catal. Bibl. S. I. Lovan. p. 399.

1535. *Gryphiana*, n.° I, Lugd. 8. ap. Seb. Gryphium.

1535. *Paris.* III, Sylvii II, 4. M. Val. Martialis epigrammaton lectoris castimonia dignorum liber, ubi omnia Veneris illius despuendae quasi irritamenta, quibus passim sordidatus lectorum nares corrugabat, accurata Francisci Sylvii Ambianatis diligentia deletili spongia detersa sunt et eluta. Parisiis, Iac. Kerver.

1536. *Basil.* Micylli I, 8. M. Val. Martialis epigrammata cum scholiis Iac. Micylli, ap. Io. Hervagium.

1536. *Paris.* IV, 8. M. Val. Martialis epigrammata. Ex Catal. Bibl. S. I. Iprae, p. 71.

1538. *Basil.* II, 8. ap. Henr. Petri.

1539. *Paris.* 8.

1540. *Paris.* V, 16. Martialis. — ap. Sim. Colinaeum. Vid. Baueri Bibl. libr. rar. univers. et Engelii Bibl. select. Est penes perill. Heideggerum Tiguri.

142. *Veneta*, fol. cum interpr. Dom. Calderini et Ge. Merulae. Cf. Crenius Animadv. philos. Part. III, p. 17.

1544. *Paris.* VI, 16. ap. Sim. Colinaeum.

1544. *Turici*, 8. M. Val. Martialis Poëtae facetissimi epigrammata ad linguae Latinae copiam et varias rerum nomenclaturas utilissima, recens ab omni verborum obscoenitate in adolescentium praecipue scholarumque usum expurgata, et in locos circiter LXXX digesta, ac plerisque in locis emendata per Conradum Gesnerum, Medicum et naturalis philosophiae in Tigurino Collegio professorem. His accesserunt dialogi tres, in quibus ratio huius instituti redditur, et multa de puerilibus studiis egregie commemorantur. Iacobi Micylli Argentoratensis in M. Val. Martialis epigrammata annotationes. Tiguri excudebat Froschoverus anno MDXLIV. Edit. rar. vid. Bauer. et Engel. ubi legendum 1544, ex Cat. Bill. Bunav. et Schwarz. P. I, n.° 2203. Est penes perill. Heideggerum Turici.

1546. *Gryphiana* II, 8. Lugd. ap. Seb. Gryphium.

1546. *Basil.* III, 12. M. Val. Martialis Epigrammaton lib. XIV, summa diligentia castigati, per Nic. Brylingerum.

1550. *Gryphiana* III, 16. Lugd. ap. Seb. Gr.

1554. *Paris.* VII, Vascosani 4. ap. Vascosan. Martialis castus, ab omni obscoenitate repurgatus. Edit. rar. et nitida.

1559. *Basil.* IV, 8. ap. Hervag. c. n. Micylli.

1559. *Gryphiana* IV, 12. Lugduni, ap. Seb. Gryph. Eugel. Bibl. selectiss.

1560. *Lugd.* 12 ap. Vincentium: e castigatione Io. Boulierii ad fidem vetustissimorum librorum, ut est in titulo, cum notulis in margine.

1563. *Basil.* V, 12. per Nic. Brylingerum.

AETAS III. IUNIO-GRUTERIANA 1566—1618.

Inchoata ab Adr. Iunio, cuius recensio statim a Plantino et Ant. Gryphio recepta fuit, anno 1596 a Theod. Pulmanno cuius et Chph. Coleri notae Iunianis iunctae cum Indice a Ios. Langio docte confecto edit. Argentoratensem an. 1596 ornarunt; perfecta tandem Iani Gruteri curis ab an. 1596. Martialis resecti curatores novi exstitere Edmundus Augerius anno 1568, Plantino inserviens, et Andr. Frusius Gallus an. 1588. (1) Interea quoque commentatorum numerum auxerat Theod. Marcilius et Laur. Ramiresius de Prado, etc. Variorum has curas plerasque cum novis Desid. Heraldi et Nic. Rigaltii coniunxerunt Parisina Morelli an. 1601, et illa 1617. Superavit mox omnium interpretum curas egregia doctrina Matth. Raderi, qui Martialem castigatum illustravit an. 1602. Sed et iuventuti con-

(1) L'édition de Martial corrigé par le jésuite Frusius, mort en 1557, parut pour la première fois à Rome en 1558, in-8.°, avec une préface du P. Edmond Auger, B.

sulnit Th. Farnabius quum notis superiorum excerpendis, tum textu ex MSS. corrigendo. Metaphrasin epigrammatum Graecam scripsit Ios. Scaliger, editam primum 1607.

1566. *Plantiniana* I, Iunii. Antv. 8. ex Plantini officina, ex recensione Adr. Iunii, qui quaedam Martialis antea inedita e MS. Codice vulgavit libr. V, animadvers. cap. 17.

1567. *Gryphiana* V, 12. Lugd. ap. Ant. Gryphium. M. Val. Martialis epigrammata libri XIV, ex fide vetustissimorum exemplarium, quanta fieri potuit cura vigilantiaque nunc recens emendati: una cum annotationibus aliquot virorum doctorum perquam utilibus.

1568. *Plantiniana* II, Augerii, (1) Antv. 8. ap. Plantin. M. Val. Martialis epigrammata ab omni rerum obscoenitate vindicata, opera Edmundi Augerii (Iesuitae).

1568. *Plantiniana*, nescio an eadem cum priori Antv. 8. M. Val. Martialis epigrammaton libri XII, Xeniorum libr. 1, Apophoretorum lib. 1, ab Plantin. Ex Catal. Bibl. S. I. Lovan.

1570. *Dilingae*, 8.

1579. *Plantiniana* III. Antv. 12. ex recensione Adr. Iunii, ex offic. Plantin. quam edit. dein Ios. Langius in indice componendo secutus est. Collata quoque cum insigni MS. et cum Aldina I, fuit in Bibl. Fabriciana.

1584. *Gryphiana* VI, 12. cum scholiis variorum, imprimis Hadr. Iunii. Lugd. ap. Anton. Gryphium.

1584. *Paris.* VIII, Marcilii, 8. cum Theod. Marcilii notis, quas autem notas perstringit Scaliger Epist. LXIII et LXVI. Idem, notante Nic. Antonio Bibl. Hisp. Marcilius est, qui sub Claudii Musamberti nomine commonitoria ad Ramiresii quatuor libros hypomnematum in Martialem edidit, quae viderunt lucem Paris. 1607, 8. Sed Musambertus iste iuvenem esse se innuit, Marcilius autem iam hoc an. 1584 commentarios in Martialem ediderat. (2)

1587. *Plantiniana* IV, Antv. 4. (s. prima repetita) opera Edm. Augerii.

1588. *Colon.* 8. M. Val. Martialis epigrammata ab omni obscoenitate vindicata per Andr. Frusium: ex Catal. Zech. p. 60.

1593. *Plantiniana* V, 16. M. Val. Martialis epigr. libb. XII, Xeniorum liber. I, et Apophoretorum lib I. Ludg. Bat. ex off. Plant. ex Cat. Bibl. Ludewig n.° 12842.

1595. *Argentorati* II, Pulmanniana, 12. M. Val. Martialis Epigrammaton libri XV, hoc est, Spectaculorum liber I, Epigrammatum variorum libri XII, Xeniorum liber I, Apophoretorum liber I, post

(1) Seu potius Andreae Frusii. B.

(2) Voici le vrai titre de ses notes sur Martial: M. V. Martialis epigrammata in Caesaris Amphitheatrum et venationes, multis in locis emendata, illustrataque adnotationibus, In quibus pleraque omnia ad venationes amphitheatri pertinentia declarantur; auctore Theodoro Marcilio. Lutetiae, apud Aegid. Beysium, 1581, in-8.°.

Hadr. Iunii emendationem recogniti: et lectionis varietate doctissimorumque virorum observationibus illustrati. Adiecto novo rerum ac verborum singulorum indice absolutissimo, studio et opera Iosephi Langii Caesaremontani, Argentinae. Aere Lazari Zetzneri, Anno MDXCV.

1596. *Gruteriana* I, Francof. 12. ex Iani Gruteri iam accuratiori ad MSS. Palatinos et edd. vett. recensione. Quae editio cum MS. Viennensi ab eodem Grutero collata servatur in Bibl. Leidensi, in qua etiam obviae, praeter plures MSS. Martialis Codices, aliae editiones huius scriptoris cum castigationibus MSS. doctorum virorum, Is. Vossii, Francisci Iunii, etc.

1597. *Veronae*, 16. Epigrammata expurgata, Iusti Lipsii aliorumque annotationibus illustrata: ex Biblioth. Thuani.

1599. *Ingolst.* 8. M. Val. Martialis epigrammata: ex Catal. Bibl. Morgenbesserianae part. II, p. 109.

1600. *Paris.* 4. Desiderii Heraldi in libros XII Epigrammatum M. V. Martialis animadversiones.

1601. *Paris.* IX, Morelli, 4. m. ap. Morellum. Epigrammatum libri XIV, cum Comment. D. Calderini et Obss. G. Merulae. Eiusd. Martialis Epigrammata selecta Graece expressa a Morello cum notis. Item Marcilii comm. auctus ad Amphitheatrum, Desid. Heraldi adnott. et Nic. Rigaltii, it. scholia Adr. Iunii, Pulmanni et Coleri. Sic in Bibl. Hasaeanae Cat. cl. IV, p. 527, n.° 61.

1602. *Gruteri* II, Francof. 12. repet. praecedentis an. 1596.

1602. *Raderi*, Ingolst. fol. M. Val. Martialis Epigrammaton libri omnes novis commentariis, multa cura studioque confectis, etc. rerumque et verborum, lemmatum item, et communium locorum variis et copiosis Indicibus aucti a Matthaeo Radero, etc. cum gratia et privilegio Caesareae Maiestatis. Ingolstadii. Ex typographia Adami Sartorii. Anno Domini MDCII. Ita eam nobis descripsit perillustris possessor Heideggerus, Tribunus Reipubl. Turicensis. De prima Raderi edit. sic Ioseph. Scaliger Epist. 159, ad M. Velserum: «Valde laudo operam Raderi vestri in Martialem. Itaque me auctore multi emerunt librum illum, ut ego pretium illius excandefecerim. Laudo, inquam, eruditionem hominis et candorem Germanicum, qui sine ulla rubigine et maledicentia tam bene de bono scriptore meritus sit.» Confer Velseri Epist. 21. Commentarius Raderi, ait Ernesti, omnium est optimus, plenusque egregia doctrina, quem legisse neminem poenituerit.

1603. *Lugd.* 8. Ex Catal. Bibl. S. I. Lovan. p. 339.

1603. *Aureliae Allobr.* (Genevae) 4. in Corpore poët. Lat. exc. Sam. Crispinus. (Edit. I.)

1604. *Antv.* 8. ex recensione Matth. Raderi. Ex Cat. Bibl. S. I. Lovan. p. 339.

1607. *Paris.* 8. M. Val. Martialis Epigrammatum Metaphrasis Graeca a Iosepho Scaligero composita, cum Is. Casauboni praefat.

1607. *Paris.* 4. ap. Sonnium, c. Comm. Varr. et Indice Ios. Langii. Sic in Cat. Bibl. Thuan.

1607. *Paris.* 4. M. Val. Epigrammatum libb. xv, Laur. Ramiresii de Prado commentariis illustrati: cum Ios. Langii Indice omnium verborum. Vid. Cat. Bibl. Ludewig, n.° 12637.

1608. *Romae*, 8. ex recensione Andreae Frusii Galli. (1)

1611. *Raderi* II, Ingolst. fol.

1611. *Genevae*, 4. in corp. poët. Latin. Ed. 11.

1612. *Goslar.* 12.

1613. *Colon.* 8.

1615. *Farnabii* I, Lond. 8. c. n. Thom. Farnabii qui aliquot MSS. usus est ad textum corrigendum et superiorum optimorum notis.

1617. *Lutet. Paris.* fol. M. Val. Martialis Epigrammatum libri xv, cum variorum doctorum commentariis, notis, observationibus, emendationibus, et paraphrasibus, unum in corpus magno studio coniectis. Cum indice omnium verborum Iosephi Langii Caesari-Mont. (sed absque eius praef. et dedic. quam habet edit. Argent. 1595) et aliis indicibus locupletissimis. Lutetiae Parisiorum, apud Michaelem Sonnium, via Iacobaea sub scuto Basiliensi. Ex regis privilegio. Praecipua haec editio instructa est commentariis virorum doctorum notisque Domitii Calderini, Georgii Merulae Alexandrini, Theodori Pulmanni, Hadr. Iunii, Nicolai Rigaltii, Cristophori Coleri, Steph. Claverii, Fed. Morelli, et Ramiresii de Prado in librum Spectaculorum et quatuor primos Epigrammatum libros, atque adversus hunc commonitoriis Claudii Musamberti: Theodori item Marcilii in librum Spectaculorum, et in libros XII Epigramm. Desiderii Heraldi. Occurrit quoque in hac edit. Metaphrasis Graeca selectorum Martialis Epigrammatum composita a Iosepho Scaligero.

1617. *Lugduni*, 4. in choro poëtarum lustrato et illustrato ab. Alex. Ficheto. Expuncti vero sunt versus obscoeni.

S. a. *Francof.* 8. e recens. Iani Gruteri.

1618. *Lugduni*, 12. ex Andreae Frusii Galli recens.

1618. *Rothomagi*, 12. opera et studio Andr. Frusii S. I.

AETAS IV. RADERO-SCRIVERIANA 1619-1713.

A Petri Scriverii Batavi recensione, primum an. 1619 edita, ad criticam rationem exactior est. Sed una cum illo tamen regnarunt Raderiana recensio, quae cum commentario etiam curis tertiis meliori anno 1627 Moguntiae prodiit, et illa Th. Farnabii, quam posteriorem sibi excolendam sumpsit Corn. Schrevelius, ab anno 1656. In usum Delphini quidem Vincentius Collesso Martialem castratum illustravit an.

(1) 1609, *Lugduni, Morillon*, 24. ex recensione Andreae Frusii. B.

1680, sed et idem nescio an nocentius omnem obscoenitatem ad calcem libri congessit. Inter Collessi asseclas praestat editio Amstelaed. Lud. Smids an. 1701.

1619. *Scriverii* I, Lugduni Bat. 16. s. 12. M. Val. Martialis nova editio, cum Petri Scriverii animadversionibus: accedunt Iani Gruteri notae: Iosephi Scaligeri diatribe critica ad libellum de spectaculis in T. Marcilium; Ioannis Brodaei (ex libro x, Miscell.) Hadr. Turnebi notae in Epigrammata: Angeli Politiani, Iusti Lipsii, Iani Rutgersii et Isaaci Pontani notae ad quaedam loca. Lugduni Bat. ap. Io. Maire. Vide *Cat. de la Bibl. du Roi, Bell. Lettres*, T. 1, 321.

1620. *Luxemburgi*, 12. cura M. Raderi S. I.

1621. *Scriverii* II, Amst. 12. M. Val. Martialis Epigrammata, ex emend. P. Scriverii. Ex Cat. Morgenbess. part. II, p. 146, et Bibl. Thuan. T. II, p. 280, et Bibl. Hasaei p. 639, n.° 35.

1623. *Duaci*, 8. M. Val. Martialis Epigrammata. Vide Cat. Bibl. S. I.

1623. *Farnabii* II, Genevae, 12. c. n. Th. Farnabii.

1624. *Colon. Agrip.* 12. ex Raderi recensione, sine notis, obscoenis rescissis.

1624. *Farnabii* III, Sedan. 8. M. Val. Martialis Epigrammatum libri, animadversi, emendati, et commentariolis explicati; c. n. Thom. Farnabii.

1625. *Farnabii* IV, Francof. 12. M. Val. Martialis cum commentar. Th. Farnabii. Ex Schmidii. Cat. Lat. pag. 82.

1626. *Dilingae*, 12. ex recensione Raderi, obscoenis rescissis: sine notis.

1627. *Mogunt.* fol. Matthaei Raderi de Societate Iesu, ad M. Val. Martialis Epigrammaton libros omnes, plenis commentariis novo studio confectis, explicatos, emendatos, illustratos, rerumque et verborum, lemmatum item, et omnium locorum variis et copiosis indicibus auctos, curae tertiae, plurimis locis meliores, Moguntiae, sumptibus Ioannis Kinckii, Bibliop. Colon. Excudebat Hermannus Meresius. An. M. DC. XXIII, cum auctoritate Superiorum et privilegio S. Caes. Maiest. Editio haec est penes nos ipsos.

1627. *Genevae*, 4. in Corp. poët. Lat. Ed. III.

1628. *Colon. Agrip.* fol. Matth. Raderi Analecta tertiis commentariorum curis, ad Martialem iam editis addenda: ap. I. Kinckium, ad intersigne Monocerotis.

1628. 12. opera Andr. Frusii.

1629. *Scriverii* III. Amstel. 16. ap. Guil. Iansson. ex Museo P. Scriverii.

1630. *Antverp.* 24. m.

1640. *Aurel. Allobr.* 4. in Corp. poët. Lat. (Petri Bassaei). B.

1643. *Paris.* fol c. interp. et not.

1644. *Farnabii* v. Amstel. ap. Blaeu. 12. c. n. Th. Farn.

1645. *Farnabii* VI. Amstel. 12. c. n. Thom. Farnabii.

1647. *Farnabii* VII. Genevae, apud Sam. Chouet cum notis Th. Farnabii. 12. B.

1650. *Scriverii* IV. Amstel. 12. ap. Lud. Elzev. Repet. ed. Scriverianae a. 1619. Lugd. B.

1654. *Farnabii* VIII. Amstel. 12. c. n. Thom. Farnabil.

1656. *Farnabio-Schreveliana* I. Lugd. Bat. 8. c. n. Farnabii, additis selectis aliis, cura Corn. Schrevelii.

1657. *Veneta*, 4. M. Val. Martialis Epigrammatum medicae aut philosophicae considerationis enarratio: sive de medica Martialis tractatione commentarius Caes. Zarotti. Venetiis ap. Baba: 1657. Vide *Cat. de la Bibl. du Roi*, *Bell. Lett.* T. 1, p. 421.

1661. *Farnabio-Schreveliana* II, Lugd. Bat. 8. ap. Franciscum Hackium. M. Val. Martialis Epigrammata cum notis Thom. Farnabii, et variorum, genuinoque indice tum rerum tum auctorum. Accurante Corn. Schrevelio. Etiam Io. Frid. Gronovii notas alibi non inveniendas haec editio habet.

1670. *Farnabio-Schreveliana* III, Lugd. Bat. 8. ex offic. Hackiana. Repet. edit an. 1661.

1670. *Farnabii* IX, Amstel. 12. ex offic. Ianssonio-Waesbergiana, c. n. Thom. Farnabii.

1673. *Eadem*, ibid. 12.

1680. *Tolosae*, 8. Petrus Rondellus libros quinque Epigrammatum e Martiale selectorum cum notis suis vulgavit. (1)

1680. *Paris.* 4. ap. Antonium Cellier, via Citharaea. M. Val. Martialis Epigrammatum libros XV, interpretatione et notis illustravit Vincentius Collesso I. C. iussu Christianissimi Regis, ad usum Serenissimi Delphini. Editio mutilata; sed (nescimus in quem usum) Epigrammata obscoena in calce adiecta sunt.

1701. *Lond.* 8. Repet. edit. Collessi anni 1680.

1701. *Amstel.* 8. ap. G. Gallet praef. typogr. Huguetanorum. M. Val. Martialis Epigrammata paraphrasi et notis variorum selectissimis, ad usum Ser. Delphini interpretatus est Vincentius Collesso. Numismatibus, historias atque ritus illustrantibus, exornavit Lud. Smids. Et huic editioni in calce obscoena subiiciuntur.

1704. *Farnabii* X, Amst. 12. c. n. Th. Farnabii.

AETAS V. 1713 — 1782.

Quam a quarta distinguimus, ne haec longior videatur, et quod novi curatores qualecumque nomen suum praeponere maluerunt suis edd. quam sibi ab aliquo antiquiori conciliare auctoritatem; neque tamen sic melius de auctore promeriti videntur. In his numerandi

(1) Le titre de cette édition est ainsi conçu: M. V. Martialis Epigrammatum selectorum libri V. Commentario brevi notisque illustrati a Petro Rondelle, S. I. Tolosae, Pech. 1679, petit in-12. B.

sunt Mich. Maittaire, Londinensis, et Abb. le Mascrier, Parisinae curatores.

1713. *Londini*, fol. in Corp. poët. Lat. Maittariano, vol. II, p. 1118 — 1246.

1716. *Londini*, 12. ex offic. I. Tonson et I. Watts. M. V. Martialis Epigrammata, ex recensione Mich. Maittarii. Edit. nitida.

1729. *Aug. Vind.* 12. M. V. Martialis Epigr. Libb. XII, Xeniorum L. I, Apophor. L. I.

1729. *Ingolst.* c. n. Iuvencii, 8.

1743. *Lugduni B.* c. n. Farnabii, 12.

1744. *Lugduni B.* 12. Eadem rep.

1754. *Paris.* 12. mai. Voll. II. M. V. Martialis Epigrammatum libri, ad optimos codices recensiti et castigati, editore Abb. le Mascrier. Paris. apud Carol. Robustel et Natalem le Loup, ad ripam Augustinianorum, typis vero Coustelierii. Vide Diction. Hist. portatif. T. III, Caën. 1779, 8.

1754. *Paris.* 12. Voll. II, typis Iosephi Barbou, cum figg. (1)

1764. Ant. de Rooy Coniecturae crit. in poëtas vet. et Martialem. Traj. ad Rh. 8. (2)

1782. *Manhemii*, cura et sumtibus Societatis literatae, 8; quae sequitur edit. Parisinam ap. Barbou, et Martialem non resectum exhibet.

Nos textum Scriverii, a Schrevelio recognitum, recepimus, denuo collatum a nobis cum Raderiano et Farnabiano. Inter varias variorum auctorum vitas Martialis, quum potior nobis visa esset, illa Matth. Raderi, ex ipso Martiale concinnata, priori eam volumini praemisimus. Secundo volumini adiecimus, eumdem Schrevelium sequuti, Appendicem Epigrammatum Martiali sive vere sive perperam suppositorum (cf. cl. G. E. Lessingii Vermischte Schriften Berlin. 1771. t. 1. de Martiale § 4), uno Epigrammate, nobis x, auctiorem; quod ex Codice Salmasii, qui nunc exstat in bibliotheca regia Parisina, a Gudio descriptum primus in lucem protulit cl. Lessingius l. c. Subiunximus tandem, quo sibi responderet utriusque voluminis nostri plagularum numerus, Diversorum poëtarum in Priapum Lusus, ex novissima eorum editione, quae prodiit an. 1781, sine loci et impressoris nota. De iis videsis Notitiam literariam in Virgilii nostri Vol. II, p. 255. (3) Sic Bipontini.

(1) C'est la même édition que la précédente avec un nouveau frontispice. B.

(2) Ant. de Rooy nondum editae Animadversiones in Martialis epigrammata. Hardervici 1786, in-8. B.

(3) Les *Priapées* ne se trouvent pas dans notre édition de Virgile, parceque M. Heyne était persuadé que ces opuscules licentieux n'étaient pas de ce poète. Voyez sa notice *de Virgilii editionibus*, t. VII de notre édition, p. 462. B.

VERSIONES

Gallicam versionem Epigrammatum omnium Martialis, et prosaicam et metricam, fecit Mich. de Marolles, Paris. 1655, 4, utramque haud magni pretii. (1) Iuvencii Gallicam metaphrasin, et Faillii in Martialem notas memorant auctores de l'Histoire des ouvrages des Savants 1693. Nov. pag. 130: *le P. Iouvenci Jésuite a publié une traduction des Épigrammes de Martial*, *demptis obscœnis.* Iidem p. 131: *M. de la Faille a publié quelques petits ouvrages*, *comme des notes sur Martial.* (2)

Germanice singula Martialis Epigrammata s. verterunt, s. carmine vernaculo imitati sunt, Mart. Opitzius, Wernikius, Trillerus, Tscherningius, Weissius, Anonymus in Collectione carminum comicorum, lyricorum, et epigrammaticorum, Francof. et Lips. 1764. Hymmius, Wilkensius, et qui omnes facile post se relinquit cl. G. E. Lessingius. Cf. eorum Opp. et Collectionem praecipuorum Epigrammatum Germ. Rigae, 1766, 8.

Hispanice nonnulla Martialis Epigrammata interpretatus est Emmanuel de Salines. Cf. Lorentii Graciani Arte de Ingenio.

Graecum fecit Martialem Ioseph. Scaliger in Florilegio Martialis, edito ab Is. Casaubono Paris. 1607, quo Libellus de Spectaculis, lib. XIII, et XIV, ferme integri, et ex caeteris duodecim libris Epigrammatum satis magnus numerus comprehenditur. Quae quidem opera Martiali locata a Scaligero, laudatur et in caelum effertur a Casaubono, sed merito perstringitur a Monnoyo in Menagianis t. 1, pag. 325—336, ed. Paris. Inserta etiam reperiuntur haec Epigrammata in maiore editione Parisina Martialis, cum aliis eiusdem Epigrammatibus a Franc. Morello translatis. (3) Nempe et Morellus iam ante Scaligerum quaedam Martialis graece verterat, separatim ab ipso duabus plagulis edita circa ann. 1600. Sed male omissa sunt auctorum nomina in editione Parisiensi. Pauciora Epigrammata itidem in sermonem Graecum transtulerunt Dousa maior, Eman. Martinus, Menagius, alii.

Hadriani Beverlandi notae ineditae ad Martialem et Iuvenalem MSS. memorantur in Novellis Reipubl. literariae an. 1699, t. 1, pag.

(1) La première parut en 1655, 2 vol. in-8; et la seconde en 1671, in-8, et en 1673, in 4. B.

(2) Le P. Jouvency a publié, en 1693 à Paris, une édition de Martial, corrigée, avec une interprétation latine, et non avec une traduction française. Quant à M. de la Faille, l'auteur de l'*Histoire des ouvrages des Savants* paraît l'avoir confondu avec Costar, traducteur des *plus beaux endroits de Martial*, Toulouse 1689, 2 vol. in-12. B.

(3) La première édition de la traduction grecque des épigrammes de Martial par Ios. Scaliger, parut sous ce titre: Anthologia epigrammaton Martialis Jos. Scaliger Iul. Caes. F. vertit graece. Petrus Scriverius publicavit. *Excudebat Guyotius typis Raphelengianis* (*Lugd. Batav. seu Antuerpiae*), 1603, in-12, voy. le Catal. de la Bibliothèque d'un amateur (M. Renouard), *Paris* 1819, t. 2, p. 297. Le Lecteur trouvera ces différentes traductions grecques dans cette édition-ci. B.

468. Nescio quem Martialis interpretem ridet Barthius ad Statium, t. 1, pag. 473. Marcilium an Scriverium? qui Scaligero in Epistolis dicitur Lentulus, et in quo nihil ornati, nihil culti reperiri ait Holstenius Epist. ad Elmenhorstium (post Gudianas) p. 920. Salmasii et Isaaci Vossii editionibus fata intercessere. (1)

Recensui Editionum praecedenti pauca de more subiicimus, quae vel a Bipontinis praetermissa sunt, vel post Martialem ab iis editum prodiere.

M. V. Martialis, sine anno, loco, et nomine editoris aut typographi, 4. Bibl. Spenceriana, vol. II, p. 175.

M. V. Martialis alia editio, sine anno, loco, et nomine editoris aut typographi. Ibid.

M. V. Martialis cum comment. Calderini, fol. Venet. 1485, Bibl. Pinell.

M. V. Martialis Epigrammatum libri XIV, cum commentariis Domitii Calderini Veronensis, Ven. 1491, fol. Bibl. Advocatorum apud Edinb.

Editio Martialis prodiit 1492, per Bernardinum de Choris de Cremona. Vide Harlesii Suppl. ad Brev. Not. etc. vol. II, p. 118.

Editiones Aldinas tres tantum memorant Bipontini et Fabricius: sed quatuor notat Harlesius, n.o 1501, 1510, 1512, 1527. Adiicit vero, num omnes sint genuinae, fidem se praestare non posse; et suspicari videtur ex iis unam (1501) ex Guil. Huyon, aut ex alia quadam officina furtim exiisse. (2)

M. V. Martialis Spectaculorum liber, et Epigrammatum primus, cum Cornucopiae sive commentario amplissimo Nic. Perotti Sipontini, Paris. 1507, fol.

M. V. Martialis Lugd. 1518, 8.

M. V. Martialis Epigrammatum libri XIV. Ven. ap. Ald. 1534, 8. Bibl. Bodl.

M. V. Martialis Epigrammatum octavus liber, Paris. 1548, 4.

M. V. Martialis Lugd. Bat. 1548, 8.

M. V. Martialis, etc. interpretantibus Calderino et Merula, Venet. 1552, 8.

M. V. Martialis. Lugd. Batav. 1600, 16.

M. V. Martialis. Lugd. Batav. 1612, 16.

M. V. Martialis cum commentariis Farnabii, Lond. 1633, 1655, 1673, 1677, in 8.

Martialis Epigrammata, edente Ricardo Busbeyio, in usum Scholae Westmonasteriensis. Lond. 1661, 1670, 1689, 12; 1721, 1755, 8 et 1773 magis aucta.

(1) Il existe une traduction du livre des Spectacles, en polonais, par Joseph Minazewiscz, Varsovie 1759, in-4 et 1766, in-8 B.

(2) L'édition de 1512 a été faite à Lyon, où avait déjà paru avant 1505, une contrefaçon de l'édition de 1501. B.

M. V. Martialis Epigrammata apud Elzev. Amstel. 1664, 16.

M. V. Martialis Epigr. selecta, cum notis Vorstii, Lips. 1675, 8.

M. V. Martialis. Lugd. Bat. 1695, 16.

M. V. Martialis Epigrammata, cura Thomae Fitzgeraldi. Lond. 1721, 1740, in-8.

M. V. Martialis Epigr. Lond. 12. 1724.

M. V. Martialis Epigr. Glasguae 1759, 12. (1)

M. V. Martialis, Lond. 1783, 8.

M. V. Martialis Epigr. in XII libros digesta; ut uni (haec sunt verba editoris) sic omnibus poëtis facem praeferente Iacobo Elphinstone » Lond. 1782, 8. Praefigitur Martialis effigies ex gemma ampliata, et copiosa introductio ad poëtas, praecipue ad Martialem spectans. Sine annotationibus.

Iacobus Elphinstone, qui Latine Martialem edidit, idem Anglice vertere eum conatus est. Tam editio quam versio satis nitidâ quoad typographiam; quoad alia, facta est versio astris satis malignis. Aliquid est, nisi Anglicam vocaveris. Linguam suam spernere videtur interpres, ideoque pro metaphrasi Anglicana vix legenda haec versio. Et revera nulla videtur esse omnium librorum Martialis Anglica versio de qua optime praedicandum sit.

M. V. Martialis Epigrammata ad optimas editiones collata. Praemittitur notitia literaria, studiis societatis Bipontinae. Editio accurata. Biponti, 1784, 2 vol. 8.

M. Val. Martialis Epigrammata, ex editione Bipontina, cum variis lectionibus, notis Variorum, notitia litteraria, et indice locupletissimo accurate recensita. Londini, curante et imprimente A. I. Valpy, A. M. 1822, 2 vol. in-8.

Marziale, fedelmente tradotto in Italiano da Giuspanio Graglia. Lond. 1785, 2 vol. 8.

Martialis Ramleri in v tom. Lips. 1787—1791, 8. Accedat Anhang zum Ersten Theil ibid. 1793, 8.—Idem Ramlerus Germanicam Martialis versionem dedit. In hac vero non omnia Ramlero assignanda sunt. Varia epigrammata a variis interpretibus versa sunt, quae omnia Ramlerus in unum corpus collegit, et dimidio plus ipse interpretatus est.

M. V. Martialis, Viennae 1804, 8. 2 voll.

Epigrammes de M. V. Martial, Lat. et Fr. nouvelle traduction. A Paphos. Paris. 3 voll. 8. 1807.

M. V. Martialis, Franc. ad Moen. 1808, 8. Textus nitidus et emendatus, absque notis, in usum scholarum.

(1) La traduction des Epigrammes de Martial en vers et prose, par Gaullyer. Paris. 1738, in-12. — Epigrammes choisies de Martial, traduites en français avec des remarques. Avignon 1752, in-12. B.

M. V. Martialis Epigr. ex optimarum editionum collatione concinnata. Lond. 1816, 18.

Epigrammes de M. V. Martial. Traduction nouvelle et complète, par E. T. Simon. Avec le texte Latin, et des notes, et les meilleures imitations en vers Français. Paris, 1819, 3 voll. 8.

Inter ea quae Martialis epigrammata quaedam complectuntur, vel eiusdem sunt imitationes, haec sequentia numerentur.

Epigrammatum delectus ex omnibus tum veteribus tum recentioribus poëtis (maxime ex Martiale) accurate decerptus (cura Cl. Lancelot, Benedictini) cum dissertatione de vera pulchritudine (a P. Nicole) *Parisiis, Savreux*, 1659, in-12; Londini multoties recusus.

Flowres of Epigrammes out of sundrie the most singular authors, selected by Timothie Kendall, late of the Universitie of Oxford. Quaedam in hac collectione sunt editoris et interpretis, alia aliorum, plurima vero Martialis Lond. 1577, 16. Warton, Hist. poët. vol. III, p. 452.

Epigrams of Martial translated into English by R. Fletcher. Inter haec inseruntur varia ipsius interpretis. Lond. 1650, 8.

Marcial Redivivo, Hispanice. Bilbilitani nostri poëtae hic interpres est Don Antonio Gonzalez de Salas, Hispanus. Non vertit omnia Martialis, sed ea tantum quae visa sunt praestantiora. Idem est cui tribuitur versio Persii in lingua Castellana, et qui publicavit Parnaso de Quevedo, *Ensayo de una Bibliotheca de Traductores Espagnoles*, etc. p. 100.

In *The Works of Mr. Thomas Brown, serious and comical*, 4 voll. Lond. 12. multa sunt Martialis.

Multa etiam Martialis Epigr. selecta et Anglice versa sunt a Gul. Hay, cum Appendice continente Abr. Couleii et aliorum Epigrammata ex Martiale Anglice versa. Duae sunt editiones huius operis: una Lond. 1755, 8, Angl. sine Lat.; altera cum Lat. in pag. opposita, 12. Rursus etiam edita sunt in Hayii operibus, Lond. 1794, 4. Versiones in hac collectione bene audiunt.

Wrightii Angl. Versiones, una cum Catonis Distichorum versione. Lond. 1763.

Varia etiam sunt Epigrammata Anglice versa ex Martiale in Poëmatibus Samuelis Rogers, 2 voll. 8. Lond. 1782.

Sinngedichte des Martialis, Metrisch übersezt ab I. G. Zimmermann, Francof. ad M. 1783, 8. Martialis epigrammata hic versa sunt CLXXVII. Alia sunt editoris lusus satis, ut fertur, felices.

Epigrammata Martialis, cum titulis ex Horatio sumptis, interpretata, imitata, et applicata viris nobilibus, ingenuis, et clericis, sub nomine viri Rev. Scott, Trin. Coll. Camb. sed, ut fertur, non eius erant: cuiuscumque vero fuerint, nihil insulsius aut audacius.

Excerpta ex variis Latinis poëtis qui in scholis non leguntur, notulis illustrata, quae collegit, in usum studiosae iuventutis, J. Roger Pitman. Lond. 1808, 8. Inter haec multa sunt ex Martiale bene selecta.

Feliciter etiam Germanice vertit LX Martialis Epigr. I. A. Nasser, in *Satirische Anthologie, aus röm. Dichtern übersezt.* Kelon. 1810, 8.

Particularum Martialis Epigrammatum versiones abundant, tam ab exteris quam a nostratibus undequaque sparsae, quas notare opus esset infinitum. Satis sit unam et alteram Anglicam indicare; nempe celeberrimi nostratis B. Jonson (Epigr. 77, Lib. VIII.) in *Specimens of scarce Translations of the seventeenth century*, etc. Lond. 1805, 8. Ioannis Oldham, inter poëmata eius, 1713. cl. Isaaci Watts, S. T. P. inter poëmata eius, et variorum interpretum in *Gentleman's Magazine* vol. V, VI, VII, *Universal Magazine* Aug. 1761, etc.

Inter *Observationes*, etc. *in* Martialem, ab operibus eius seiunctas, numerentur, inter alia, quae sequuntur.

Ad M. V. Martialis Epigrammata Lectiones Variantes et Notae ineditae Hadr. Beverlandi, memoratae in Novellis Reipubl. Lit. ann. 1699, tom. I, pag. 468, deinde editae sunt in D. Ferdinandi Stosch Musei Critici vol. I, Lemgoviae 1774, 12.

Vita Martialis a L. Crusio, in eius *Lives of the Roman Poëts*, Lond. 1726, 2 voll. 4. vol. 2. p. 77.

Observationes in Characterem et scripta Martialis, ab Edm. Burton, nuper soc. Trin. Coll. Cantab. in eius *Ancient Characters deduced from classical Remains.* Lond. 1763, 8.

Vt magna lis orta est de *Anchialo* Martialis (Epigr. XI, 94), hic memorentur P. Zornii Dissertatio de scholis publicis, Ploënae 1716, et comment. de Martialis *Anchialo* edita ab A. L. Zacharia, in Nov. Bibl. Bremensi, class. V, fasc. II, pag. 367, Bremae 1765, 8. Narratur breviuscule de vita Martialis, breviuscule de eius operibus iudicatur in immensa antiquarum quasi Encyclopaedia cui titulus, *Dictionnaire historique, géographique, mythologique et critique de l'antiquité, par Sabbathier de Châlons*, tom. XXVII, pag. 425.

Censura perstrinxit varia Martialis epigrammata cl. Tiraboschius, Hist. Literat. Ital. vol. VII, et Serranus Hispanus contra illum scripserat. Secuta est Tiraboschii defensio, Ferrarae 1776, et deinde in utramque partem lis magna, de qua consulere est Giornale di Modena t. XII.

Epistola critica cl. Goënsii memoratu dignissima est, ut quae rara et plurimis incognita, multa tamen, ad Martialis epigr. attinentia, pretiosa continens. Tota haec epistola in Harlesii Suppl. ad brev. Not. Lit. Rom. vol. II, p. 126, exhibetur.

Observationes criticae in Martialem a J. Jortin, S. T. P. in tractatibus eius philologicis, criticis, et miscellaneis, pp. 274—280. Lond. 1790, 8.

Vitam Martialis et de eo iudicium quoque invenire est in eximio opere, *Histoire de la littérature Romaine, par Frédéric Schoell.*

On trouve un jugement assez étendu sur Martial dans la *nouvelle Bibliothèque d'un homme de gout*, Paris 1808, in-8, t. 1, p. 152. Voyez encore Martial considéré comme écrivain et comme peintre de moeurs; par M. Malte-Brun, dans le *Spectateur*, Paris 1814 et 1815, 3 vol. in 8.

DE

METRIS MARTIALIS

Vt varia et multiplex Epigrammatis materia est, ita et rhythmi varia et multiplex ratio esse potest. Quod quanquam Graecis epigrammatariis minus usitatum fuit, ut Anthologiam legentibus patet, neque horum opusculorum pulchritudini contrarium est, et Catullus, literariae venustatis optimus iudex, in deliciis habet. Hunc sequutus Martialis numeros haud sine consilio variavit, et libellos suos voluit, si fas ita iocari, numeris omnibus absolutos.

Hinc operae pretium fore nos duximus, si pauca de versuum quos quidem ille usurpavit textura et usu adumbraverimus. Aliquando enim satis eruditis viris accidit, ut carminum quasdam formas vel minus recordentur, vel plane nesciant: quid tirunculis, quorum tamen plurimis Martialis nostri vel quaedam vel pars melior praelegi potest? Anne autem rhythmi elegantiam et poëtae beatam venam ii intelligent, si quot syllabae, qui pedes ad versum faciant, perspectum non habuerint?

Porro, quae hic brevissime exaraturi sumus, duas in partes sponte scinduntur et discedunt: de struendis et coaptandis versibus in priore disputabitur; indicabit pars posterior quem habitum, quem χαρακτῆρα, quod veluti ingenii genus versus praeferat, et quae potissimum quisque aptius exprimat. Illa technica omnino est, haec vero literaria; illa ad versificationem spectat, haec ad poësin; illa solertiam quodammodo manifestat, haec ingenium.

I. *Quibus numeris sua scripserit Martialis, et quos versus coaptaverit.*

Septem versuum genera usurpavit Martialis: horum autem tres semper monocolon opus (1) efficiunt, tres ita coniunguntur et miscentur,

(1) *Monocolos* vel *monocolon* (subaud. vel *poësis* vel *poëma*), id appellatur poëtici operis genus, quo una, et eadem perpetua, versus forma admittitur, ut in heroicis Carminibus, ut in Horatianarum Odarum prima: » Maecenas atavis edite regibus. etc. «, vel in hoc epigrammate Martialis: » Issa est passere nequior Catulli, etc. « *Dicolos* vero aut *dicolon* id significat, quo duplex versuum genus miscetur et alternatim redit, ut in Flacci omnibus fere Epodis, ut in his quae Elegiacos versus, aut breviore nomine Elegos vocant; *Tricolos* aut *Tricolon*, quum triplex versuum genus; *Tetracolos* aut *Tetracolon*, quum quadruplex, etc. Porro notandum in lyricorum principe Horatio, nunquam plus quam Tricolon inveniri; at in Pindaro, et Tragicis Graecis saepissime Octocolon, Decacolon, aliquando Pentecaedecaco-

ut in dicolon semper evadant; septimum (vel primum, nam primum hunc mox nominabimus) modo in dicolis collocatur, modo in monocolis.

1. *Versuum structura.*

Antequam altius nos ingrediamur materiam et legentes doceamus, qua et quali et quotuplici versuum specie gaudeat Martialis, admonitos omnes et singulos volumus minime nobis placuisse breves quidem, at absurdas versuum denominationes quas alii perpetuum usurparunt, ut Hendecasyllabos, Aristophanios. Hos nempe *hendecasyllabos*, hoc est, ex undecim (ἕνδεκα) syllabis (συλλαβαῖς) compositos vocant,

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,
Passer mortuus est meae puellae!
(CATVL. Carm. II.)

At nonne ex undecim syllabis constant tres qui Sapphicam strophen incipiunt?

I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus; i secundo
Omine, et nostri memorem sepulcro
Sculpe querelam.
(HORAT. lib. III, Od. XI, str. 13.)

Nonne et undecim quoque syllabarum series efficit hos versus, quos Alcaicum melos in principio habet?

Cur invidendis postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?
(Idem, lib. III, Od. I, str. 12.)

Nonne demum in hoc dicolo e duobus versibus semper alter undecim syllabas habet:

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,

---

lon, Eccaedecacolon, Eptacaedecacolon. Caeterum ne has voces *Tricolos*, *Tetracolos*, cum his *Tristrophos*, *Tetrastrophos*, easdem putes: *Tristrophos* aut *Tetrastrophos* strophen indicat quae tres aut quatuor versus habet; *tricolos* aut *tetracolos* quae triplex aut quadruplex versuum genus. Sic, v. g. id Horatii, lib. II, Od. XIV, 21 et seqq.

Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; nec harum quas colis arborum
Te, praeter invisas cupressus,
Ulla brevem dominum sequetur.

tetrastrophon est (nam quatuor versus in tota strophe continentur), at tricolon (nam tres tantum versuum species hic occurrunt, quum primi duo eumdem rhythmum habeant.)

Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa; neque Attali
Ignotos haeres regiam occupavi;
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.
(Idem, lib. II, Od. xviii, vs. 1 sqq.)

Quod si ea nunc nomina respicis, quae ab auctore et inventore poëta derivantur, his idem vitium obiicies. Ex. gr., hunc versiculum, Horat. lib. I, iv, 1:

Solvitur acris hyems grata vice veris et Favoni,

Aristophanium vocant: nam Aristophanes hunc primus invenit, hunc frequens usurpavit. At quot et quam varios Aristophanes! Evolvantur nempe ipsius comoediae in choris, et vel stropha una exscribatur:

Ζῆνα τύραννον ἐς χορὸν
Πρῶτα μέγαν κικλήσκω,
Τόν τε μεγασθενῆ τριαίνης ταμίαν,
Γῆς τε καὶ ἁλμυρᾶς
Θαλάσσης ἄγριον μοχλευτήν.
Καὶ μεγαλόνυμον ἡμέτερον πατέρ',
Αἰθέρα σεμνότατον, βιοθρέμμονα πάντων,
Τὸν θ'ἱππονώμαν, ὃς ὑπερ-
λάμπροις ἀκτῖσιν κατέχει
Γῆς πέδον, μέγας ἐν θεοῖς,
Ἐν θνητοῖσι τε δαίμων.
ΑΡΙΣΤΟΦ. Νεφέλ.

En versiculi undecim qui omnes rhythmo discrepant: namque si omnes breviter libet percurrere,

Primus e dactylo uno, trochaeis duobus, et syllaba longa constat;

Alter, e dactylo, trochaeo, spondaeo;

Tertius e dactylo, trochaeis duobus, syllaba longa et choriambo;

Quartus e dactylo, trochaeo et syllaba longa;

Quintus ex iambo syllabaque longa, anapaesto, et rursus iambo syllabaque longa;

Sextus e dactylis 4;

Septimus e dactylis 4 et spondaeo;

Octavus e spondaeo, iambo, choriambo;

Nonus e dispondaeo et choriambo;

Decimus e trochaeo, dactylo, iambo, syllabaque;

Undecimus e spondaeo, dactylo, iambo.

Num unus duntaxat ex omnibus, Aristophani nomen feret, quum sint omnes Aristophanis? Num, si omnes Aristophanios vocaveris, alios ab aliis iam discernere erit?

Necessarium ergo cum antiquis Grammaticis et σχολιασταῖς arbitramur aliis nominibus versus distinguere; quae, ut principio forsan salebrosa et putida, sic deinde commodissima et simplicissima videbuntur.

Atqui tria in versu construendo perpendenda sunt: 1. qui pedes in eo dominentur; 2. quot ille pedibus insistat; 3. an integer, an truncus pes ultimus. Hinc tribus verbis opus est ad unum versum designandum: priore pes principalis designabitur; altero, pedum numerus; tertio demum ultimi pedis integritas.

Sic versiculus qui dactylos quatuor continet, hic vocabitur: *Dactylicus tetrameter acatalectus*; si quid autem in ultimo dactylo deficiat, *Dactylicus tetrameter catalectus* aut *in syllabam* aut in *bisyllabum*. (1)

Veniamus tandem ad propositum et omne genus rhythmi, quod usurpavit Noster, introspiciamus.

1) Primus versus est Dactylicus hexameter catalectus in sylla-

---

(1) Hic necessarium aliquantulum immorari.

1. Si pes dactylus dominatur, Dactylicum versum habes; si vero anapaestus, Anapaesticum; si trochaeus, Trochaicum; si iambus, Iambicum, et sic de aliis; nil facilius.

2. Si pes unus, deberet versus appellari *monopes*; si pedes duo, *dipus*; si tres, *tripus*. At, quam ob caussam nescio, in his appellandis, metrorum, non pedum ratio habetur; et monometer, dimeter, trimeter dicuntur. Porro metrum modo idem est quod pes unus, nempe in Dactylis, Choriambis et Antispastis; modo idem quod pedes duo. Hinc Dactyli, Choriambici, Antispastici versus, si uno pede insistant Monometri nuncupantur, si duobus, Dimetri, si tribus, Trimetri, etc. at Iambici, Trochaici, Anapaestici, alii denique omnes quibus nunquam unicus pes, si duos pedes habeant, Monometri, Dimetri si quatuor, Trimetri si sex, Tetrametri si octo. At, inquies, si tres, si quinque, si septem habeant? mox doceberis.

3. Si pes mancus exstiterit, versus est Catalectus, quasi deficiens, a Graeco καταλήγειν; si integer, Acatalectus. At duplici modo Catalectus esse potest; nam vel deficit una syllaba, tunc *Catalectus in Syllabam* est, aut simpliciter *Catalectus*; vel duo deficiunt, tunc *Catalectus in bysillabum* vocatur aut *Brachycatalectus*. Si, quod rarissime et in Iambicis Trochaicisque solis accidit tres deficiunt, tum varii varie rem efferunt: aliis nempe Catalectus in trisyllabum dicitur versus; aliis pro Trimetro Dimeter, pro Dimetro Monometer versus censetur, et praeterea *Hypermeter*, hoc est supra mensuram, dicitur; nam perspicuum maxime est, et eumdem esse Dimetrum cui tres syllabae desunt, ac Monometrum qui unam habet plus quam necesse est, Trimetrum tribus syllabis carentem et Dimetrum una abundantem, etc.

Omnia haec exemplis facile illustrabuntur, et ex obscuris clarissima velocissime evaserint. En, longiusculus versus:

Iupiter omnipotens iaculatur ab aethere fulmina?

Quis pes in hoc versiculo dominatur? aurem pauxillum applicato, vides iam dactylos esse omnes; ergo Dactylicus versus est. Iam quotuplex dactylus? mica digitis; sex numeras, en habes ergo, pro Dactylico, Dactylicum hexametrum. Tum pes ultimus, mutilusne est, an integer? syllabas numera; tres illae sunt, ergo pes totus, ergo versus, pro Dactylico hexametro, Dactylicus hexameter acatalectus. Quod autem versiculi genus cum isto nunc confundi potest?

At finge pro *fulmina*, *fulmen*, ita ut scriptum habebamus:

Iupiter omnipotens iaculatur ab aethere fulmen.

versus erit Dactylicus hexameter catalectus in syllabam.

bam, qui vulgo hexameter dictitatur, quod sex pedibus constet, vel heroicus, quod heroum facta et laudes frequentissime narrat. Nos aptissimo nomine sat designamus, qualis et quantus sit, Dactyli dominantur, sed spondaci admittuntur in pedibus quatuor prioribus et sexto. Admittuntur autem, quia ut in dactylis, sic in spondaeis pronuntiandis temporis par intervallum consumitur; pes autem sextus, quum sit dactylus, truncus idem est ac trochaeus, pro quo in extremo versu spondaeus bene ponitur.

At a quinto spondaeus removetur, quia in omni versu ille pes qui versui nomen imprimit, ni bis aut ter, certe semel reperiri debet; quo autem in loco clarius videbitur quam in ultimo, si Acatalectus versus; in penultimo, si Catalectus? Ergo, necessario pes quintus dactylus est.

Multa autem varietas et in rhythmo et numero syllabarum huic carmini inest, quum tot modis coaptari et misceri possint dactyli et spondaei.

Numquam autem minor numerus syllabarum est quam tredecim; nam etsi pedes quinque bisyllabi sint, unus est trisyllabus: nunquam vero, modo nil elidatur, maior est quam septem et decem; nam etsi quinque pedes trisyllabi sint, restat unus et bisyllabus.

2) Secundo loco nominatur in Prosodiis et a nobis similiter nominabitur Asynartetus ille qui constat e duobus Dactylicis trimetris catalectis in dissyllabum, ut:

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ille versus, ut patet, duo in partes fere aequales ultro discedit,

---

Tum si unam syllabam eripias:

> Iupiter omnipotens iaculatur ab aethereo
> Limine fulmineos ignes, etc.

prior versus esset Dactylicus hexameter catalectus in bisyllabum.

Altius penetremus et sublato primo pede exseribamus:

> Omnipotens iaculatur ab aethere fulmina
> Omnipotens iaculatur ab aethere fulmen
> Omnipotens iaculatur ab aethereo, etc.

tres versiculos exarasti Dactylos pentametros; at prior, Dactylicus pentameter acatalectus; alter Dactylicus pentameter catalectus in syllabam; tertius Dactylicus pentameter catalectus in bisyllabum.

Haec satis; neque quidquam iam adiiciendum, nisi quosdam versus e pedibus tam contrariis constare, ut minime pervideas et assignes quis in his dominetur, tunc versus dicitur *asynartetus* et in duos alios scinditur. Iste, verbi gratia, qui Alcaicam strophen terminat;

> Impavidum ferient ruinae

vel

> Martis equis Acheronta fugit

asynartetus est, constans tum ex Dactylico dimetro acatalecto; tum ex Trochaico monometro catalecto.

sed notandum in priore spondaeos et dactylos simili modo accipi, in posteriore, dactylos solos. Caeterum hunc in scholis Pentametrum nominant.

Id monebimus obiter, agnosci a quibusdam in eo post duos dactylos spondaeum et anapaestos duos, quasi versus esset Asynartetus constans: 1. Dactylico dimetro catalecto in bisyllabum; 2. Anapaestico monometro catalecto in trisyllabum. Nil hoc modo scandendi vitiosius.

3 et 4) Vterque Dactylicus fuit; sequuntur nunc Iambici duo acatalecti; at hic trimeter, dimeter ille, ita ut, si nomina omnia et tota efferamus, prior sit Iambicus trimeter acatalectus, posterior vero Iambicus dimeter acatalectus. Exempla permulta praebere potest Horatius in Epodon libris, pauca Noster; tamen ex iis unum:

> Vir Celtiberis non tacende gentibus,
> Nostraeque laus Hispaniae,
> Videbis altam, Liciniane, Bilbilim
> Equis et armis nobilem, etc.

Quot autem et quam infiniti generis sint Iambica, qui pedes quorum locum occupare iure possint, quae libertas in tragicis et in comicis sesquilibertas, quae servitus in puris, et id genus bene multa hic ne obiter quidem perstringemus. Consulantur de his omnibus, si cui placuerit, Critici, Philologi et Polygraphi; consulantur inprimis aures et iambographi poëtae, primo quidem severi, ut Catullus in quibusdam et Propertius, tum Graeci τραγῳδοποιοὶ et Horatius, mox Tragicus Seneca, dein Aristophanes et Phaedrus et Terentius, quorum iambica iam sequi difficile est, denique Plautum qui, dum multitudini sales et sibi pecuniolam deproperat, ingenio ita indulget, ut saepissime in distinguendo versu impeditus haereas, et an Iambicus, an Choriambicus, an Dactylicus, an Bacchicus versus sit, plane nescias, immo nescias, an ipse sciverit.

5) Iambico trimetro catalceto unum subiungamus quod ego libens dixerim Iambicum trimetrum catalectum antimetrum: alii Scazonta vocant. Constat ille e dipodiis iambicis tribus. Sed dipodia (1) tertia non ex iambo et spondaeo, ut mos est, constat, sed e spondaeo et iambo, ita ut ordo pedum solitus invertatur et pro

1	2	3	4	5	6
spond.	iamb.	spond.	iamb.	spond.	iamb.

habeas

1	2	3	4	5	6
spond.	iamb.	spond.	iamb.	iamb.	spond.

(1) *Dipodia*, ut vox ipsa per se declarat (a δὶς, *bis*, et πούς, *pes*, nempe derivata), idem sonat ac duorum pedum sociatio, ergo idem ac metrum in Iambicis, trochaicis, anapaesticis. In dipodia iambica ergo habes brevem, dein longam, iterumque brevem, iterumque longam; in dipodia trochaica e contrario longam, mox brevem, iterumque longam iterumque brevem. At quum haud facillime alternatio haec brevium et longarum a legentibus sustineri posset, invaluit paulatim ille usus, ut in priore dipodiae iambicae parte, in posteriore trochaicae, spondaeus poneretur.

Id autem Scazonta appellavere, quod duo pedes quorum alter paulo gravior altero est, speciem aliquam habet claudicantis. Aptius tamen claudicare diceretur, qui una syllaba caret, et quem Acatalecti nomine designamus.

6) Sextum genus Asynartetum est, et duobus versiculis par videtur quorum iste Dactylicus dimeter acatalectus, ille Trochaicus dimeter catalectus in bisyllabum. Syllabas ergo habet undecim, quam ob causam Hendecasyllabi sub nomine celebratissimus est; Phaleucium quoque identidem vocant ab inventoris nomine. En exemplum:

Dicunt Earinon tamen poëtae,
Sed Graeci, quibus est nihil negatum,
Et quos Αρες, Αρες docet sonare.
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

Voluere multi caesuram non minus leviusculo huic et ludicro versiculo necessariam quam epicis Hexametris. Male. In eodem enim epigrammate, qui versus duntaxat septem et decem habet, tres sunt omnino sine caesura, secundus nempe:

Quo pars optima nuncupatur anni,

tertius,

Hyblam quod sapit Atticosque flores,

decimus,

Nomen nobile, molle, delicatum

quibus penultimus

Nobis non licet esse tam disertis

ferme adiici possit, quum neque *non* neque *tam*, quanquam monosyllaba verba, caesurarum loco accipi legitime debeant. (1)

Septimus versus sexto simillimus est, nisi quod inter spondaeum et dactylum anapaestus est. Nomina ergo eum Asynartetum e Dactylico trimetro catalecto trimorpho et e Trochaico dimetro catalecto in syllabam. Tales duo qui sequuntur:

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus anulos priores.

---

(1) Variatur in hac quaestione, an monosyllaba verba pro caesuris accipi par sit. Accipiunt alii perpetuum, alii respuunt et aversantur. Perperam utrique; ego distinguendum censeo, et modo accipio, modo amoveo, ut spurias. Accipio videlicet quum vox μονοσύλλαβος iis adhaeret quae praecedunt, amoveo ubi his adhaeret quae sequuntur. Ex. g. in Horatiano versiculo: » Hic niger est: hunc tu, Romane, caveto », τὸ *est* caesuram crede, nam adhaeret τῷ *niger*, et postquam id voce protuleris, quiescendum est, ita ut pes caedatur. At si immutato versu dixeris » Hic, hic est niger; hunc sine fine caveto » tollitur caesura; namque adhaeret subito et τὸ *hic* τῷ *niger*, et τὸ *hunc* τῷ *sine fine*; nec post *hic*, nec post *hunc* vocis cessatio est, ergo nec pedis scissio et caesura.

Trimorphus autem Dactylicus vocatur, quod τετραχρόνων pedum quinque formae sint, nempe longae duo (aut spondaeus), breves quatuor (aut proceleusmaticus), una longa et duo breves (aut dactylus), duo breves et una longa (aut anapaestus), demum longa una inter breves duas (aut bacchius); e quinque formis vero anapaestus, spondaeus et dactylus fere soli usurpentur.

Versuum series iuncturaque.

Ex bis septem, ut supra iam diximus, tres semper solos Martialis in poëmatiis habet, nempe:
Iambicum Trimetrum acatalectum antimetrum, vulgo SCAZONTA.

Asynarteton e { Dactylic. dimet. acat.
Trochaic. dimet. catal. in bisyllabum.

vulgo HENDECASYLLABVM aut PHALEVCIVM.

Asynarteton e { Dactylic. trimet. trimorph. acat.
Troch. dimet. catal. in bisyllabum.

Tres vero aliis perpetuum iuncti occurrunt, nempe:

Asynartetos e { Dactyl. dimet. catal. in bisyll.
Dactyl. dimet. catal. in bisyll.

vulgo PENTAMETER.

Iambicus Trimeter acatalectus.
Iambicus Dimeter acatalectus.

Primus semper Hexametro epico connectitur, et hoc distichi genus quum Elegeiographi potissimum diligant et exhibeant, Elegi ambo vocantur. Tale id est:

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis;
Assiduus iactet nec Babylona labor.

Sed inutile prorsus exemplis illustrare, quae in gymnasiis iterum atque iterum pueris professores ingerunt.

Iambici duo sibi invicem ita coniunguntur, ut trimeter praecedat, sequatur dimeter; et hunc modum coaptationis videntur in deliciis Veteres habuisse, affectat sane Horatius qui semper longioribus breviora carmina postposuit, modo formas duas lyricae poëseos exceperis, eam nempe qua Glyconico Asclepiadeum subiungitur, ut lib. IV, od. III, vss. ultim.:

O testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae...
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est!

et eam qua Trochaico dimetro catalecto in syllabam Iambicus trimeter catalectus in syllabam quoque, ut in iam allegata oda:

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Sed post egressum redeamus ad Iambicos nostros, dimetrum nempe et trimetrum. Diximus modo subiungi Dodecasyllabo Octosyllabum. Istiusmodi est epigramma libri XI quinquagesimum nonum;

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos,
Nec quum lavatur. Causa quae sit, quaeritis.
Dactyliothecam non habet.

II. *Quae potissimum his vel illis carminibus efferantur.*

Rare Hexametris solis utitur lepidissimus poëta (haec enim Epici carminis dignitatem, altitudinem et sedatam emphasim decent); utitur tamen quibusdam in locis, immo id usitatissimum pronuntiat, lib. VI, epigr. LXV, quo epigrammatis praecedentis (LXIV) metrum excusat:

Hexametris epigramma facis! scio dicere Tuccam:
Tucca, solet fieri....

rarius vero Iambicis, rarissime Asynarteto qui e Dactylic. trimetr. trimorph. acat. et Troch. dim. cat. in bisyll. Vnicum quidem tale novi in eo, illud nempe libri III vigesimum tertium, quod modo exscribebamus:

Has cum gemina compede, etc.

At Elegis, Scazonte, Hendecasyllabo inprimis delectatur.

Elegi quidem omnia exprimunt, et his modo Caesari, aut Diis, aut amicae callidissime adulatur; (1) modo cum Zoilis et cinaedis improbissime belligerat; modo longus et gravis numerosa verba suaviter modulatur; interdum brevitate gaudet et sales, iocos, facetias, scommata iaculatur, vento, fulguribus, igne trisulco rapidus magis et penetrabilis. Sed ubi heroicae gravitatis tragici spiritus vel dithyrambicae audaciae adfectator, aut lyram manu rapit et lituum, aut cothurnum inassueto pedi aptat, Elegiacum metrum usurpat. Lege, si dubitas, cuncta fere quae de theatralibus ludorum prodigiis canit.

Barbara Pyramidum, etc.
Hic ubi sidereus propior videt astra colossus, etc.

(1) On ne peut trop louer trois sortes de personnes,
Les dieux, sa maîtresse et son roi.
LAFONTAINE.

vel haec quibus Ariae, Scaevolae, Porciae animosa facta, magnanimas voces, animosior ipse, narrat (lib. I, epigr. XIV, XLIII, XXII). Caesarem his semper alloquitur; his fere semper amoenas villas epulantiumve apud beatum virum voluptates describit.

At duobus quos reliquos iam adspicimus, nihil nisi ludicrum assignavit. Aliquid tamen inter istos discrepantiae, si attente reputaveris, invenies. Hendecasyllabus, levior syllabarum paucitate et brevium frequentia, ob id praesertim placet, quod trochaeus plurimos et quidem praecipuos locos in eo obtinet. Nam quinque pedes in Hendecasyllabo sunt, quorum tres trochaei sunt; pes trochaeus ergo apertissime dominatur: tum tres socios nihil separat, nihil prohibet, quin sibi invicem adnectantur; hinc ergo aurem magis feriunt: denique ultimam sedem ii obtinuere; quis vero nescit illa praesertim invalescere et intimum animum aut titillatura aut verberatura esse, quae ultima efferuntur? Aliunde videtur trochaeus sponte sua exsilire in numerum, et ad tripudium allicit; quod tam verum est, ut Trochaicis saltatoria psalmata, Trochaicis oracula multa exstiterint. Hocce carminis genus nescio an ante Callistratum hunc usurpatum fuerit, qui Odario venustissimo Aristogitonis atque Harmodii nomen simul et suum posteris tradidit. Ille quidem novit, et in hymnulo usurpavit, Iambicis tamen et Dactylicis trochaicam hilaritudinem hoc modo temperans:

Εν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω,
Ωσπερ Αρμόδιος κ' Αριστογείτων,
Οτε τὸν τύραννον κτανέτην
Ισονόμους τ' Αθήνας ἐποιησάτην.

Catullus dehinc mira diligentia excoluit, neque uspiam candidus, mollis, numerosus, elegans magis est quam ubi hoc rhythmo iocatur. Hoc, Lesbiae amor et dolor, passer celebratus; hoc amicum ad convivium appellans, quum pecuniae nihil in loculis habet, ait:

Coenabis bene, mi Fabulle, apud me,
Si tecum attuleris bonam atque rectam
Coenam, etc.

Hoc, mille alia quae hic praetereo, ne paginam in laudando et exhibendo consumpserim. Aemulator saepe felix Catullianae elegantiae, Martialis rhythmum festivissimum arripuit, quem deinde in Sylvis Statius, et in Miscellaneis carminibus C. Sollius Sidonius Apollinaris. At ipse omnes, quos hic nominamus, longe praestitit, si Catullum unum excipias. Nil suavius, nil mollius Hendecasyllabis his qui Issae catellae mores enarrant, et maliguissima parodia vel potius palinodia Catulliani epigrammatis;

Ride, si sapis, o puella, ride,

et sexcentis id genus. Vt autem hoc irridet, sed leviter, hoc adulatur, sed minoribus viris; hoc aliquando describit. Vno verbo expediam quae laevitas et mobilitas Hendecasyllabo Latinorum competat, hunc eumdem omnino esse dicens cum Decasyllabo Gallico, quem in historiis fabulosis et eroticis opusculis et ludicris epistolis tam lepidum exhibuere *Marot*, *Voltaire*, *Parny*, *Chénier*.

Scazontibus gravitas quaedam inest et morosa severitas. His igitur vel longissime amoenissima descripturus utitur, vel in illos, quos odio praecipuo persequitur, acerbissime incursurus.

Hendecasyllabis et Scazontibus scommata inserit frequentissime, ut illis iocosiora, his amarissima. Illis irridet, sed dentibus albis, his cutem rapit; illis vellicat, his vulnerat; illa contuleris recte scuticae, haec virgis quae ad sanguinem et mortem usque caedunt. Pungunt quidem omnia tela; at quibusdam subtilissimum virus cuspidem infecit, neque ictu solum illa, sed adiecta labe foedant corpus. Nil ulla in lingua vehementius simul et fortius quam haec in basiatores (lib. XI, epigr. XCVIII), in Vacerrae cynicam pauperiem (lib. XII, epigr. XXXII), in Cinnam (lib. VI, epigr. XXXIX); et praesertim pathicissima haec de Manneio (lib. XI, epigr. LXI), aut spurcissima in Vetustillam (lib. XIII, epigr. XCIII).

Haec sufficere mihi nunc videntur, amice lector, ut ad perlegendum Nostrum iamiam te conferas, et rhythmorum, tum structuram, tum ingenium, in perspicuo habeas.

INDEX LEMMATVM

ALPHABETICVS.

In hoc indice, dum ordinem Alphabeticum servare studemus, praepositiones omnes neglesimus, ita ut quum *Abolla Crispini*, *Accipiter*, *Acerra*, *Achilla* recte scriberetur, non dubitarimus scribere *de Abolla Crispini*, *Accipiter*, *de Acerra*, *de Achilla*, etc. Numeri indicant, primus librum, alter epigramma.

A.

De Abolla Crispini, VIII, xlviii.
Accipiter, XIV, ccxvi.
Acetum, XIII, cxxii.
De Acerra, I, xxix.
De Achilla, VII, lvii.
Acipensis, XIII, xci.
Acus aurea, XLI xxiv.
Adulatorium (Censor maxime), VI, iv.
Adulatorium (Quidquid Parrhasia), XII, xv.
Adulatorium de Caesare Traiano, X, lxxii.
Adulatur Domitiano (Ad coenam si me), IX, xcii.
Adulatur Domitiano (Appix quam simili), IX, cii.
De Adventu Caesaris Traiani, X, vi.
Ad Aesculanum, VI, lxxiv.
Ad Aeglen fellatricem, I, xcv.
Ad Aeliam, I, xx.
Ad Aemilianum, V, lxxxi.
De Aemilio, XII, xix.
In Aeschylum (Aureolis futui), IX, v.
In Aeschylum (Lascivam tota), IX, lxviii.
De Aethonte, XII, lxxvii.
De Africano, XII, x; III, ii.
De Afra vetula, I, ci.
De Afro ad Caeditianum, X, lxxxiv.
Ad Afrum, IV, xxxvii.
In Afrum, IV, lxxix.
In Afrum, VI, lxxvii.
In Afrum (Dicere de Libycis), IX, vii.
In Afrum (Dantem vina tuam), IX, xxvi.
Ad Alaudam, XII, lviii.
Albanum, XIII, cix.
Ad Albium Maximum, XI, cvi.

Alica, XIII, vi.
Allud (apud antiquum Iuvenalis scholiasten), Sp. xxxiii.
De Almone, X, xci.
Alterum, Sp. xxxi.
Ad Amoenum, XII, xlvi.
Amicis quod datur non perire, V, xlii.
Amictoria, XIV, cxlix.
Ad Amicum, II, lxxxv.
In Amicum coenipetam, IX, xv.
In Amillum, VII, lxiii.
De Ammiano ad Maronillum, IV, lxx.
Ad Ammianum de Tonstrice moecha et avara, II, xvii.
In Ammianum (O quam blandus es), II, iv.
In Ammianum (Caelatus tibi), VI, xcii.
In Amphitheatrum Caesaris, Sp. 1; I, 1.
Ampulla potoria, XIV, cx.
De Amynta, XI, xli.
Anas, XIII, l.
De Andragora, VI, liii.
Ad Anninm, VII, xlviii.
Annuli, XIV, cxxii.
Anser, XIII, lxxiv.
De Antiocho tonsore, XI, lxxxiv.
In Antonium Saturninum, IV, xi.
In Anum deformem, VII, lxxv.
De Ape electro inclusa, IV, xxxii.
Aper, XIII, xciii.
Aphronitrum, XIV, lviii.
De Apicio, III, xxii.
Ad Apicium, III, lxxx.
Apollinari mittit coronam roseam, VII, lxxxix.
De Apollinaris litore Formiano, XI, xxx.
Ad Apollinem, de eodem (Quid mihi vobiscum est), II, xxii.
Ad Apollinem, de eodem (Non dicam licet), II, xxiii.
Ad Apollinem, pro Stella suo, IX, xliii.
De Apollodoro, V, xxi.
Apophoreta, XIV, ii.
De Apro sibi a Dextro misso, VII, xxvii.
De Apro (Dotatae uxori), X, xv.
De Apro (Aedes emit aper), XI, xxxiv.
De Apro (Lintea ferret Aper), XII, lxx.
Ad Aprum, XII, xxx.
Apyrina et Tuberes, XIII, xlii.
De Aquila portante Iovem, V, lv.
De Aquino et Fabricio, I, xciv.
Ad Arginum puerum Ianthidos, VII, xv.
De Arria et Paeto, I, xiv.
Ad Artemidorum, V, xl.

In Artemidorum, VIII, LVIII.
Asparagi, XIII, XXI.
De Aspro, VIII, XLIX.
Asturco, XIV, CXCIX.
Attagenae, XIII, LXI.
Ad Attalum, IV, XXXIV.
Ad Attalum ardelionem, I, XC.
In Attalum, II, VII.
Ad Atticillam, XII, LXXX.
Ad Atticum, VII, XXXII.
Ad Atticum, de M. Ovidio, IX, C.
De Athenagora, IX, XCVI.
Ad Auctum (Gratum est, quod Celeri), VII, LII.
Ad Auctum (Artemidorus habet), IX, XXII.
Ad Auctum (Lector et auditor), IX, LXXXII.
Ad Auctum (Genus, Aucte, lucri), XII, XIII.
Ad Aulum, de luctu suae puellae, VII, XIV.
Ad Aulum, de Mamerco, V, XXVIII.
Ad Aulum, de Phryge lusco, VI, LXXVIII.
Ad Aulum Pudentem (Cernere Parrhasios), VI, LVIII.
Ad Aulum Pudentem (Cogis me calamo), VII, XI.
De Aulo, VIII, LXIII.
Aurata, XIII, XC.
Auriscalpium, XL, XXIII.
In Avarum, XII, LIII.
In Avarum amicum (Millia misisti), IV, LXXVI.
In Avarum amicum (Sexaginta teras), XII, XXVI.
In Avarum invitatorem, III, XXIII.
Ad Avitum (Sunt bona, sunt quaedam), I, XVI.
Ad Avitum (Note, licet nolis), IX, I; II, 372.
Ad Avitum (Saepe loquar nimium), X, XCVI.

B.

De Baccara, XI, LXXIV.
In Baccaram (Et dolet et queritur), VI, LIX.
In Baccaram (Si quid opus fuerit), VII, XCII.
Ad Baetim, XII, XCIX.
Ad Baeticum (Nec mullus, nec te), III, LXXVII.
Ad Baeticum (Quid cum femineo), III, LXXXI.
De Baiis, XI, LXXX.
De Balneo Tuccae, IX, LXXVI.
Bardocucullus, XIV, CXXVIII.
Bascauda, XIV, XCIX.
De Basiis sui pueri, XI, VIII.
De Bassa (Infantem secum), IV, LXXXVIII.
De Bassa (Non miror quod potat), VI, LXIX.
In Bassam (Quod siccae redolet), IV, IV.

In Bassam (Dicis formosam), V, XLV.
Ad Bassam tribadem, I, XCI.
Ad Bassum (Herbarum fieras), V, XXIII.
Ad Bassum (Colchida quid scribis), V, LIII.
Ad Bassum (Effugere non est), XI, XCVIII.
In Bassum (Arrigis ad Vetulas), III, LXXVI.
In Bassum (Denariis tribus), IX, CI.
In Bassum (Vxor quum tibi sit), XII, XCVIII.
De Basso (Emit lacernas), VIII, X.
De Basso (Capena grandi porta), III, XLVII.
Betae, XIV, XIII.
In Bibentes aquam calidam, VI, LXXXVI.
Ad Bibliothecam Iulii Martialis, VII, XVII.
Ad Bithynicum (Quod querulum spirat), II, XXVI.
Ad Bithynicum (Nil tibi legavit), IX, X.
Ad Bithynicum (Nil in te scripsi), XII, LXXIX.
In Blattaram, XI, XLVII.
Boletaria, XIV, CI.
Boleti, XIII, XLVII.
Botulus, XIV, LXXII.
Βρούτου παιδίον, XIV, CLXXI.
Bulbi, XIII, XXXIV.

C.

Caecubum, XIII, CXV.
In Caeliam (Das Cattis) VII, XXX.
In Caeliam (Theca tectus ahenea), XI, LXXV.
De Caelio, VII, XXXIX.
De Caeciliano, VII, LIX.
Ad Caecilianum (Dic mihi, quis furor est), I, XXI.
Ad Caecilianum (Nullus in urbe fuit), I, LXXIV.
Ad Caecilianum (Cui legis satis), I, CXIX.
Ad Caecilianum (Candidius nihil est), II, LXXI.
Ad Caecilianum (Aestiva serves), II, LXXVIII.
Ad Caecilianum (Mille tibi nummos), IV, XV.
Ad Caecilianum (Quum tibi non essent), IV, LI.
Ad Caecilianum (Rustica mercatus), VI, V.
Ad Caecilianum (Septem clepsydras), VI, XXXV.
Ad Caecilianum (Mane salutavi), VI, LXXXVIII.
Ad Caecilianum de genere et declinatione ficus, I LXVI.
In Caecilianum (Horas quinque puer), VIII, LXVII.
In Caecilianum (Dixerat, o mores), IX, LXXI.
In Caecilianum (Vivida quum poscas), XI, XLII.
In Caecilium (Atreus Caecilius cucurbitarum), XI, XXXI.
In Caecilium (Vrbanus tibi), I, XLII.
De Caerellia, IV, LXIII.

Caeretanum, XIII, CXXIV.
Ad Caesarem (Da veniam subitis), Sp. XXX.
Ad Caesarem (Contigeris nostros), I, V.
Ad Caesarem (Hoc tibi Palladiae), V, I.
Ad Caesarem (Astra polumque dedit), V, LXV.
Ad Caesarem (Di tibi dent, et tu), VI, LXXXVII.
Ad Caesarem (Longior undecimi), XII, V.
Ad Caesarem (Palma regit nostros), XII, IX.
Ad Caesarem Augustum Domitianum, IV, XXVII.
Ad Caesarem de rosis hibernis, VI, LXXX.
Ad Caesarem Domitianum (Creta dedit magnum), II, II.
Ad Caesarem Domitianum (Rerum certa salus), II, XCI.
Ad Caesarem Domitianum (Quintus nostrorum), V, XV.
Ad Caesarem Domitianum (Si qua fides veri), V, XIX.
Ad Caesarem Domitianum (Lusus erat sacrae), VI, II.
Ad Caesarem Domitianum (Quantum sollicito), VI, LXXXIII.
Ad Caesarem Domitianum (Si desiderium), VII, V.
Ad Caesarem Domitianum (Hiberna quamvis Arctos et rudis), VII, VII.
Ad Caesarem Domitianum (Pervenisse tuam), VIII, XI.
Ad Caesarem Domitianum (Si quid forte petam), VIII, XXIV.
Ad Caesarem Domitianum (Non tot in Eois), VIII, XXVI.
Ad Caesarem Domitianum (Regia Pyramidum), VIII, XXXVI.
Ad Caesarem Domitianum (Magna licet toties), VIII, LIV.
Ad Caesarem Domitianum (Quanta Gigantei), VIII, L.
Ad Caesarem Domitianum (Est mihi, sitque precor), IX, XIX.
Ad Caesarem Domitianum (Inter tanta tuae), IX, LXXXIV.
Ad Caesarem Domitianum, vel, ut alii, Germanicum, I, IV.
Ad Caesarem Germanicum, VII, LXI.
Ad Caesarem, quod expulerit delatores, Sp. XCIV.
Ad Caesarem Traianum, X, XXXIV.
De Caio Proculo, XI, XXXVI.
In Caium, X, XVI.
In Caium avarum amicum, II, XXX.
Calami aucupatorii, XIV, CCXVIII.
Calathi, XIV, CVII.
Calculi, XIV, XX.
Calda et frigida aqua, XIV, CXCVI.
Ad Calenum, X, XXXVIII.
Ad Calenum avarum, I, C.
Calices, XIV, XCIV.
Calices gemmati, XIV, CIX.
Calices Saguntini, XIV, CVIII.
Calices Surrentini, XIV, CII.
Calices Vatinii, XIV, CXV.
Calices Vitrei, XIV, XCVI.
Ad Calliodorum, V, XXXVIII.

In Calliodorum (Festive credis), VI, XLIV.
In Calliodorum (Nil aliud loqueris), X, XI.
In Calliodorum (Addixti servum), X, XXXI.
De Callistrato, XII, LXXXI.
De Callistrato et Afro, XII, XLII.
Ad Callistratum, XII, XXXV.
In Callistratum, V, XIII.
Ad Calocissum, IX, CXIV.
De Calpetiano, VI, XCIV.
Candela, XIV, XL.
Candelabrum Corinthium, XIV, XLIII.
Candelabrum ligneum, XIV, XLIV.
Ad Candidum (Exigis a nobis), III, XLVI.
Ad Candidum, XII, XXXVIII.
In Candidum (Si det iniqua tibi), II, XXIV.
In Candidum (Candide, κοινὰ φίλων), II, XLIII.
In Candidum (Praedia solus habes), III, XXVI.
Canio, III, XX.
Canis vertagus, XIV, CC.
In Cantharum (Coenes, Canthare), IX, XI.
In Cantharum (Intrasti quoties), XI, XXV.
Canusinae fuscae, XIV, CXXVII.
Canusinae rufae, XIV, CXXIX.
De Capitolino, X, CI.
Capo, XIII, LXIII.
Caprea, XIII, XCIX.
Caput arietinum, XIV, CCXI.
In Carmenionem, X, LXVI.
De Caro medico, X, LXXVII.
Pro Caro et Norbana votum, VII, LXXIV.
De Carpophoro (Dorica quam certo), Sp. XXVII.
De Carpophoro (Saecula Carpophorum), Sp. XXIII.
De Carpophoro venatore, Sp. XV.
Ad Carum, IX, XXI.
De Cascelio, VII, IX.
Casei, Trebulani, XIII, XXXIV.
Caseus Lunensis, XIII, XXX.
Caseus Velabrensis, XIII, XXXII.
Caseus Vestensis, XIII, XXXI.
Ad Casium, I, LXXXI.
Ad Cassianum, VI, XLVI.
Ad Cassianum de Canio, III, LXIV.
Ad Castam matronam, III, LXXXVI.
Ad Castorem, VII, XCVIII.
Ad Castricum (Dum tibi felices), VI, XLIII.
Ad Castricum (Muneribus cupiat), VII, XLII.
Ad Castricum de Theta, VII, XXXVII.

Catella gallicana, XIV, CXCVIII.
De Catella Publii et pictura eiusdem, I, CX.
Ad Catonem, I, I.
Cattae, XIII, LXIX.
In Catullam, VIII, LIII.
Ad Catullum, XII, LXXIII.
Catullus, XIV, CXCV.
De Caupone, III, LVII.
Ad Cauponem, I, LVII.
Causia, XIV, XXIX.
In Causidicum, V, XXXIII.
Cavea eborea, XIV, LXXVII.
Ad Ceditianum, VIII, LII.
Ad Celerem, I, LXIV.
In Cerdonem (Das gladiatores), III, XVI.
In Cerdonem (Irasci nostro), III, XCIX.
De Cerellia et Gellia, IV, XX.
Cereum, XIV, XLII.
Cervical, XIV, CXLVI.
Ad Cervinum, III, LXX.
Cervus, XIII, XCVI.
Cestos, XIV, CCVI.
Ad Cestum puerum, VIII, XLVI.
In Chaeremonem, XI, LVI.
De Chaerestrato, V, XXV.
Ad Charidemum, XI, LXXXVII.
In Charidemum (Vxorem, Charideme, tuam), VI, XXXI.
In Charidemum (Quod tibi crura rigent), VI, LVI.
In Charidemum (Iratus tanquam), VI, LXXXI.
In Charidemum (Cunarum fueras), XI, XXXIX.
De Charino (Pulchre valet Charinus), I, LXXVIII.
De Charino (Senos Charinus), XI, LIX.
Ad Charinum (Argenti genus omne), IV, XXXIX.
Ad Charinum (Quod lana caput alligas), XII, XC.
In Charinum (Secti podicis), VI, XXXVII.
In Charinum (Quo pessit fieri modo), VII, XXXIII.
De Charisiano (Nil lascivius) VI, XXIV.
De Charisiano (Multis iam, Lupe), XI, LXXXVIII.
In Charopinum, V, L.
Chartae maiores, XIV, X.
Chartae epistolares, XIV, XI.
Chia ficus, XIII, XXIII.
Ad Chionem, III, XXXIV.
In Chionem, III, LXXXVII.
De Chione et Phlogide, XI, LX.
De Chloë, IX, XVI.
Ad Chloën (Et vultu poteram), III, LIII.

Ad Chloën (Donasti tenero), IV, xxviii.
Ad Choerilum (Liber homo es nimium), I, lxviii.
In Chrestillam, XI, xc.
In Chrestum (Nulli munera), VII, lv.
In Chrestum (Quum depilatos), IX, xxviii.
Cicero in membranis, XIV, clxxxviii.
De Cilice fure, VI, lxxii.
De Cinna (Pauper videri), VIII, xix.
De Cinna (Vincentem roseos), XII, lxiv.
Ad Cinnam (Garris in aurem), I, cx.
Ad Cinnam (Quum voco te dominum), V, lvii.
Ad Cinnam (Profecit poto), V, lxxvi.
In Cinnam (Esse nihil dicis), III, lxi.
In Cinnam (Versiculos in me), III, ix.
In Cinnam (Pater ex Marulla), VI, xxxix.
In Cinnam (Sordidior coeno), VII, xxxiii.
In Cinnam (Primum est ut praestes), VII, xliii.
In Cinnam (Hoc agere est causas), VIII, vii.
In Cinnam (Poto ego sextantes), XII, xxviii.
In Cinnamum (Cinnam, Cinname), VI, xvii.
In Cinnamum (Qui tonsor fueras), VII, lxiv.
In Cirram, VIII, xviii.
Ad Cirinium, VIII, xvi.
De Cirisco ad Maximum, V, lxx.
De Cisterna Ravennate, III, lvi.
Cithara, XIV, clxv.
Ad Classicum (Quod me carmine), II, lxxxvi.
Ad Classicum (Vendunt carmina), XII, xlvi.
In Classicum (Invitum coenare), II, lxix.
De Claudia Rufina, XI, liii.
In Claudiam, VIII, lx.
Ad Clementem, X, xciii.
De Cleopatra uxore, IV, xxii.
Ad Clientes, XII, lxviii.
In Clitum VIII, lxiv.
Cochlearia, XIV, cxxi.
In Coclitem, III, lxxxiii.
Coctana, XIII, xxviii.
De Codro, III, xv.
Ad Codrum, V, xxvi.
De Coenatione micae, II, lix.
Coenatoria, XIV, cxxxv.
Ad Cognatos, IX, lv.
Coliculi, XIII, xvii.
Ad Colinum, IV, liv.
Colloquium Ganymedis et Iovis super Earino et aliis Domitiani pueris, IX, xxxviii.

Colocasia, XIII, LV.
De Coluno, XI, XIV.
Colostrum, XII, XXXVIII.
Colum nivarium, XIV, CIII.
De Columba Aretullae, VIII, XXXII.
Columbini, XIII, LXVI.
De Coma Earini, IX, XVII.
In Commendationem Nervae, XII, VI.
In Commendationem Traiani, XII, VIII.
In Commiscentem versus operi suo, X, C.
Concha, XIV, CCIX.
Conchis faba, XIII, VII.
Ad Condylum, IX, CXIII.
De Consulatu Silii, VIII, LXVI.
De Convivio Prisci, IX, LXXVIII.
Copta Rhodia, XIV, LXVIII.
Coquus, XIV, CCXX.
Coracinus, XIII, LXXXV.
In Coracinum (Non dixi, Coracine), IV, XLIII.
In Coracinum (Quod semper casiaque), VI, LV.
Corculum, XIV, CCXIX.
Ad Cordubam, XII, LXIII.
Ad Cornelium, I, XXXVI.
Corona rosea, XIII, CXXVII.
Corvus, XIV, LXXIV.
Ad Cosconium, III, LXIX.
In Cosconium, II, LXXVII.
Ad Cosmum, IV, LIII.
In Cotilum (Non vis in solio), II, LXX.
In Cotilum (Cotile, bellus homo es), III, LXIII.
Ad Cottam (Invitas nullum), I, XXIV.
Ad Cottam (Cum potes amethystinos), X, LXXXVIII.
In Cottam (Bellus homo et magnus), I, V.
In Cottam (Omnes persequeris), X, XLIX.
Craticula cum veru XIV, CCXXI.
Crepitacillum, XIV, LIV.
In Creticum, VII, XCIX.
Ad Crispum, X, XIV.
In Crudelem amicum, VIII, XIV.
In Crudelem dominum, III, XXI.
Crystallina, XIV, CXI.
Cubicularia gausapina, XIV, CXLVII.
Cubicularia polymita, XIV, CL.
Cuculli liburnici, XIV, CXXXIX.
Culter venatorius, XIV, XXXI.
Cuniculus, XIII, LX.
De Curiatio, IV, LX.

Cycnus, XIII, LXXVII.
Cydonia, XIII, XXIV.
Cymbala, XIV, CCIV.

D.

Dactyliotheca, XIV, CXXIII.
De Dama et Canibus, Sp. XXXII.
Damae, XIII, XCIV.
De Damis, IV, LXXIV.
De Damnato quodam supplicium Laureoli vere repraesentante, Sp. VII.
Danae picta, XIV, CLXXV.
De Dasio, II, LII.
Deciani dogma laudat, I, IX.
De Deciano, I, XL.
Ad Decianum (Aspicis incomptis), I, XXV.
Ad Decianum (Ne valeam), II, V.
In Delicatum lectorem (Si quid lene mei), X, XLV.
In Delicatum lectorem (Consumpta est uno), X, LIX.
De Demetrii servi morte, I, CII.
Dentes eborei, XIV, XCI.
Dentifricium, XIX, LVI.
Dentiscalpium, XIV, XXII.
In Dentonem (Quid factum est), V, XLIV.
In Dentonem (Nescio quid de te), VIII, XXXI.
In Detractorem (Allatres licet), V, LX.
In Detractorem (Quum sis nec rigida), VI, LXIV.
In Detractorem (Nasutus sis), XIII, II.
Ad Diadumenum (Basia dum nodo), V, XLVI.
Ad Diadumenum (Basia da nobis), VI, XXXIV.
Ad Diadumenum puerum, III, LXV.
De Diaulo medico (Chirurgus fuerat), I, XXXI.
De Diaulo medico (Nuper erat medicus), I, XLVIII.
In Dydimum, V, XLI.
Ad Dyndimum (Insequeris, fugio), V, LXXXIII.
Ad Dyndimum (Tam dubia est lanugo), X, XLII.
De Diodoro et voto Philaenis uxoris, IX, XLI.
Ad Diodorum, X, XXVII.
Discus, XIV, CLXIV.
In Dissimulatorem, IV, LXXXIX.
De Distichis, VIII, XXIX.
Ad Domitianum (Accola iam nostrae), V, III.
Ad Domitianum (Dum nova Pannonici), VIII, XV.
Ad Domitianum (Qui Pallatinae), VIII, XXXIX.
Ad Domitianum (Hic ubi fortunae), VIII, LXV.
Ad Domitianum (Sanctorum nobis) VIII, LXXXII.
Ad Domitianum (Dante tibi turba), VIII, LXXXII.

Ad Domitianum (Quantum iam superis), IX, iv.
Ad Domitianum (Tibi, summe Rheni), IX, vii.
Ad Domitianum (Tanquam parva), IX, ix.
Ad Domitianum (Haec quae tota), IX, xxi.
Ad Domitianum (Oderat ante ducum), IX, lxxx.
Ad Domitium, X, xii.
Dorcas, XIII, xcviii.

E.

De Eadem (Feminarum pugna cum bestiis), Sp. vi, *bis*.
De Eadem (Sue quae ex vulnere peperit), Sp. xiii.
De Eadem (Sue quae, etc.), Sp. xiv.
De Eadem (Imagine Maximi Caesonii ad Q. Ovid.), VII, xlv.
De Eadem (Coma Earini) ad Aesculapium, IX, xviii.
De Eadem statua, IX, xlv.
De Earino Domitiani, IX, xii.
Echinus, XIII, lxxxvi.
De Edicto Domitiani coenas rectas revocante, III, III, vii.
De Effigie Camoni (Effigiem tantum), IX, lxxv.
De Effigie Camoni (Haec sunt illa mei), IX, lxxvii.
In Effrontem, XII, c.
De Encolpo, V, xlviii.
De Encolpo puero, I, xxxii.
De Endromide, IV, xix.
Endromis, XIV, cxxvi.
Ad Entellum, VIII, lxviii.
De Eodem (In Posthumum), II, xxiii.
De Eodem (In Ligurinum), III, xlv.
De Eodem (Sella), V, xii.
De Eodem (Epitaphium Glauciae), VI, xxix.
De Eodem (Natali Lucani), VII, xxii.
De Eodem (Earino Domitiani), IX, xiii.
De Eodem ad Phoebum (Natali Lucani), VII, xxiii.
De Eodem (Earino Domitiani), IX, xiv.
De Eodem (De Aethonte), XII, lxxviii.
Ephippium, XIV, lxxxvi.
Epitaphium Alcimi pueri, I, lxxxix.
Epitaphium Canaces, XI, xci.
Epitaphium canis Lydiae; XI, lxix.
Epitaphium Erotii, X, lxi.
Epitaphium Erotii ad Frontonem parentem, V, xxxiv.
Epitaphium Fusci, VI, lxxvi.
Epitaphium Glauciae, VI, xxviii.
Epitaphium Latini, IX, xxix.
Epitaphium nobilis matronae, X, lxiii.
Epitaphium Paridis pantomimi, XI, xiii.

Epitaphium Pantagathi tonsoris, VI, LII.
Epitaphium patria Etrusci, VII, XL.
Epitaphium Philaenis, IX, XXX.
Epitaphium Saloniui, ad Priscum, VI, XVIII.
Epitaphium Scorpi, X, LIII.
Epitaphium Vrbici pueri, VII, XCVI.
Epitaphium vatulaa, X, LXVII.
De Erote, X, LXXX.
De Erotio puella, V, XXXVII.
De Etrusci thermis ad Oppianum, VI, XLII.
De Euclide, V, XXXV.
In Euctum, VIII, VI.
Ad Eumdem (Librum suum), III, V.
Ad Eumdem (Carum), IX, XXV.
Ad Eumdam (Quintum Ovidium), IX, LIV.
Ad Eumdem (Lectorem), X, II.
Ad Eumdem (Prisco suo), XII, I.
Ad Eumdem (Caes. Domit.) de Leona, VIII, LV.
Ad Euphemum, IV, VIII.
Europa picta, XIV, CLXXX.
De Eutrapalo, VII, LXXXIII.

F.

De Fabiano, XII, LXXXIV.
Ad Fabianum, IV, V.
In Fabianum arrogantem patronum, III, XXXVI.
In Fabium et Chrestillam, VIII, XLIII.
De Fabula Daedali, Sp. VIII.
De Fabulla (Epigramma nostrum), IV, LXXXII.
Da Fabulla (Iurat capillos), VI, XII.
De Fabulla (Qua moechum ratione), XII, XCIV.
De Filio Domitiani, VI, III.
Ad Fabullam sui laudatricem, I, LXV.
In Fabullam (Sotae filia), IV, IX.
In Fabullam (Omnes aut vatulas), VIII, LXXIX.
Da Fabullo, XII, LI.
Ad Fabullum (Vxor quum tibi), IX, LXVII.
Ad Fabullum (Ignotos mihi), XI, XXXV.
Ad Fabullum (Quare non habeat), XII, XX.
In Fabullum, XII, LXXXVI.
In Fabullum avarum convivatorem, III, XII; XII.
Falernum, XIII, CXI.
Falx ex ense, XIV, XXXIV.
De Fama reditus Domitiani, VII, VI.
De Familia ficosa, VII, LXXI.
De Fanneio, II, LXXX.

Far, XIII, viii.
Fasces calamorum, XIV, xxxviii.
Fascia pectoralis, XIV, caxxiv.
Ad Faustinum (Ede tuos tandem), I, xavi.
Ad Faustinum (Hos tibi vicinos), I, cxv.
Ad Faustinum (Dum novus est), IV, a.
Ad Faustinum (Dum nos blanda), IV, lvii.
Ad Faustinum (Landatus nostro), V, axxvi.
Ad Faustinum (Humida qua gelidas), V, lxai.
Ad Faustinum (Sic me fronte legat), VII, xii.
Ad Faustinum (Vt libellos suos Marcellino commendat), VII, laxx.
Ad Faustinum (Tristis Athenagoras), VIII, xli.
Ad Faustinum (Sidera iam Tyrius) X, li.
Ad Faustinum de Crispo, V, xaaii.
Ad Faustinum de Sabineo rhetore frigido, III, xav.
Ad Faustum, XI, lxiv.
Favi, XIII, cv.
De Feminarum pugna cum bestiis, Sp. vi.
Ferramenta tonsoria, XIV, xxxvi.
Ferulae, XIV, lxxx.
Ad Fescenniam potricem, I, lxxaviii.
De Festo, I, lxxix.
Fibula, XIV, ccxv.
Ficedula, XIII, alviii.
In Fictum divitem, II, lvii.
In Fictum equitem, V, xxvii.
Ad Fidentinum (Quem recitas, meus est), I, xxaix.
Ad Fidentinum (Nostris versibus), I, lxxiii.
Ad Fidentinum plagiarium (Vna est in nostris), I, liv.
Ad Fidentinum plagiarium (Fama refert nostros), I, asx.
De Figura Socratis, X, xcix.
De Filio Reguli, VI, xaaviii.
Fistula, XIV, laiii.
Ad Flaccum (Qualem, Flacce, velim), I, lviii.
Ad Flaccum (Mihi curarum), I, lxavii.
Ad Flaccum (Litigat et Podagra), I, acix.
Ad Flaccum (Nescis, crede mihi), IV, xlia.
Ad Flaccum (Temporibus nostris), VIII, lvi.
Ad Flaccum (Audieris in quo), IX, xaxiv.
Ad Flaccum (Luce propinquorum), IX, lvi.
Ad Flaccum (Sic in gramine), IX, cxi.
Ad Flaccum (Ferreus et), XI, axvii.
Ad Flaccum (Incideris quoties), XI, xcv.
Ad Flaccum (Habere amicam), XI, c.
Ad Flaccum (Thaida tam tenuem), XI, ci.
Ad Flaccum (Quum tibi Niliacus), XII, lxaiv.
In Flaccum, IV, xlii.

In Flaccum de reditu P. Terentii, VIII, XLV.
Ad Flaccum de sportula, I, LX.
Flagellum, XIV, LV.
Flagra, XIV, LXXIX.
Focale, XIV, CXLII.
Foenum, XIV, CLXII.
Follis, XIV, XLVII.
Ad Fontem Ianthidos, VII, L.
De Formica in succino inclusa, VI, XV.
De Fragmento Argus, VII, XIX.
In Fratres fellatores, III, LXXXVIII.
Ad Frontinum (Anxuris aequorei), X, LVIII.
Ad Frontonem de voto vitae suae, I, LVI.
Frumentum triticeum, XIII, XII.
Fundanum, XIII, CXIII.
Ad Furem de libro suo, I, LXVII.
Ad Fuscum (Si quid, Fusce, vacas), I, LV.
Ad Fuscum (Sic Tiburtinae), VII, XXVIII.

G.

Galbula, XIII, LXVIII.
Galericulum, XIV, L.
De Galla (Vult, non vult dare), III, XC.
De Galla (Millia viginti), X, LXXV.
Ad Gallam (Das nunquam), II, XXV.
Ad Gallam (Quum faciem laudas), III, LI.
Ad Gallam (Galla, nega), IV, XXXVIII.
Ad Gallam (Iam tristia nucibus), V, LXXXIV.
Ad Gallam (Ium sex aut septem), VII, LVIII.
Ad Gallam (Infantem tibi vir), X, XCV.
In Gallam (In tenebris luges), IV, LVIII.
In Gallam (Quum tibi sit facies), VII, XVIII.
In Gallam (Quum sis ipsa domi), IX, XXXVIII.
In Gallam (Quaeris cur nolim), XI, XIX.
In Gallam anum, II, XXXIV.
In Gallicum (Invitas ad aprum), VIII, XXII.
In Gallicum (Dic verum mihi), VIII, LXXVI.
In Gallicum (Haeredem quum me), IX, XLIX.
Gallina altilis, XIII, LXII.
De Gallo Lingone, VIII, LXXV.
Ad Gallum (Est tibi, sitque precor), I, CIX.
Ad Gallum (Vt patiar moechum), III, XCII.
Ad Gallum (Si quid nostra tuis), X, LXXXII.
Ad Gallum, de eius uxore, II, LVI.
In Gallum (Subdola famosae), II, XLVII.
In Gallum (Nunquam me revocas), III, XXVII.

In Gallum (Privignum non esse), IV, xvi.
In Gallum (Totis, Galle, iubes), X, lvi.
Ad Gargilianum (Munera quod senibus), IV, lvi.
Ad Gargilianum (Morio dictus erat), VIII, xiii.
Ad Gargilianum clientem avarum, III, xxx.
In Gargilianum (Psilothro faciem), III, lxxiv.
In Gargilianum (Lis te bis decimae), VII, lxv.
In Gargilium, III, xcvi.
Ad Garricum, XI, cv.
Garum sociorum, XIII, cii.
Ad Gaurum, VIII, xxvii.
In Gaurum (Quod nimio gaudes), II, lxxxix.
In Gaurum (Quid promittebas), V, lxxxii.
In Gaurum (Ingenium mihi, Gaure), IX, li.
Gausapa villosa vel mantile, XIV, cxxxviii.
Gausape quadratum, XIV, clii.
De Gellia (Amissum non flet), I, xxxiv.
De Gellia (Moechum Gellia), VI, xc.
De Gellia (Non per mystica sacra), VIII, lxxxi.
Ad Gelliam (Quum dare non possim), III, liv.
Ad Gelliam (Si quando leporem), V, xxix.
In Gelliam (Quod quaecumque venis), III, lv.
In Gelliam (Dum proavos atavosque), V, xvii.
De Gellio, IX, lxxxi.
In Gellium, IX, xlvii.
De Gemello et Maronilla, I, xi.
De Geminis fratribus, IX, civ.
De Gentium concursu et congratulatione, I, iii.
Ad Germanum, XI, xcvi.
Glires, XIII, xvii.
Ad Glyptum, II, xlv.
Gobius, XIII, lxxxviii.
Graphiarium, XIV, xxi.
Grues, XIII, lxxv.
Gustatorium, XIV, lxxxviii.
Guttus corneus, XIV, lii.

H.

In Habentem amoenas aedes, XII, l.
In Habentem varios mores, XII, xlv.
Haedi, XIII, xxxix.
Halteres, XIV, xlix.
Harpasta, XIV, xlviii.
De Haruspice hernioso, III, xxiv.
Ad Hedylum, I, xlvii.
In Hedylum (Gestari iunctis), IV, lii.

In Hedylum (Nil est tritius), IX, LVIII.
Ad Helium Rabulam, I, XCVI.
De Hercule insidente tauro ad caelum rapto, Sp. XVI.
Ad Herculem de eadem statua, IX, LXVI.
Hercules Corinthius, XIV, CLXXII.
Hercules fictilis, XIV, CLXXVIII.
Hermaphroditus marmoreus, XIV, CLXXIV.
De Hermete, V, XXIV.
De Hermogene fure, XII, XXIX.
In Hermum male clentem, II, XV.
De Herode, IX, XCVII.
De Hippocrate, IX, XCV.
Ad Hippodamum, IV, XXXI.
De Hirundine, V, LXVII.
Homeri Batrachomyomachia, XIV, CLXXXIII.
Homerus in membranis, XIV, CLXXXIV.
De Horatio, IV, II.
De Hortis Iulii Martialis, IV, LXIV.
De Hortis Marullae uxoris, XII, XXXI.
Ad Hospites, V, LXII.
Hyacinthus in tabula pictus, XIV, CLXXIII.
Ad Hyllum, IV, VII.
In Hyllum (Vnus saepe tibi), II, LI.
In Hyllum (Cur here quod dederas), IV, VII.

I.

Ad Ianthida Nympham, VI, XLVII.
Idem (Apyrina et tuberes), XIII, XLIII.
Idem (Capo), XIII, LXIV.
Idem (Vitelliani), XIV, IX.
Idem (Nives), XIV, CXVIII.
Idem (Toga), XIV, CXXV.
Idem (Lanae Pollentinae), XIV, CLVIII.
Idem (Cithara), XIV, CLXVI.
Idem (Trochus), XIV, CLXIX.
Idem (Cestos), XIV, CCVII.
De Imagine Marci Antonii ad Caeditianum, X, XXXII.
De Imagine Maximi Caesonii ad Q. Ovidium, VII, XLIV.
De Importunis basiatoribus, XII, LIX.
Ad Instantium, VIII, LXXIII.
Ad Instantium Rufum, VII, LXVIII.
In Invidum (Qui ducis vultus), I, XLI.
In Invidum (Laudat, amat, cantat), VI, LXI.
In Invitatorem, III, XLIX.
Ad Ipsam loricam, VII, II.

In Iactatorem, VIII, xxxiv.
Ad Ianum (Fastorum genitor), VIII, ii.
Ad Ianum (Annorum nitidique), X, xxviii.
Ad Ianum de Reditu Caesaris, VIII, viii.
Iecur anseris, XIII, lvi.
Ientacula, XIV, ccxxiii.
Iocus ex Homero in coquum, I, li.
Ad Iovem Capitolinum, VII, lx.
Ad Iulium (O mihi post nullos), I, xvi.
Ad Iulium (Rumpitur invidia), IX, xcviii.
In Iulium Cerealem, XI, lii.
Ad Iulium Martialem (si tecum mihi), V, xx.
Ad Iulium Martialem (Sextus mittitur), VI, i.
Ad Iulium Martialem (Vitam quae faciunt), X, xlvii.
Ad Iulium Martialem (Triginta mihi), XII, xxxiv.
In Iustinum, XI, lxv; II.
Ad Iuvenalem (De nostro, facunde), VII, xci.
Ad Iuvenalem (Dum te forsitan), XII, xviii.
Ad Iuvencum de Covino curru, XII, xxiv.

K.

Ad Kalendas Martias, X, xxiv.

L.

In Laberium, VI, xiv.
De Labieno (Haeredem Fabius), VII, lxvi.
De Labieno (Vt pueros emeret), XII, xxxiii.
Ad Labienum (Vidissem modo forte), V, xlix.
In Labienum (Quod pectus, quod crura), II, lxii.
In Labienum (Addixti, Labiene), XII, xvi.
In Labullam, XII, xxxvi.
Ad Labullum, XI, xxiv.
Lacernae albae, XIV, cxxxvii.
Lacernae Baeticae, XIV, cxxxiii.
Lacernae coccineae, XIV, cxxxi.
In Lacertam caelatam, III, xli.
Lactuca, XIII, xiv;.
De Ladonte nauta, X, lxxxv.
In Laeliam (Quum tibi non Ephesos), X, lxviii.
In Laeliam (Dentibus atque comis), XII, xxiii.
Ad Laelium obtrectatorem, I, cxii.
Laena, XIV, cxxxvi.
De Laevina casta et ad Baias adultera, I, lxiii.
Ad Laevinum, VI, ix.
Lagena nivaria, XIV, cxvi.

In Lalagen, I, LXVI.
Lalisio, XIII, XCVII.
Lanae albae, XIV, CLV.
Lanae amethystinae, XIV, CLIV.
Lanae Pollentinae, XIV, CLVII.
Lanae Tyriae, XIV, CLVI.
Lances chrysendetae, XIV, XCVII.
Laterna cornea, XIV, LXI.
Laterna e vesica, XIV, LXII.
In Laudem Nervae Traiani, XI, V.
Ad Laufeiam, III, LXXII.
De Lauro, X, LXXXVI.
Ad Lausum, VII, LXXXI.
In Lautum invitatorem, XII, XLVIII.
Leander marmoreus, XIV, CLXXXI.
De Leandri spectaculo, Sp. XXV.
De Leandro, Sp. XXV *bis*.
Ad Lecaniam, VII, XXXV.
Ad Lectorem (Hic est quem legis), I, II.
Ad Lectorem (Si qua videbuntur), II, VIII.
Ad Lectorem (Seria quum possim), V, XVI.
Ad Lectorem (Ne toga cordylis), XIII, I.
Ad Lectorem (Omnis in hoc gracili), XIII, III.
Ad Lectorem (Synthesibus dum gaudet), XIV, I.
Ad Lectorem de libro Gallicano, III, I.
Ad Lectorem gravem, XII, XX.
Ad Lectorem, ubi libri sui venales, I, CXIV.
Ad Lectorem, ubi libri venales, I, III.
Ad Lectores (Matronae puerique), V, II.
Ad Lectores (Triste supercilium), II, II.
Ad Lectores (Qui gravis es nimium), XI, XVI.
Lectus pavoninus, XIV, LXXXVI.
De Leda, II, LXXI.
Lens, XIII, VIII.
In Lentium (Mentiris iuvenem), III, XLIII.
In Lentium (Quare tam multis), XII, XVII.
De Leone Caesaris, I, VII.
De Leone cicure ad feritatem reverso, II, LXXV.
De Leone et ariete, IX, LXXII.
De Leone et lepore (Quid non saeva fugis), I, XXIII.
De Leone et lepore (Rictibus his tauros), I, XLIX.
De Leone et lepore (Intres ampla licet), I, LXI.
De Leone qui gubernatorem offendit, Sp. X.
Ad Leporem, I, LII.
Lepus, XIII, XCII.
De Lesbia, XI, LXII.
Ad Lesbiam (Incustoditis et apertis), I, XXXV.

Ad Lesbiam (Arctoa de gente), V, LXVIII.
In Lesbiam (Quod fellas et aquam), II, L.
In Lesbiam (Consule te Bruto), X, XXXIX.
In Lesbiam (De cathedra quoties), XI, XCIX.
Liber ad lectorem, X, I.
Ad Liberum, IX, LXXIII.
Ad Liberum amicum, VIII, LXXVII.
De Libro suo (Edita ne brevibus), I, XLVI.
De Libro suo (Sunt chartae mihi), XI, XV.
Ad Librum (Vade salutatum), I, LXXI.
Ad Librum (Ohe! iam satis est), IV, XCI.
Ad Librum (Dum mea Caecilio), VII, LXXXIV.
Ad Librum (I nostro comes), X, CIV.
Ad Librum (Quo tu, quo, liber), XI, I.
Ad Librum suum (Ter centena quidem), II, I.
Ad Librum suum (Cuius vis fieri), III, I.
Ad Librum suum (Romam vade, liber), III, IV.
Ad Librum suum (De Appollinari), IV, LXXXVII.
Ad Librum suum (Laurigeros domini), VIII, I.
Ad Librum suum (Nondum murice), VIII, LXXII.
Ad Librum suum (Ad populos mitti), XII, III.
Ad Librum suum de Caesare Sabino, VII, XCVII.
Ad Librum suum in lucem prodere gestientem, I, IV.
Licinianum in Hispaniam proficiscentem ad villam rusticam et genialem hortatur, I, L.
Ad Licinianum, scriptores unde, I, LXII.
Ad Licinium Suram, VII, XLVII.
De Lino, I, XCVI.
Ad Linum (Egisti vitam), IV, LXVI.
Ad Linum (Bruma est, et riget), VII, XCV.
In Linum (Quid mihi reddat ager), II, XXXVIII.
In Linum (Quid de te, Line), II, LIV.
In Linum (Ilia salax nimium), XI, XXV.
Ad Linum paedagogum, XII, XLIX.
De Litoribus Altini et Aquileia, IV, XXV.
Livius In membranis, XIV, CXC.
De Ligeia, XII, VII.
In Ligellam, X, XC.
Ligna acapna, XIII, XV.
Ligula Argentea, XIV, CXX.
In Ligurinum (Occurrit tibi nemo), III, XLIV.
In Ligurinum (Haec tibi non alia), III, L.
De Ligurra, XII, LXI.
Loculi eborei, XIV, XII.
Loculi lignei, XIV, XIII.
Lodices, XIV, CXLVIII.
Lomentum, XIV, LX.

Lucanica, XIII, xxxv.
De Lucano et Tullo, IX, lii.
Ad Lucanum et Tullum, I, xxxvii.
Lucanus, XIV, cxciv.
Lucerna cubiculari, XIV, xxxix.
Lucerna polymyxos, XIV, xli.
Ad Luciferum vel in adventum Caesaris, VIII, xxi.
Ad Lucium, IV, lv.
Ad Lucium Iulium, cviii.
De Ludis Stellae, VIII, lxxviii.
Ludus leonis cum lepore in arena, I, xv.
De Ludo puerorum cum iuvencis, V, xxxi.
De Luperco, XI, xl.
Ad Lupercum (Comoedi tres sunt), VI, vi.
Ad Lupercum (Quod convivaris), VI, li.
Ad Lupercum (Septem post calices), IX, lxxxviii.
In Lupercum (Occurris quoties), I, cxviii.
In Lupercum (Stare, Luperce, tibi), III, lxxv.
Ad Lupum (Cui tradas, Lupe), V, lvi.
Ad Lupum (Tristis es, et felix), VI, lxxix.
Ad Lupum de Polla, X, xl.
In Lupum (Pauper amicitiae), IX, iii.
In Lupum (Donasti, Lupe), XI, xviii.
Lupus, XIII, lxxxix.
Luscinia, XIV, lxxv.
In Luscum furem, VIII, lix.
De Lycori (Ilisco similem), III, xxxix.
De Lycori (Tibur in Herculeum), IV, lxii.
De Lycori ad Fabianum, IV, xxiv.
De Lycoride (Dum Tiburtinis), VII, xi.
Ad Lycorim (Qui pinxit Venerem), I, ciii.
Ad Lycorim (Femina praeferri), VI, xl.
In Lydiam (Lydia tam laxa est), XI, xxi.
In Lydiam (Non est mentitus), XI, cii.
Ad Lygdium, XII, lxxi.
In Lygdum, XI, lxxiii.
In Lyrim, II, lxxiii.

M.

De Macro ad Musam, X, xvii.
Ad Macrum (Dum donas, Macer), VIII, v.
Ad Macrum (Ibis litoreas), X, lxxxviii.
De Maevio, X, lxxvi.
In Maevium, XI, xlvi.
Ad Magistrum Ludi, X, lxii.
In Magistrum Ludi, IX, lxix.

In Magullam, XII, xcii.
Mala citrea, III, xxxvii.
In Male recitantem, IV, xli.
In Maledicum (Quum tibi vernarent), II, lxi.
In Maledicum (Cum Iuvenale meo), VII, xxiv.
In Maledicum poëtam, X, v.
In Malisianum, IV, vi.
In Mallum, XII, c.
In Malum medicum, VIII, lxxiv.
In Malum poëtam, VII, xxv.
Mamillare, XIV, lxvi.
In Mamercum, II, lxxxviii.
Mamertinum, XIII, cxvii.
Ad Mamurianum, I, xciii.
Ad Mamurram, X, iv.
In Mamurram, IX, lx.
Ad Manium, X, xx;.
In Mancinum, IV, lxi.
In Mancinum, avarum convivatorem, I, xliv.
De Manneia, I, lxxxiv.
De Manneio (Lingua maritus), XI, lxi.
Mannale, XIV, lxxxiv.
Ad Marcellinum (Lux tibi post Idus), III, vi.
Ad Marcellium (Marcelline, boni), VI, xxv.
Ad Marcellinum (Miles hyperboreos), IX, xlvi.
De M. Antonio, X, xxiii.
Ad Marcum, X, lxxiii.
Ad Marcum Vnicum, XII, xliv.
In Marcum, VI, xi.
In Marcum Antonium (Par scelus admisit), III, lxvi.
In Marcum Antonium (Antoni, Phario), V, lxix.
Ad Marianum (Saepe ego Chrestillam), II, xxxi.
Ad Marianum (Scis te captari), VI, lxiii.
In Marianum, V, lxi.
Ad Marinum, X, lxxxiii.
De Mario (Argenti libras), II, lxvi.
De Mario (Nec vocat ad coenam), X, xviii.
Ad Maritum, III, lxv.
Ad Marium, X, xcii.
De Marone, XII, xci.
In Maronem, XI, lxvii.
Ad Martianum, VI, lxx.
Ad Marullam, XII, xxi.
In Marullam, X, lv.
In Marullum, V, lxxvii.
Massilianum, XIII, cxxiii.
Ad Maternum, X, xxxvii.

In Mathinum, III, XXXII
Ad Mathonem (Hospes eras nostri), IV, LXXX.
Ad Mathonem (Si te sportula), VIII, XLII.
Ad Mathonem (Parva rogas magnos), XI, LXVIII.
In Mathonem (Declamas in fata), IV, LXXXI.
In Mathonem (Omnia vis belle), X, XLVI.
Mattiacae pilae, XIV, XXVII.
Ad Matronam pudicam, III, LXVIII.
Ad Maximum (Coepit, Maxime), I, LXX.
Ad Maximum (Esquiliis domus est), VII, LXXIII.
In Maximinam, II, XLI.
In Maximum (Capto tuam), II, XVIII.
In Maximum (Vis fieri libris), II, LIII.
In Maximum (Perfrixisse tuas), III, XVIII.
Ad Maximum de Columba Stellae, I, VIII.
Mel atticum XII, CIV.
Ad Meliorem VIII, XXXXVIII.
Menandri Thais; XIV, CLXXXVII.
De Menogene, XII, LXXXIII.
De Menophilo, VII, LXXXII.
Mensa acerna, XIV, XC.
Mensa citrea, XIV, LXXXIX.
In Milchum, II: LXIII.
De Milone, VII, CII.
In Milonem, XII, CI.
Minerva argentea, XIV, CLXXIX.
De Misitio et Achilla, III, CXI.
Mittit librum suum ad Plinium (Caecilium Secundum), X, XIX.
Morio, XIV, CCX.
De Morte Eutychi pueri, VI, LXVIII.
De Morte Othonis, VI, XXXII.
In Mortem Rufi Camonii, VI, LXXXV.
De Morte Vari, X, XXVI.
De Mucio, X, XXV.
Mulae pumiliae, XIV, CXCVII.
In Mulierem deformem, III, III.
De Mulione surdo, XI, CCCVIII.
Mullus, XIII, LXXXIX.
Mulsum, XIII, CVIII.
Ad Munatium Gallum, X, XXXIII.
Ad Municipes suos Bilbilitanos, X, CIII.
De Munna, X, LX.
In Munnam Dixerat astrologus), IX, LXXXIII.
In Munnam (Improba Massiliae), X, XXXVI.
Munusculum pomorum, X, XCIV.
De Muneribus ad moecham missis, II, XXXIX.
Muraena, XIII, LXXX.

Muria, XIII, ciii.
Murices, XIII, lxxxvii.
Ad Musam, VIII, iii.
Ad Musas, vel, librum commendat Parthenio, V, vi.
Muscaria pavonina, XIV, lxvii.
Muscarium bubulum, XIV, lxxi.
Myrobalanum, XIV, lvii.
Myrrhina, XIV, cxiii.

N.

De Naevia, II, ix.
In Naeviam avaram convivatricem, III, xiii.
In Naevolum (Florida per varios), II, xlvi.
In Naevolum (Mentula quum doleat), III, lxxi.
In Naevolum (Numquam dicis, Ave), III, xcv.
In Naevolum (Securo nihil est), IV, lxxxiv.
Ad Naevolum causidicum, I, xcvii.
De Nanneio, V, xiv.
Napi, XIII, xx.
Ad Narniam, VII, cxiii.
Narthecium, XIV, lxxviii.
Ad Nasicam, II, lxxix.
In Nasidienum, VII, liv.
In Nasutum, XII, xxxvii.
De Nata, XI, lxxxii.
In Natalem Maronis, XII, lxvii.
De Natali Caesoniae, IX, xl.
De Natali Domitiani, IV, i.
De Natali Lucani, VII, xxi.
De Natali Restituti, X, lxxxvii.
De Natatoribus, Sp. xxvi.
Naumachia, Sp. xxiv.
De Naumachia et diversis spectaculis in aqua exhibitis, Sp. xxviii.
De Nephritico, sed phrenetico, XI, xxviii.
Ad Nepotem, VI, xxvii.
De Nerva (Quanta quies placidi), VIII, lxx.
De Nerva (Audet facundo), IX, xxvii.
In Nestorem (Auriculam Mario), III, xxviii.
In Nestorem (Nec toga, nec focus), XI, xxxii.
De Nigrina, IV, lxxv.
Nimbus vitreus, XIV, cxii.
Nives, XIV, cxvii.
De Nivibus, IV, iii.
Nomentanum, XIII, cxix.
In Non arringentem, XII, lxxxvii.
Ad Norbanum, IX, lxxxv.

Notarius, XIV, ccviii.
Nuces, XIV, xviii.
Nuces pineae, XIII, xxv.
De Numa, X, xcvii.
Numidicae, XIII, lxxiii.
In Nuptias Lygdi et Lectoriae, VI, xlv.
Ad Nymphas Sabini, IX, lix.

O.

In Obitum Severi Silli, IX, lxxxvii.
Oleum Venafranum, XIII, ci.
Olivae, XIII, xxxvi.
De Ollo, III, xlviii.
Ad Olum (Quod te nomine), II, lxviii.
Ad Olum (Cana est barba tibi), IV, xxxvi.
In Olum (Paedicatur Eros), VII, x.
In Olum (Mensas, Ole, bonas), X, liv.
Onager, XIII, c.
Opera publica Caesaris, Sp. ii.
Opobalsama, XIV, lix.
De Oppiano, VII, iv.
Ad Opplanum, VI, lxii.
In Oppianum, VIII, xxv.
Opsonator, XIV, ccxvii.
Oryx, XIII, xcv.
Ostrea, XIII, lxxxii.
Ova, XIII, xl.
Ovidii Metamorphosis in membranis, XIV, cxcii.
Ad Ovidium, I, cvi.

P.

In Paediconem masturbantem, XI, xxii.
Ad Paetum (Solvere, Paete, decem), XI, lxxvi.
Ad Paetum (Ad primum decima), XI, lxxix.
In Paetum, VI, xxx.
Palaestrita, XIV, cci.
Palumbus torquatus, XIII, lxvii.
Ad Pamphilum, IV, lxix.
Panaca, XIV, c.
De Panareto potore, VI, lxxxix.
Panes Picentini, XIII, xlvii.
Ad Pannicum (Flectere te nolim), II, xxxvi.
Ad Pannicum (Iugera mercatus), XII, lxxii.
Ad Pannicum de Gellia uxore, VI, lxvii.
In Pannicum, IX, xlviii.

De Papilo, VII, xciv.
Ad Papilum, VI, xxxvi.
In Papilum (Percidi gaudes), IV, xlviii.
In Papilum VII, lxxviii.
Parat poëta convivium, X, xlviii.
Parazonium, XIV, xxxii.
De Pari gladiatorum, Sp. xx.
Parma, XIV, ccxiii.
De Partheniana toga, VIII, xxviii.
In Parthenopaeum, XI, lxxxvi.
De Pasiphaes spectaculo, Sp. v.
Passum, XIII, cvi.
Ad Pastorem, IX, xxiii.
Patella cumana, XIV, civ.
Ad Paulinum de Selio coenipeta, II, xiv.
Ad Paulinum, III, lxxviii.
De Paulla, X, viii.
Ad Paullam, I, lxxv.
Ad Paullam (Iam certe stupido), XI, vii.
In Paullam, IX, vi.
De Paullo (Carmina Paullus emit), II, xx.
De Paullo (Languidior noster), IX, lxxxvi.
Ad Paullum (Sic tanquam tabulas), XII, lxii.
In Paullum (Mane domi), V, xxii.
In Paullam (Quum tu, lrurigeris), X, x.
Ad Paulum (Facere in Lyciscam), IV, xvii.
Ad Paulum (De Praetoritia), VIII, xxxiii.
Ad Paulum de Myrtale, V, iv.
Pavo XIII, lxx.
Pecten, XIV, xxv.
Pelignum, XIII, cxxi.
Penula gausapina, XIV, cxlv.
Penula scortea, XIV, cxxx.
Pera, XIV, lxxxi.
Perdix, XIII, lxv.
Perna, XIII, liv.
Persica, nucipersica, XIII, xlvi.
Persona Germanica, XIV, clxxvi.
In Pessimos coniuges, VIII, xxxv.
Petaso, XIII, liii.
Petit latenter a Domitiano pecuniam, VI, x.
De Phaethonte, IV, xlvii.
Phasianos, XIII, lxxii.
De Phaside, V, viii.
Phiala aurea, XIV, xcv.
De Phiala Instantii Rufi, VIII, li.
De Philaeni (Oculo Philaenis), IV, lxv.

De Philaeni (Tinctis murice vestibus), IX, LXIII.
De Philaenide, XII, XXII.
In Pbilaenim (Cur non basio te), II, XXXIII.
In Philaenim (Paedicat pueros), VII, LXVII.
In Philaenim (Ipsarum tribadum), VII, LXX.
In Philaenim (Cur spleniato), X, XXII.
De Pbileno, X, CII.
Ad Philerotem, X, XLIII.
De Philippo, VI, LXXXIV.
Ad Philomusum, VII, LXXVI.
In Philomusum (Constituit, Pbilomuse), III, X.
In Philomusum (Artibus his semper), IX, XXXVI.
In Philomusum (Spectas nos, Pbilomuse), XI, LXIII.
De Philone, V, XLVII.
De Philostrato, XI, LXXXII.
Ad Phoebum, II, LXXXIX.
Ad Phoebum (Quadringentorum), IX, CIII.
Ad Pboebum (Haedina tibi pelle), XII, XLV.
In Pboebum (Dormis cum pueris), III, LXXXIII.
In Pboebum (Mutua te centum), VI, XX.
In Pboebum (Mentiris fictos), VI, LVII.
In Phoebum (Ad coenam invitant), IX, LXIV.
Ad Pboebum Varum, II, XXXV.
Pboenicopterus, XIII, LXXI.
In Phyllida, XI, L.
De Phyllide (Quum duo venissent), X, LXXXI.
De Phyllide (Formosa Pbyllis), XII, LXV.
Ad Pbyllidem, XI, XXIX.
Pica, XIV, LXXVI.
Picatum vinum, XIII, CVII.
De Picente (Tres habuit dentes), VIII, LVII.
De Picente (Scribit in aversa), VIII, LXII.
Ad Picentinam, IX, LXXIX.
In Pietatem Nigrinae, IX, XXXI.
De Pigris nautis, III, LXVII.
Pila Paganica, XIV, XLV.
Pila Trigonalis, XIV, XLVI.
Pileus, XIV, CXXXII.
Piper, XIII, V.
Ad Piscatorem, IV, XXX.
De Piscibus sculptis, III, XXXV.
Pistor dulciarius, XIV, CCXXII.
De Platano Caesaris, IX, LXII.
Plectra, XIV, CLXVII.
Pluma, XIV, CLXI.
Pocula archetypa, XIV, XCIII.
De Polla, X, LXIX.

Ad Pollam, X, LXIV.
In Pollam (Intactas quare), XI, LXXXIX.
In Pollam (Lomento rugas), III, XLII.
Ad Polycarmum, VIII, XXXVII.
In Polycarmum (Quum futuis, Polycarme), IX, LXX.
In Polycarmum (Aegrotas uno), XII, LVI.
Ad Polytimum, XII, LXXXV.
De Pompeio et filiis, V, LXXIV.
De Pompillo, ad Faustinum, VI, LX.
In Pomponium, VI, XLVIII.
In Pontiam, VI, LXXV.
Ad Ponticum (Abscissa servum), II, LXXXII.
Ad Ponticum (Quid sentis, inquis), V, LXIII.
In Ponticum (Quum vocor ad coenam), III, LX.
In Ponticum (Nos bibimus vitro), IV, LXXXVI.
In Ponticum (Pontice, per reges), VII, C.
In Ponticum (Pontice, quod nunquam), IX, XLII.
In Ponticum, patronum inutilem, II, XXXII.
Ad Pontilianum, VII, III.
In Pontilianum (Saepe salutatus), V, LXVI.
In Pontilianum (Mentiris? credo), XII, XL.
Ad Populum Romanum de iisdem delatoribus, Sp. IV, *bis*.
Procellus lactens, XIII, XLI.
De Porcia uxore Bruti, I, LXIII.
Porcus, XIV, LXX.
Porri capitati, XIII, XIX.
Porri sectivi, XIII, XVIII.
Porphyriones, XIII, LXXVIII.
De Porsena et Mutio Scaevola, I, XXII.
Ad Posthumum (Quod te mane domi) IV, XXXVI.
Ad Posthumum (Atria Pisonum), IV, XL.
Ad Posthumum (Cras te victurum), V, LVIII.
In Posthumum (Esse quid hoc dicam), II, XII.
In Posthumum (Basia das aliis), II, XXI.
In Posthumum (Occurris quocumque), II, LXVII.
In Posthumum (Hesterna factum), II, LXXII.
In Posthumum (Quae mihi praestiteris), V, LII.
In Posthumum (Omnia promittis), XII, XII.
In Posthumum causidicum, VI, XIX.
In Postumianum, VIII, LXXI.
Ad Potitum, X, LXX.
De Praecono puellam vendente, VI, LXVI.
In Praeconem stolide facetum, I, LXXXVI.
In Praetorem, IV, LXVII.
De Prasino, XI, XXXIII.
Precatur Deos pro Nerva Traiano, XI, IV.
De Priapo hilari, VI, LXXIII.

Ad Priapum (Tu qui pene viros), VI, xvi.
Ad Priapum (Non horti, neque palmitis), VIII, xl.
Priapus siligineus, XIV, lxix.
De Prisco et Vero gladiatoribus, Sp. xxix.
Ad Priscum (Commendare tuum), VII, xlvi.
Ad Priscum (Vxorem quare), VIII, xii.
Ad Priscum (Vernaculorum dicta), X, iii.
Ad Priscum (Quod Flacco, Varioque), XII, iv.
Ad Priscum (Parcius utaris), XII, xiv.
Ad Priscum (Saepe rogare soles), XII, xciii.
In Priscum, I, cxiii.
In Porcillum, I, cxvi.
Ad Porcillum convivam nimis memorem, I, xxviii.
In Proculeiam, X, xli.
In Proculinam, VI, xxii.
Propertius, XIV, clxxxix.
Pruna Damascena, XIII, xxix.
Psittacus, XIV, lxxiii.
In Publium, X, xcviii.
Puella Gaditana, XIV, cciii.
Ad Puellas, XII, lv.
Puer cinaedus, XIV, clv.
Pueri comoedi, XIV, ccxiv.
De Pueris, XII, lxxv.
De Pueri pretio, I, lix.
De Puero per stiriam cadentem iugulato, IV, xviii.
Ad Puerum suum, XI, xi.
Pugillares citrei, XIV, iii.
Pugillares eborei, XIV, v.
Pugillares membranei, XIV, vii.
Pugio, XIV, xxxiii.
De pugna damarum, IV, xxxv.
Pulli gallinacei, XIII, xlv.
Pumilio, XIV, ccxii.

Q.

Qualem puellam velit, III, xxxiii.
Qualem velit amicam, IX, xxxiii.
Quincupedal, XIV, xcii.
Quincuplices, XIV, iv.
Ad Quintianum, V, xviii.
Quintianum facit assertorem, I, liii.
Ad Quintilianum, II, xc.
Ad Quintum (Si tua nec Thais), III, xi.
Ad Quintum (Exigis, ut donem), IV, lxxii.
Ad Quintum (Quae legis causa), V, lxxv.

In Quintum (Thaida Quintus amat), III, VIII.
In Quintum (Centenis quod emis), III, LXII.
Ad Quintum de Hyla, VIII, IX.
Ad Quintum Ovidium (Si credis mihi, Quinte), IX, LIII.
Ad Quintum Ovidium (Vindemiarum non ubique), IX, XCIX.
Ad Quintum Ovidium (Quinte Caledonios), X, XLIV.
De Quirinali, I, LXXXV.

R.

De Rabirio, X, LXXI.
Ad Rabirium, VII, LVI.
Rapa, XIII, XVI.
In Raptorem coenae Caecilium, II, XXXVII.
De Reditu Domitiani, VII, VIII.
De Regulo, I, LXXVIII.
De Regulo porticus ruina non oppresso, I, XIII.
Ad Regulum (Quum tibi sit sophiae); I, CXII.
Ad Regulum (Primus ubi est), II, XCIII.
Ad Regulum (Aera domi non sunt), VII, XVI.
Ad Regulum (Raucae cortis aves), VII, XXXI.
Ad Regulum de fama poëtarum, V, X.
Respondet Marco imperator, I, VI;.
Ad Rhenum de Eodem (Caesare Traiano), X, VII.
De Rhetore Apollonio, V, LIV.
Rhinoceros, XIV, LIII.
De Rhinocerote, Sp. IX.
De Rhinocerote, Sp. XXII.
Rhombus, XIII, LXXXI.
Ad Romam (iam parce lasso), X, LXXIV.
Ad Romam (Vnctis falciferi), XI, VI.
Ad Rufinum divitem arrogantem, III, XXXI.
De Rufo, I, LXIX;.
Ad Rufum (Interponis aquam), I, CVII.
Ad Rufum (Rufe, vides illum), II, XXIX.
Ad Rufum (Cauponem, laniumque), II, XLVIII.
Ad Rufum (Dum me captares), IX, LXXXIX.
Ad Rufum (Ne legat hunc Chione), III, XCVII
Ad Rufum (Cursorem sexta), III, C.
Ad Rufum (Hos quoque commenda), IV, LXXXIII.
Ad Rufum (Hic, qui libellis), V, LI.
Ad Rufum (Quidam me modo), VI, LXXXII.
Ad Rufum (Musaei pathicissimos), XII, XCVI.
In Rufum III, XCIV.
Ad Rufum de nuptiis Pudentis et Claudiae Peregrinae, IV, XIII.
Ad Rufum de origine Bacchi, V, LXXII.
Ad Rufum de Selio coenipeta, II, XI.

De Rusticatione, IV, xc.
Rusticula, XIII, LXXVI.
Ad Rusticum, VIII, XXIII.

S.

De Sabello, IV, XLVI.
Ad Sabellum, VII, LXXXV.
In Sabellum (Sit culus tibi), III, XCVIII.
In Sabellum (Nil miserabilius), VI, XXXIII.
In Sabellum (Laudat balnea), IX, XX.
In Sabellum (Odi te), XII, XXXIX.
In Sabellum (Facundos mihi), XII, XLIII.
Ad Sabidium, I, XXXIII.
In Sabidium, III, XVII.
Sabino mittit coronam roseam, IX, LXI.
Ad Sabinum, XI, XVIII.
Saccus nivarius, XIV, CIV.
In Saevum maritum, II, LXXXIII.
In Saleianum, II, LXV.
Sallustius, XIV, CXCI.
In Sanctram, VII, XX.
Sapo, XIV, XXVI.
Ad Saturnum pro Prisco Terentio, XII, LXII.
In Saufeium, fictum divitem, II, LXXIV.
Saurocotonos Corinthius, XIV, CLXXII.
Ad Scaevolam, I, CIV.
Scalptorium, XIV, LXXXIII.
Scarus, XIII, LXXXIV.
Scazonata mittit ad Apollinarem, VII, XXVI.
Ad Scazontem de fellatore, I, XCVII.
De Scorpo, X, L.
Scopae, XIV, LXXXII.
Scrinium; XIV, XXXVII.
De Se (Si meus aurita), VII, LXXXVII.
De Se (Vndenis pedibusque), X, IX.
De Se Priapus, VI, XLIX.
Securicula, XIV, XXXV.
De Selio, IV, XXI.
De Selio coenipeta, II, XXVII.
Semicinctium, XIV, CLIII.
Ad Semproniam, XII, LII.
Ad Sempronium Tuccam, VII, XLI.
Ad Senem orbum, XI, XLIV.
In Seniam, XII, XXVII.
Ad Septicianum, II, CVII.
Ad Sertorium, III, LXXIX.

In Sertorium, II, LXXXIV.
In Servum equitem factum, III, XXIX.
Setinum, XIII, CXII.
Ad Severum (I nunc, edere), II, VI.
Ad Severum (Non totam mihi), V, LXXX.
Ad Severum (Praetores duo), VI, VIII.
Ad Severum (Parva suburbani), VII, XLIX.
Ad Severum (Potavi modo), VII, LXXIX.
Ad Severum (Miraris docto), XI, LVII.
Ad Severum, de Charino, VII, XXXIV.
Ad Severum de Charino, VIII, LXI.
De Sextiliano, VI, LIV.
Ad Sextilianum (Sextiliane, bibis), I, XXVII.
Ad Sextilianum (Quam mihi mittebas), X, XXIX.
Ad Sextilianum potorem, I, XII.
In Sextillum, II, XXVIII.
Ad Sextum (Sexte, nihil debes), II, III.
Ad Sextum (Vis te, Sexte, coli), II, LV.
Ad Sextum (Et iudex petit), II, XIII.
Ad Sextum (Dicis amore tui), II, LXXXVII.
Ad Sextum (Quae te causa trahit), III, XXXVIII.
Ad Sextum (Invitas centum), IV, LXVIII.
Ad Sextum (Sexte, Palatinae), V, V.
Ad Sextum (Egi, Sexte, tuam), VIII, XVII.
Ad Sextum (Scribere te, quae vix), X, XXI.
Ad Sextum (Argenti libram), X, LVII.
In Sextum (Emi seu puerum), II, XLIV.
In Sextum (Ad natalitias), VII, LXXXVI.
Sigillum gibberi fictile, XIV, CLXXXII.
Signinum, XIII, CXVI.
Signum victoriae, XIV, CLXX.
In Silam, XI, XXIII.
De Silio, XI, XLIX.
De Silio Italico, VII, LXIII.
In Silium Italicum, XI, XLVIII.
Simius, XIV, CCII.
Simila ex tritico, XIII, X.
Soleae lanatae, XIV, LXV.
Ad Somnum, I, LXXII.
Ad Sophronium, XI, CIII.
Ad Sophronium Rufum, IV, LXXI.
Sorba, XIII, XXVI.
Ad Sosibianum (E servo scis te), I, LXXXII.
Ad Sosibianum (Plena laboratis), IV, XXXIII.
Ad Sosibianum (Nemo habitat gratis), XI, LXXXIII.
De Sotade, VI, XXVI.
De Spadone, X, LII.

De Spadone et sene, XI, lxxxi.
Ad Sparsum, XII, lvii.
Spathalion Caryotarum, XIII, xxvii.
De Spectaculo, I, cvi.
De Spectaculo Orphei, Sp. xxi.
De Spectaculo Scaevolae, VIII, xxx.
De Spendophoro, IX, lvii.
Spoletinum, XIII, cxx.
Spongia, XIV, cxliv.
Squillae, XIII, lxxxiii.
De Statua Caesaris Domitiani, IX, lxv.
De Statua Iuliae, VI, xiii.
De Statua Herculis, IX, xliv.
De Statua Iunonis, X, lxxxix.
De Stella, V, xi.
De Stella et Ianthide, VI, xxi.
Ad Stellam (Lascivos leporum), I, xlv.
Ad Stellam (Quod non argentum), V, lix.
Ad Stellam (Quum pluvias madidumque), VII, xxxvi.
Ad Stellam (Lege nimis dura), IX, xc.
Stibadia, XIV, lxxxvii.
Strigiles, XIV, li.
Ad Sua carmina, XII, ii.
De Sue quae ex vulnere peperit, Sp. xii.
De Suis libellis, XI, iii.
De Suis libris, VII, lxxxviii.
De Sulpicia, X, xxxv.
Sumen, XIII, xliv.
Ad Suos ministros, V, lxiv.
De Supplice elephante, Sp. xvii.
Surrentinum, XIII, cx.
De Sutore et fullone munerariis, III, lix.
In Sutorem, IX, lxxiv.
Ad Suum natalem, XII, lx.
In Symmachum, V, ix.
Synthesis, XIV, cxli.

T.

Tabula lusoria, XIV, xvii.
Tali eborei, XIV, xiv.
Tarentinum, XIII, cxxv.
Tarraconense, XIII. cxviii.
De Tauro et elephante, Sp. xix.
In Taurum, II, lxiv.
In Telesphorum, XI, lviii.
Ad Telesphorum puerum, XI, xxvi.
De Telethusa, VI, lxxi.

De Templo gentis Flaviae, IX, xxxv.
De Templo Flaviae gentis, IX, ii.
Tessera, XIV, xv.
Ad Testilum puerum, VII, xxix.
De Thaide et Lecania, V, lxiii.
De Thaide, VI, xciii.
In Thaidem (Nulli, Thai, negas), IV, xii.
In Thaidem (Quid me, Thai, senem), IV, l.
In Thaidem (Non est in populo), IV, lxxxv.
Ad Thaliam, de Brutiano, IV, xxiii.
Theca calamaria, IV, xix.
In Thelesillam, XI, xcvii.
De Thelesina (Iulia lex, populis), VI, vii.
De Thelesina (Vxorem nolo), II, xlix.
De Thelesino, VI, l.
In Thelesinum (Mutua quod nobis), III, xl.
In Thelesinum (Quum rogo te nummos), XII, xxv.
De Theodoro, XI, xciii.
Ad Theodorum, V, lxxiii.
De Theophila ad Canium, VII, lxix.
De Theopompo, X, lxvi.
Thus, XIII, iv.
Tibiae, XIV, lxiv.
Tibullus, XIV, cxciii.
De Tigride cicure ad feritatem subito reversa viso leona, Sp. xviii.
Tintinnabulum, XIV, clxiii.
De Titio, XI, li.
Ad Titullum, VIII, xliv.
Ad Titum, I, xviii.
Toga, XIV, cxxiv.
De Toga a Parthenio sibi donata, IX, l.
Tomentum Circense, XIV, clx.
Tomentum leuconicum, XIV, clix.
De Tongiliano, XII, lxxxix.
Ad Tongilianum de utili incendio, III, lii.
De Tongilio morbum simulante, II, xl.
In Tongilionem, III, lxxxix.
De Torquato et Otacilio, X, lxxix.
Trifolinum, III, cxiv.
Triplices, XIV, vi.
Trochus, XIV, clxviii.
Tubera, XIII, l.
Ad Tuccam (Quid te, Tucca, iuvat), I, xix.
Ad Tuccam (Hexametris Epigramma), VI, lxv.
Ad Tuccam (Quum cathedralicios), X, xiii.
In Tuccam (Exigis, ut nostros), VII, lxxvii.
In Tuccam (Vendere, Tucca, potes), XI, lxx.

In Tuccam (Non est, Tucca, satis), XII, xli.
In Tuccam (Scribebamus epos), XII, xcv.
De Tuccio, III, xiv.
Tunicae Patavinae, XIV, cxliii.
Ad Turanium, V, lxxviii.
Turdorum corona, XIII, li.
De Turno, XI, x.
Turtur, XIII, liii.
Turricula, XIV, xvi.

V.

Vdones Cilicii, XIV, cxl.
Vmbella, XIV, xxviii.
De Vmbro, XII, lxxxi.
In Vmbrum, VII, liii.
Vnguentum, XIII, cxxvi.
Ad Vrbicum, VII, li.
Vrceoli ministratorii, XIV, cv.
Vrceus fictilis, XIV, cvi.
De Vrso, Sp. xi.
Vva duracina, XIII, xxii.
Ad Vxorem, II, xcii.
In Vxorem (Vxor, vade foras), XI, civ.
In Vxorem (Deprensum in puero), XI, xliii.
In Vacerram (Miraris veteres), XIII, lxix.
In Vacerram (Et delator es), XI, lxvi.
In Vacerram (In omnibus, Vacerra), XI, lxxvii.
In Vacerram (O Iuliarum), XII, xxxii.
In Raucum poëtam, VI, xli.
In Varie se tondentem, VIII, lxvii.
Ad Varronem, V, xxx.
Ad Varum, VIII, xx.
In Varum, IV, lxxviii.
Vasa Aretina, XIV, xcviii.
De Velii voto, IX, xxxii.
Ad Velocem, I, cxi.
In Verpum aemulum, XI, xciv.
Venabula, XIV, xxx.
De Vestino, IV, lxxiii.
De Vesuvio monte, IV, xliv.
De Vetula, VII, ci.
In Vetustillam, III, xciii.
Vicinus non Vicinus, I, lxxxvii.
Ad Victorem sponsum, XI, lxxviii.
De Villa Faustini, ad Bassum, III, lviii.
De Vipera electro inclusa, IV, lix.
De Vipera in ore ursae, III, xix.

Virgilii Culex, XIV, CLXXXV.
Virgilius in membrana, XIV, CLXXXVI.
Vitelliani, XIV, VIII.
Ad Volcanum, V, VII .
Votum Parthenii ad Phoebum pro Burro filio, IV, XLV.
Vulva, XIII, LVI.

Z.

In Zelotypam, XII, XCVII.
Ad Zoilum, II, XIX.
In Zoilum (Zoile, quid solium), II, XLII.
In Zoilum (Pexatus pulchre), II, LVIII.
In Zoilum (Laxior hexaphoris), II, LXXXI.
In Zoilum (Convive quisquis), III, LXXXII.
In Zoilum (Vndecies una), V, LXXIX;.
In Zoilum (Sancta ducis summi), VI, XCI.
In Zoilum (Ius tibi natorum), XI, XII.
In Zoilum (Os male caussidicis), XI, XXX.
In Zoilum (Zoile, quid tota), XI, XXXVII.
In Zoilum (Sidere percussa est), XI, LXXXV.
In Zoilum (Vnguenta, et casias), XI, LIV.
In Zoilum (Mentitur, qui te), XI, XCII.
In Zoilum (Crine ruber, niger ore), XII, LIV.
In Zoilum, aegrum se simulantem; II, XVI.
In Zoilum invidum, IV, LXXVII.
Zona, XIV, CLI.

M. VAL. MARTIALIS

DE

SPECTACVLIS

LIBELLVS.*

I. — IN AMPHITHEATRVM CAESARIS.

Per inductionem collativam Ampbitbeatrum a Vespasiano exstructum (Sueton. Vesp. 9), et a Tito dedicatum (Sueton. Tit. 7), in quo spectacula magnifica assidue et sumptuosa edidit Domitianus (Sueton. Dom. 4), multis praefert orbis miraculis. Ed. P.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis;

* Hunc Libellum, quia in eo quaedam Martialis tempori non conveniunt, multa ingenium nostri Poetae parum sapiunt, ex mente DD. VV. Jani Rutgersii var. lect. lib. V, cap. 15, et Petri Scriverii in Animadversionibus suis, Martiali abdicatum, atque ad calcem reiiciendum curavit Farnabius. Ant. de Rooy. inscrib. *Diversorum poetarum Spectacula*; unius enim Martialis, inquit, hunc foetum esse, haud facile adducar ut credam, et summo iure dudum dubitarunt eruditi. Theodorus Marcilius: *In Amphitheatrum et Venationes Caesaris Domitiani.*

1. *Barbara.* Barbara Memphis appellatur ad Graecorum distinctionem, quibus alii omnes Barbari dicti; immu ex suis qui non Hellada incolebant, quive non ore rotundo molliter et attice loquebantur. — *Memphis*, urbs Aegypti nobilissima, secundum plerosque hodie *le Caire*. Quum tamen ab altera parte Nili fuerit, e regione Cairi, cuius nihil exstare praeter nomen Menchis putat Postellus, vana est illa opinio. Strabo lib. XVII ait, *Pyramides quae apud Memphim sunt, in ulteriore regione apparere*, scilicet Babylonis castelli natura muniti a Babyloniis quibusdam conditi, ut ait idem Strabo: Ἐστι δὲ γὰρ ἀπὸ τοῦ Δέλτα τρίσχοινον εἰς αὐτήν· tribus schoenis a Delta dissita est Memphis nempe. Schoenum ex eodem Strabone libro citato triginta stadia complectitur; secundum Herodotum sexaginta: stadium vero mensura est pedum sexcentorum, ut tradit Budaeus ex Herodoto lib. II de labyrintho loquente. Plinius lib. II, cap. 23 ait: *Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, pedes sexcentos viginti quinque.*

Assiduus iactet nec Babylona labor;
Nec Triviae templo molles laudentur honores;
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

2. *Assyrius* Andreas Alciatus, quem sequuti sunt Iunius et Schotus. — *Assiduus labor*. Hic labor laudandi intelligitur, non aedificandi; estque idem quod Horatius vocat unum opus in his versibus: *Sunt quibus unum opus est intactae Palladis arces Carmine perpetuo celebrare*. — *Babylona*, id est, Babylonis muros, inter orbis miracula recensitos, quorum ambitus octoginta quatuor stadia complectebatur, teste Herodoto lib. I, vel Babylonis pensiles hortos, de quibus tum ab historicis, tum a poetis multa narrantur. Babylon vero fuit urbs celeberrima ad Euphratem, cuius situm fuse explicat Herodotus lib. I, de qua Ovid. Metam. IV. Orientis regina, arx Persarum ac regum domicilium, cuius conditor Mosi ex Gen. laudatur Nembrotus. Eo. P.

3. Nonnulli *moles laudentur Iones*; Raderus enim e conj. Scalig. scripserat, *molles laudentur Iones*; idque exhibet ed. Par. 1754; et Gronovius nil verius elegantiusve iudicat. Hinc D. Heins. ad Claud. X, 88, *mores laudentur Iones*. Petitus rescribendum conj. *herones* ex Plinio XXXVI, 16: *molles laudentur honores* omnes codd. testantur. Caeterum Scriv. interpungit: *Nec Triviae templo moles laudentur: honores Dissimuletque*, etc. Vide infr. — *Triviae templo*. Dianae Ephesiae, quae *Trivia* dicitur a triplici cursu sub Zodiaco, secundum longitudinem, latitudinem et altitudinem: vel ob triplicem eius in caelo, terris et inferis potestatem. Triviis etiam praeesse fertur. Referunt alii ad tres decades mensis, ἱσταμένου, μεσοῦντος, φθινομένου. — *Molles laudentur Iones*. Propter molles Ionas, omnis nequitiae inventores, Deam multimammiam, festi summa cum pompa et mollitie celebratam, sacerdotem denique castratum. Vide Ang. Politian. Miscell. c. 51: *Mollis quae tendit Iona*, Prop. lib. I, el. 6. Hac ratione motus Raderus, lectionem illam *Iones* praefert huic nostrae *Honores*. Petitus rescribendum conjicit, *herones*. Eius emendationem asserere videtur Plin. lib. XXXVI, c. 16, et quare *molles* dicantur *herones*, docebit, ubi agit de Dianae templo Ephesi: *Operi praefuit Chersiphron architectus. Summa miracula, epistylia tantae molis attolli potuisse. Id consequutus est ille heronibus harena plenis, molli pulvino super capita columnarum exaggerato*, etc. Meminit quoque heronum ex ulva palustri factorum Vitruvius lib. V extremo. Non dissimulandum etiam quod Pet. Scriverius novam interpunctionem et lectionem excogitarit: *Nec Triviae templi moles laudentur; honores Dissimuletque*, etc. Verum non e gustu, numero et calamo Martialis; dura nimis et illi insolens. *Molles honores* intellige signa in templo Dianae, columnas, ipsum denique templum summo artificio elaboratum; *molles* autem delicatissimos et quasi vivos interpretare. Sic Virg. Aen. VI, *Excudent alii spirantia mollius aera. Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus*.

4. *Dissimuletque*, etc. Non usque adeo se efferat, non tanquam divinum opus se iactet, quum ab amphitheatro mortali manu facto illam longe su-

Aëre nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Caesareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum prae cunctis fama loquatur opus.

peratam videamus. — *Ara frequens.* Non Iovis Hammonis apud Nasamonas, quae nec opibus, nec structura erat insignis; sed βωμὰς κερατινὸς, Apollinis Delii, ab ipso quadrimo ex cornibus Cynthiadum caprearum a sorore interfectarum compactus: de quo diserte Ovid. in ep. Cydippes ad Acontium: *Miror et innumeris structam de cornibus aram.*

5. *Aere, etc.* Ad altitudinem centum quadraginta pedum sublata columnisque innisa, summoque cacumini impositam quadrigam, cuius equi suspensis alis volare videbantur. Tum *suspensa* dicebantur, quae suffulta erant, *Suspendis dentibus orbea*, lib. II, epigr. 43. — *Vacuo*, quod non habitetur. Poetis et Epicureis aer *inanis* quoque appellatur et videtur. Manilius: *Per inania caeli.* — *Mausolea, etc.* Mausoli regis Cariae tumulum, monumentum illi ab uxore Artemisia exstructum.

6. *Cares* vero Asiam minorem habitarunt contra Rhodum: caput regni Halicarnassus ubi Mausoleum spectabatur; de quo Vitruvius lib. XI, cap. 8, et Plinius lib. XXXV, cap. 5.

7. *Amphitheatro.* In quo ederentur spectacula et venationes, absque scena, sedibus per gradus undequaque clauso, in quibus locos 87000, ovali forma: ad cuius summitatem aegre visio humana pertingeret. Vide Vitruvium, Marlianum, Lips. de Amph. etc.

2. — IN OPERA PVBLICA CAESARIS.

Vespasiani atque Titi Caesar. (quibus pleraque libelli huius Spectaculorum epigrammata assignes) beneficentiam celebrat, qui domum illam auream quam Nero fecerat a Palatio Esquilias usque demoliti, loco eius publica exstruxere vel reddidere opera, Colossum, Amphitheatrum, Thermas, Porticum. Eo. P.

Hic ubi sidereus propior videt astra colossus,

1. Legitur et *propius.* — *Hic ubi.* In quarta Vrbis regione: nam urbs principio in tres tantum regiones, quas Varro *partes* appellat, erat a Romulo conditore divisa. Servius dein Tullius aucta urbe et populo, eamdem in quatuor regiones distribuit: illasque a loco, quem quaeque pars colebat, appellavit. Prima dicta erat *Suburana*, altera *Exquilina*, tertia *Collatina*, postrema *Palatina.* Atque haec urbis divisio duravit usque ad aevum Augusti Caesaris, qui urbem mirum in modum, qua tectis, qua populo amplificatam, in quatuordecim regiones divisit. — *Sidereus.* Sidereus hic dicitur colossus, quia huic deiecto Neronis capite, Vespasianus Solis vultum duodecim radiis insignem reposuit. Noster enim *sidereum deum* sp-

Et crescunt media pegmata celsa via ;
Invidiosa feri radiabant atria regis,
Vnaque iam tota stabat in Vrbe domus.
Hic, ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic, ubi miramur velocia munera Thermas ,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi Porticus explicat umbras,

pellat Solem lib. XII, ep. 6 : *Magnaque siderei vidimus ora dei.* Vel sidereus dicitur quia radios spargebat instar sideris : vide Plinium XXXIV, 7. Sueton. in Vesp. cap. 18: *Colossi refectorem insigni congiario magnaque mercede donavit.* — *Colossus*, qui secundum Sueton. in Ner. cap. 31, centum viginti pedum stabat ipsius Neronis effigie. Ed. P.

2. *Pegmata* fuerunt machinae quas sic describit Scaliger in Manil. lib. V: *Erat autem pegma contabulatio, quae sponte surgebat sensim, et dissolvebatur.* De his machinis Plin. lib. XXXIII, cap. 33. Seneca epist, 88 : *His annumeres licet machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, et tabulata tacite in sublime crescentia; et alias ex inopinato varietates ; aut dehiscentibus quae cohaerebant, aut his quae distabant sua sponte coeuntibus, aut his quae eminebant paulatim in se residentibus.* — *Via* Sacra quam Neronis domus occupaverat; nunc vero ita lata et laxa est beneficio Caesaris, ut pegmata excitari et ferri in ea possint.

3. *Invidiosa feri.* Odiosa, invisa iis quorum aedes interceperat incendiarius Nero, ut in suum usum converteret. Neronis enim aurea domus occupavit spatium colossi et vias publicas, Sueton. ibid. 31. — *Atria.* Domus prius transitoria, mox incendio absumpta restitutaque, aurea nominata, Sueton. ibid. — *Regis.* Crudelia tyranni Neronis : nomen autem regis semper Romanis invisum.

4. *Vnaque, etc.* Notum hoc e carmine illo, *Roma domus fiet, Veios migrate, Quirites, Si non et Veios occupat illa domus,* referente Suetonio, Ner. cap. 39.

5. *Hic ubi, etc.* Inter Coelium montem et Esquilias. — *Venerabilis*, quoniam sacra Marti.

6. *Stagna.* Tacitus, Ann. XV: *Caeterum Nero usus est patriae ruinis, exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna, et in modum solitudinum, hinc silvae, inde aperta spatia, et prospectus.*

7. *Hic, etc.* In tertia Vrbis regione. — *Velocia*, Thermae enim velociter a Tito fuerant exstructae in gratiam populi. Suetonius in Tito cap. 7: *Amphitheatro dedicato, Thermisque iuxta celeriter exstructis.*

8. *Superbus.* An quia amplissimus et magnificentissimus? an quia privatus, et Neroni singularis, nec populo communis, ut Thermae Titi?

9. *Claudia.* Quam eamdem cum Liviae porticu, de qua Plinius lib. XIV, cap. 1 affirmant aliqui : alii vero diversam fuisse statuunt. — *Por-*

Vltima pars aulae deficientis erat.
Reddita Roma sibi est; et sunt, te praeside, Caesar,
Deliciae populi, quae fuerant domini.

ticus. Romae porticus additae sunt vel aedibus sacris, vel illustrium virorum domiciliis, vel publicis aliis aedificiis: idque vel ob pluvias subitas declinandas, vel gratas per aestatem umbras et frigora captanda: vel ipsa ornamenta fabricae. — *Vmbras*. Quum suas, tum vitis, quae subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacabat. Plinius lib. XIV, c. 1.

10. *Vltima*, *etc*. Extrema pars domus aureae, id est, iuxta Esquilias in quinta Vrbis regione.

11. *Reddita Roma sibi est*. Vna domus antea et unius erat, quam Caesar publicis exstructis operibus communem fecit, hoc est, urbem urbi, Romamque Romae reddidit.

12. *Quae fuerant domini*. Odiose Neronem vocat dominum, qui nempe civibus Romanis veluti servis imperaret.

3. — De gentium confluxu et congratulatione.

Caesari gratulatur, quod ex omni orbis parte, ad quam Romani populi nomen pervenerat, confluxerint gentes, spectandi ludos salutandique eius studio; quodque generali acclamatione illum Patrem Patriae salutaverint. Ed. P.

Quae tam seposita est, quae gens tam barbara, Caesar,
Ex qua spectator non sit in urbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Haemo,
Venit et epoto Sarmata pastus equo;

1. *Seposita*. Caeterarum a commercio per longinquitatem disiuncta. Ed. P. — *Barbara*. Ex Graecorum divisione mundi, quibus omnes alii Barbari dicti.

2. *Spectator*. Multa erat advenis cupido visendi spectacula, ut legimus apud Sueton. in Caes. 39. Ed. P.

3. *Venit*. Venere spectatores ab omnibus terrarum partibus, scilicet a Septentrione Sarmatae; a Meridie incolae Nili; ab Occidente Hispani vel Britanni; ab Oriente Arabes. Ed. P. — *Orpheo*. Rhodope et Haemus montes sunt Thraciae. Orpheus Haemus dicitur, quia ad eum habitarunt parentes Orphei; vide Plinium lib. IV, cap. 1 et 2, ubi agit de patria Orphei.

4. *Sarmata pastus equo*. Sarmatia duplex est, Europaea et Asiatica: Europaeam, *Russiam*, vocat Ortelius, Asiaticam vero *Tartariam*. « Sarmatarum quoque gentes hac maxime pulte aluntur, et cruda etiam farina, equino lacte, vel sanguine e cruris venis admixto. » Plinius lib. XVIII, cap. 10 sub finem. Idem nos docet Dion. Perieges: ἵππου αἵματι μίσγοντες λευκὸν γάλα δαῖτα τιθεῖσι: Virgil. G. III. Gelonus, *Quum fugit in Rho-*

Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
  Et quem supremae Tethyos unda ferit.
Festinavit Arabs, festinavere Sabaei;
  Et Cilices nimbis hic maduere suis.

dopen, atque in deserta Getarum, Et lac concretum cum sanguine potat equino.

5. Certat aliquis Nostrum scripsisse; *Et qui prima bibit septeni flumina Nili*; — *Et qui prima*. Et venerunt illi Aethiopes, qui regionem incolunt, ubi emergit primum ac deprehenditur Nilus; de quo fuse Plinius lib. V, cap. 9: *Nilus incertis ortus fontibus it per deserta.* Et paulo infra: *Originem, ut Iuba rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauritaniae non procul Oceano habet, lacu protinus stagnante, quem vocant Niliden.* Dio in Severo affirmat originem Nili fuisse inventam: *Nilus a monte Atlante certo fluit, qui mons est in Macennitide, non longe ab Oceano, qua parte spectat ad occasum solis.* Prisci tamen quamplurimi negant Nili fontes fuisse deprehensos, maxime Seneca Quaest. Natural. lib. VI, cap. VIII; Papinius Silvarum lib. III; Horatius IV, Od. XIV, et multi alii. Fontes Nili repertos fuisse constat, ex iis quae referunt Patres societatis Iesu Alphonsus Mendez, Almeyda, maxime Hieronymus Lobus, nempe in regnu Goyam ad duodecimum gradum latitudinis borealis, et quinquagesimum quintum longitudinis gradum in regione Sacahala, quam incolunt Agavi. Illic lacus est iactum lapidis latus, in quo sunt duo fontes a se invicem triginta passibus distantes, qui nostrorum puteorum figuram referunt; ex his emanat fluvius Nilus, qui per alterum deinde lacum transit seque in terram abdit. Ad milliare vero inferius emergit rursum ea aquarum copia auctus, ut fluvii nomen consequi possit. Orientem versus fluit. A sua origine quadraginta milliaria emensus lacum Dambeam vulgo Bardambeam ingreditur, etc. quae fuse describuntur in Synopsi historiae Aethiopicae. Videat lector, utrum de fonte loquatur Martialis, quod parum verisimile est; nam eum certe nominasset, principi, quo regnante repertus fuerat, blanditurus; an de loco extremo ubi primum deprehenditur, quo ulterius progredi haud poterant Veteres, qui quidem sensus magis mihi placet. Ed. P.

6. *Supremae.* Tethys Oceani uxor pro mari ipso sumitur. Hic intellige Britannos, vel Hispanos qui sunt ultimi ad solem occidentem; ubi mare inquietum et undosum toto anno, unde dicit *ferit*. Thetis vero Pelei coniux fuit, et mater Achillis.

7. *Festinavit Arabs.* E Nabathaea, id est Petrea; et Sceniti, id est, Deserta Arabia. — *Sabaei.* E Felici Arabia. Sabaei a thuris fertilitate scriptoribus celebrantur. Virgilius, Georg. I, 57: *India mittit ebur, molles sua thura Sabaei.*

9. *Cilices.* Cilicis, Asiae minoris regio, hodie vocatur *Turcomania* et *Caramania*, ubi est crocus praestantissimus, cui primam nobililitatem tribuit Plinius lib. XXI, cap. 6. — *Nimbis hic maduere.* Quum in amphitheatro Cilices sedere spectatores, odoratis quasi nimbis, scilicet croco ex Cilicia, ubi nobilissimus erat, asportato et vino dulci mixto perfusi fuere; nam

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.
Vox diversa sonat: populorum est vox tamen una,
Quum verus PATRIAE diceris esse PATER.

mos erat Romanis aëra refrigerare istis aspersionibus, quibus spectatores velut imbre irrorabantur. Ed. P.

9. *Sygambri* scribendum praeferunt viri docti. Vide interpretes ad Ovid. Am. I, 14, 49, et Valesiana pag. 91. — *Sicambri*. Teste Strabone Galliae sunt populi, ubi hodie Gualdriae ducatus, sicut Martiano placet, nempe, inter Mosam et Rhenum. Secundum alios fuerunt ab altera parte Rheni, ubi hodie Zutphaniae comitatus. In nodum torquere crines solebant illi populi. Lib. V, Epigr. 39. *Rhenique nodos*. Tacitus, de moribus Germanorum, hunc ritum speciatim tribuit Suevis, *Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere*. Iuvenalis, Sat. XIII, vers. 134: *Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem, et madido torquentem cornua cirro?*

10. *Atque aliter tortis*. Aethiopum comae natura et ardore solis crispae sunt, Germanorum vero artificio.

11. *Vox diversa*. Lingua varia, acclamatio vero el mens eadem.

4. — AD CAESAREM, QVOD EXPVLERIT DELATORES.

Si ad Titum hoc epigramma (quod verisimilius) referas, testes habes Tranquillum, cap. 7, in Tito; et Xiphilin. in Tito. Si ad Domitianum, eundem habes Tranquillum, cap. 9 in Domitiano.

Turba gravis paci, placidaeque inimica quieti,
Quae semper miseras sollicitabat opes,

1. *Turba gravis*. Lex Remmia prima fuit, quae poenas delatoribus irrogavit; illa lex cuius et aetas et auctor pariter ignoti, iubebat qui calumniam fecisset, litteram K inuri fronti eius. Huic legi alludit Noster variis in locis, ut puta lib. VI, epigr. 64, v. 26: *Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte*. Huius diversa fuere fata: nam ubi calumniatorum poena per tyrannidem malorum principum in desuetudinem abiisset, boni identidem severiore supplicio perditam profligatamque disciplinam vindicare debuerunt. Proinde ne apud bonos quidem semper calumniatorum sibi constitere poenae, sed prout necessitas atque indoles Imperatorum ferebat, magis minusve intendebantur. Sic quum delatores, calumniatores fiscales qui, sub Nerone, divitum opibus insidiati, eos qua iure, qua iniuria accusationibus vexarint, illos seu Titus, seu si mavis Domitianus exsilio in Syrtea afflixit, teste Plinio in Panegyr. Traj. Ed. P.

2. *Miseras sollicitabat opes*. Plin. in Panegyr. de his delatoribus: *Vidimus delatorum indicium quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed*

Tradita Gaetulis; nec cepit arena nocentes;
Et delator habet, quod dabat, exsilium.

forum insederant. Nulla iam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum avaritia.

3. *Tradita Getulis.* Relegata est in arenosa et deserta Africae loca: legunt alii *Traducta est Gyaris*, quia in Gyarum insulam plerumque cives Romani relegabantur: alii *Cybiris*. Lipsius lib. II, cap. 11, de Cruce legit, *Traducta est Titulis*: pro more noxiorum traducendi per forum, seu Amphit. appensis collo titulis et inscriptionibus criminum: et Sueton. c. 9, Titi: *Delatores assidue in foro fustibus et flagellis caesos, novissime traductos per amphitheatri arenam, partim subiici in servos, aut vaenire, partim in asperrimas insularum avehi imperavit.* Sed nostram lectionem firmat Aldi Manutii cod. quam et S. Marionis liber asserit et Cataneus probat. — *Nec cepit:* etc. Tantus est delatorum numerus, ut vix capiant eos Africa, vel insulae, vel amphitheatrum. — *Arena.* Pro ipso Africae solo.

4. — AD POPVLVM ROMANVM DE IISDEM DELATORIBVS *

Laudat Caesarem quod eiiciendo delatores, id est, Romam quasi vitae restituendo, sua beneficia cumulaverit. Ed. P.

Exsulat Ausonia profugus delator ab urbe:
Impensis vitam principis annumeres.

* Cur hoc epigramma a praecedenti separandum, iudicaverimus, iudica tu ipse, lector: scilicet si utrumque coniunctum esset, vox *delator* quarti versus, in quinto appareret ineleganter repetita: et vox *exsulat* protinus sequeretur vocem *exsilium*. Denique, *delator habet quod dabat exsilium* nobis visum fuit epiphonema quoddam e gustu et calamo Martialis. Ed. P.

1. *Ausonia urbe.* Roma urbe, quae caput Ausoniae, seu Italiae, ab Ausone Vlyssis et Calypsus filio.

2. *Impensis, etc.* Curis, beneficiis, muneribus. — *Vitam.* Vitam scilicet tuam acceptam referas beneficiis et muneribus Caesaris qui praeter alia munera tibi data editaque, dedit et vitam, quum perdidit delatores. Vel annumeres, seu tribuas vitam tibi servatam, curis Caesaris, quas impendit saluti tuae, quum delatores deprehendit et punivit. Prior sensus nobis melior videtur. Ed. P.

5. — DE PASIPHAES SPECTACVLO.

Inter elie spectecula exhibitae sunt et priscae fabulae, in arene actae : hic autem Pasiphaes nefendus cum teuro concubitus; obstupesces fortasse rei incredibilis foeditatem, sed ed corruptissimos illius saeculi etiamque principis mores oculos converte, desines mirari. Vid. Apul. Metam. X.

Iunctam Pasiphaën Dictaeo credite tauro ;
Vidimus : accepit fabula prisca fidem.
Nec se miretur, Caesar, longaeva vetustas :
Quicquid fama canit, donat arena tibi.

1. *Iunctam Pasiphaen.* Pasiphaë, filie Solis, et uxor Minois regis Cretae, arsit amore tauri. Haec fabule satis nota. — *Dictaeo.* Cretensi, a Dicte monte Cretae.

2. *Accepit fidem.* Vera creditur.

3. *Nec sua miretur* conj. Ant. de Rooy, ut ap. Tacit. Ann. II, cap. ult. *Caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur.* Habet tamen, quo se tueatur, recepta lectio. Vide lib. XIII, Epigram. 2. — *Nec se miretur.* Propter sua miracula, eut potius propter fabulas, quae in Amphitheatro Domitiani vere repraesentebentur. Simile spectaculum exhibueret Nero, inter Pyrrhicarum ergumente. Suetonius in Nerone, cap. 12 : *Taurus Pasiphaen ligneo iuvencae simulacro abditam iniit, ut multi spectantium crediderunt.* Idem fuisse censet J. Rutgers. var. lect. lib. V, cap. XV, proinde non Mertialis esse hoc epigr.

6. — DE FEMINARVM PVGNA CVM BESTIIS.*

Belliger invictis quod Mars tibi saevit in armis,
Non satis est, Caesar; saevit et ipsa Venus.

* Sicut epigr. 4 supra, *Turba gravis paci*, etc. separendum a sequente iudicavimus, ita et istud : nam *saevit et ipsa Venus* sensum absolvere videtur, et est quod gallice vocemus *un trait final;* Argutas scilicet illas brevesque epigrammaton conclusiones essidue Martialis curat adhibendas. Ed. P.

1. Gruterus tam hic, quam in sequenti versu, reponi posse credit, *servit.* — *Tibi.* In tuam gretiam.

2. *Saevit et ipsa Venus.* Hoc est, non viri tantum tibi venatores, sed et feminae tibi sunt venatrices. Suetonius in Domitiano cap. 4. *Nam venationes gladiatoresque, et noctibus ad lychnuchos* (*supple* commisit...) *Nec virorum modo pugnas, sed et feminarum.* Fortasse elludit ed mores gladiatorum venetorumque habitu dei alicuius pugnantium ; ergo sub nomine Martis intelligit venatores speciem Martis prae se ferentes, sub nomine Veneris venatrices prae se ferentes speciem Veneris, et in emphitheatro contra feras pugnantes. Ed. P.

6. — DE EADEM

Prisci temporis venationibus hasce Caesaris anteponit, eo nomine, quod vel femina in amphitheatro leonem interfecerit, quem laborem inter summas Herculis laudes decantarat antiquitas.

Prostratum Nemeae sed vasta in valle leonem,
Nobile et Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam post tua munera, Caesar,
Haec iam feminea vidimus acta manu.

1. *Nemeae.* Silva est in Peloponneso inter Cleonas et Phliuntem. — *Sed vasta in valle.* Id per antithesim opponitur verbo infra *vidimus*: nam dubia fides est eius quod in vastis desertisque locis factum iactatur, et si factum est, voluptatem spectantibus non tribuit. Ed. P. — *Leonem.* Herculis primum opus ac labor, leo Nemeaeus quem in valle quae est inter Mycenas et Nemaeam silvam confecit, unde dictus est *Nemeaeus Hercules.* Ed. P. — Anonymus quidam in Epistcrit. ad Ant. de Rooy, proposuit *Prostratum Nemees in vasta valle leonem,* quod iamiam e codice quodam protulerat Steph. Claverius: idem Anonymus conj. etiam *infesta valle.*

4. *Haec iam feminea.* Namque et in Romanam arenam descendere sustinuerunt feminae, et quod olim Hercules id iam feminae faciunt. Iuvenal. Sat. I: *Maevia Tuscum Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma.* Vide Xiphilin. in Nerone et Tit. Sueton. Ner. II, Tacit. Annal. XV, 32.

7. — DE DAMNATO QVODAM SVPPLICIVM LAVREOLI VERE REPRAESENTANTE.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem:
Nuda Caledonio sic pectora praebuit urso,

1. *In Scythica rupe.* In Caucaso, quem Scythae accolunt: et pars est Tauri montis, inter Pontum Euxinum et mare Caspium.

2. *Assidue minimo pectore* in nonnullis scriptis, i. e. consumpto, sed renascenti in dies: *Assiduam nudo pectore* legunt alii; *Assiduam vivo viscere* conj. Scriv. i. e. fecundo, immortali: *pascit avem* citat Marcilius. — *Assiduam.* Interdiu vescentem. — *Nimio.* Noctu renascenti iecore in poenam aeternam. Nota est Promethei fabula, quem Caucaso affixit Iupiter, quod furtim e caelo ignem subduxisset; ex cuius renascentibus quotidie visceribus, aquila, vel, ut aliis placet, vultur nutriebatur. Legendus Aeschylus in Prometheo vincto.

3. *Sic viscera* cod. Budl. et sic cor-

Non falsa pendens in cruce Laureolus.
Vivebant laceri membris stillantibus artus,
Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternae,
Vel domini iugulum foderat ense nocens.
Templa vel arcano demens spoliaverat auro;
Subdiderat saevas vel tibi, Roma, faces.
Vicerat antiquae sceleratus crimina famae:

tigit etiam Gruterus, quia superiori versu praecessit *pectore*, et non facile repetit Poeta easdem voces, nisi ob causam. — *Caledonio urso*. Caledonia regio Britanniae, ubi silvae densissimae, unde saevi ursi Romam mittebantur; in septemtrionalibus enim plagis ursi maximi et saevissimi: Caledonii Ptolemaeo Scotiae populi. *Rossia* eorum tractus videtur vocari. Bucananus vocat *Duncalden*. Vidend. lib. X, epigr. 44.

4. *Laureolus*. Laureolus erat mimus, seu drama. Huius argumentum, latrocinium cuius dux Laureolus in fictam crucem agebatur, erat, ut manifestum est ex Iosepho Ant. XIX, 4, sub Caio Caligula: *Mimus introducitur quo repraesentatur dux captus et in crucem suffixus*. Huius Laureoli fictam personam sustinere solebat comoedus quidam, veluti is Lentulus quem Iuvenalis dignum vera cruce indicabat, Sat. VIII, 186. Sed horrendum quandoque exhibebatur spectaculum, quando vere eruci affigebatur aliquis reus Laureolum agere coactus. Hinc discis Laureolum duplici modo ficto et vero agi solitum. Si vere quispiam supplicium daturus esset, non poterat, nisi noxius et reus esse, qui eodem iure bestiis obiiciebatur; et ita Noster de reo loquitur. Ed. P.

6. *Inque omni nusquam corpore*. Corpus non erat corpus, sed non nisi vulnus continuatum. Ed. P.

7. Hic et tres insequentes versus, tamquam spurii, relegantur ad nescio quem Panormitanum. Sed non video, inquit Cagnerius, cur ita; eos enim plus satis confirmat vetus exemplar, et Epigramma elegans de Scaevola fictitio qui constanter adeo se gessit: *Scire piget post tale nefas quid fecerit ante: Quam vidi satis est hanc mihi nosse manum*. Ex quibus colligere est diversi generis flagitia variis et exquisitis suppliciis expiata.

7. *Denique supplicium*. Versus sequentes ut adulterini a quibusdam reiiciuntur: perperam, his enim additis, crudelitatis nota, quae Domitiano inuri potuisset, et spectaculi gratiam refrigerare, deletur.

9. *Templa vel arcano, etc.* Ornatu, statuis, vasis templorum aureis, vel etiam privato auro templis custodiae causa deposito. Solebant enim Veteres in templis quasi in arca a furibus ipsis tuta, privatam pecuniam deponere.

11. Vetus cod. Cagnerii exhibet *nomina famae*, quod illi magis arridet. — *Vicerat antiquae*. Admiserat saeve aliquod crimen, Laureoli illius latrocinio gravius.

In quo, quae fuerat fabula, poena fuit.

12. *Quae fuerat fabula.* Sensus est: Alii quidem mimi Laureoli actores fictas tantum et mimicas poenas dederunt, hic vero latro vera luit nec iam scenica supplicia.

8. — DE FABVLA DAEDALI.

Damnato cuidam, et (ut in praecedentis epigr. argumento Daedali fabulam in supplicium agenti, dum pegmate excussus, quasi e Minois arce avolaturus in feras decideret, insultans, optat Daedali (ut est in fab.) pennas.

Daedale, Lucano quum sic lacereris ab urso,
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas!

1. *Daedale.* Nota est Daedali historia ex Ovidii Met. VIII. Hic vero damnatus coactus est Daedalum imitari, et per aerem volare, delapsus autem ab urso dilaniatus est. Simile spectaculum Icarii de caelo decidentis legitur apud Suetonium in Nerone cap. 12: *Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumque cruore respersit.* — *Lucano urso.* Ex Lucania Italiae provincia, hodie *Basilicata*, in regno Neapolitano, unde immanes ursi Romam mittebantur. Plinius lib. III, cap. 5.

2. Alii, *nunc habuisse.* — *Habuisse.* Pro praesenti ponitur praeteritum κατ' ἐναλλαγήν. Sensus est: Quam velles nunc habuisse pennas illas, quas tum habuisti, quum e Cretensi labyrintho, a te ipso exstructo, cum Icaro avolares.

9. — DE RHINOCEROTE.

Rhinoceros aegre lenteque irritatus, praeter spem tandem in feras irruens, taurum iactabat non secus ac taurus pilam

Praestitit exhibitus tota tibi, Caesar, arena,
Quae non promisit, praelia rhinoceros.

2. Haud ineleganter bestiae, vel etiam res inanimatae, *promittere* dicuntur, quando ex illarum externo habitu gestuque de interna vel futura virtute coniecturam facere licet. *Promittere* ergo h. l. valet minari. Vid. Barth. ad Claud. Nupt. Hon. v. 247. Rhinoceros in arenam productus fortasse non praeceps, ut aliae bestiae, simul ac adversarium conspexerint, in pugnam ferebatur; sed aliquamdiu impetum repressit: qui cunctabundi externus habitus non admodum ferocem pugnam promittere videbatur. Tandem vero, solutis irae, quam collegerat, repagulis, pronus in adver-

O quam terribiles exarsit pronus in iras !
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat !

sarium irruebat, ut leo apud Lucan. lib. I, v. 205 et seqq. — *Quae non promisit.* Quia non potuit aliquamdiu ab amphitheatralibus magistris irritari. Sic infra epigr. 22, v. 3; desperabantur promissi praelia Martis. — *Rhinoceros.* Ingens belina fortitudine ac robore cum elephanto comparanda, sed minus procera. Tergus ei durissimum, colorque buxeus. In summitate narium cornu gestat, forma repandum et duritie ferrum exaequans. Diu disputatum fuit, unicum an geminum cornu habeat: Pausanias lib. IX dicit eam duobus cornibus decoratam esse, et exinde nomen trahere; Plinius vero, VIII, 20, unicum habere, qualis saepe visa. Res nunc omnibus nota est; nempe rhinocerotem asiaticum, duo cornua, Africanum vero unicum habere. Ludis rhinocerota exhibuit primus Pompeius magnus, deinde Augustus; at posteriores Imperatores illos imitati sunt. Naso corneo rhinocerotis in vasculum facto utebantur potentiores oleo servando in baineis, teste Iuv. VII, 130 et Nost. lib. XIV, epigr. 52. Eo. P.

3. *Pronus.* Cornu submisso ad tollendum taurum, et fera alias etiam prona.

4. *Cui pila.* Pila erat effigies stramentitia hominis, qua obiecta tauri irritabantur. Fiebant aliquando pilae ex pannis purpureis, foeno, stramineve sartis, quo colore tauri maxime efferantur. Vnde proverbialiter *homines foeneos* dicit Cicero, pro Cornel. prine. *Prospectat videlicet Cominius quid agatur: videlicet homines foeneos in medium ad tentandum periculum obiectos;* et etiam apud nos dicitur *un homme de paille*, iocandi causa, pro homine nullo, aut persona interposita. Cf. Ascon. ad Cic. hic. Eo. P. — Rhinoceroti taurus pro pila erat, tam leve illi pondus taurus. Vnde robur bestiae discis, quod et admiratur Poeta, nec prae magnitudine exprimit, ut lectori, quod solet, meditandum aliquid relinquat, quod ei voluptati est.

10. — DE LEONE QVI GVBERNATOREM OFFENDIT.

Caesarem ob iustitiam laudat, qui leonem, quod magistrum laeserat occideratve, telis confossum interfici iussit.

Laeserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus:
Sed dignas tanto persolvit crimine poenas,

1. *Laeserat ingrato.* Oblitus nempe beneficiorum quae a suo rectore acceperat; sed irritatus et crudeliter verberatus, ut apparet ex quarto versu, alioquin animal est gratissimum, ut narrat Gellius lib. V, cap. 14, de Androclo et leone. Vide liber II, epigr. 75.

Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui iubet ingenium mitius esse feris?

4. *Non tulerat.* Non patienter toleraverat. — *Tela tulit.* Venabula, iacula conficientium, forte Domitiani qui solebat sese gladiatoribus in arena pugnantibus committere. Ed. P.

6. *Qui iubet ingenium.* Hoc est, qui vult feras habere mores humanos: sic a clementia commendat Domitianum. — *Mitius esse feris.* Hemistichium ex Ovidiano illo forte desumptum lib. I, eleg. 10 Am. *Turpe erit ingenium mitius esse feris.*

II. — DE VRSO. *

Novum venationis genus praedicat, ursum scilicet visco (quo alias aves capiuntur) implicitum.

Praeceps sanguinea dum se rotat ursus arena,
Implicitam visco perdidit ille fugam.
Splendida iam tecto cessent venabula ferro;

* In hoc epigrammate, et aliis quae praecedunt et subsequuntur, semper hoc animadvertendum est, scilicet Martialem illa componendo imperatori blandiri voluisse; cuius munificentiae, quidqoid magnifici in illis spectaculis, cuius autem numini, quidquid in iis insoliti, attribuebat. Ed. P.

1. *Praeceps sanguine, etc.* Vrsus capiti, quod dedit illi natura invalidissimum, praetentis anterioribus pedibus demissoque ad terram capite, se in orbem volutare solet ad declinandam plagarum vim. Sic nos docet Plinius VIII, 36. *Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum; ideo, urgente vi precipitaturi se ex aliqua rupe, manibus eo operto iaciuntur: ac saepe in arena colapho infracto exanimantur.* Ed. P. — *Rotat.* Κυβιστᾷ graece in orbem agit seu volvit.

2. *Implicitus visco,* Pulmannus. — *Perdidit ille fugam.* Pro fuga intellige vim fugiendi, et epithetum *implicitam* per metalepsin fugae tribuitur, quod urso fugienti conveniebat.

3. Marcilius *recto venabula ferro* scripsisse Martialem testatur; negat Ramires. Raderus nescio quae de coloribus comminiscitur et de tectis venabulis. Si infecta coloribus, qui *Splendida?* Ianus Gruterus *terso* dicit se habere ad oram sui cod. et Melissum quemdam legere *terto* prisca voce pro *terso.* Omnes codd. et editt. vett. Ald. Iunt. Gryph. Par. Colin. etc. etc. nostram lectionem testantur. — *Splendida iam tecto, etc.* Postquam nova haec et acuta inventa est ferarum viscatio, cessent venabula vaginis et thecis tecta, id est recondita, quando illis iam opus non est. Est et alter sensus: venatores enim ferrum seu mucronem venabuli tegebant, ut ferae facilius se ferro induerent non viso; a viso autem refugiebant. Splendidum

Nec volet excussa lancea torta manu.
Deprendat vacuo venator in aëre praedam,
Si captare feras aucupis arte placet.

ergo per se venabulum, coloribus fucabant, ut feras fallerent : quod hic non erat necesse, quum declinare etiam splendentem ferri aciem visco haerentes non possent.

4. *Lancea.* Venabulo cominus, lancea eminus fera petebatur En. P.

5. *Deprendat vacuo.* Argute claudit Epigram. antithetis ex permutatione utriusque artificii. — *Deprehendere* enim proprie venatoris, *captare* aucupis est. Ergo quid superest venatori nisi ut aves persequatur in aere, quoniam eius vice fungitur auceps, et feras visco capit.

6. *Sic captare*, sola editio Plant. operarum errore ex litterae sequentis geminatione. — *Si captare feras.* Captare verbum est proprium aucupii, deprehendere autem venationis; quasi dicat, iam venator et aucupio feras, veluti aves, capiet.

12. — DE SVE QVAE EX VVLNERE PEPERIT.

Sus praegnans, in arenam producta, et icta lancea vel venabulo, per vulnus peperit.

Inter Caesareae discrimina saeva Dianae
Fixisset gravidam quum levis hasta suem,
Exiliit partus miserae de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus ut natis triste pateret iter.

1. *Caesareae Dianae.* Per metonymiam ponit Dianam pro venatione, quam Domitianus exhibuit in amphitheatro : Dianae enim sacra est venatio. — *Discrimina saeva.* Cruentam cum feris pugnam notat; qua vel a bestiario ferae, vel a fera bestiarius conficiebatur.

3. *Exiliit porcus* membranae quaedam antiquissimae.

4. *O Lucina.* Dea partuum praeses, quae et Iuno dicitur et Diana. Terentius in Andria : *Iuno Lucina, fer opem.* Parturientibus vero subvenire dicitur Diana, quod sine dolore Latona eam in utero gestasset et peperisset, ut canit Callimachus in hymno Dianae. Sensus est : Hocne modo, o Diana, parturientes adiuvas ?

6. *Omnibus ut.* Ex hoc versu patet, non omnes editos in lucem suculos, sed quosdam cum matre periisse.

Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite; nata fera est.

7. *Satum materno.* Semeles a Iove fulminatae utero extractum, Iovisque femori insutum, iterumque natum: unde *Dithyrambus* et *Bimater*; Iovis enim femur illi pro altera matre erat.

13. — DE EADEM.

Icta gravi telo, confossaque vulnere, mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quam certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinae credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusque Dianae,
Quaque soluta parens, quaque perempta fera est.

1. *Gravi telo.* Seu lancea seu venabulo. Vid. epigr. 11, v. 4.

2. *Pariter vitam.* Suam amisit, suculo dedit.

5. *Numen utriusque Dianae.* Venatricis, scil. et obstetricis.

14. — DE EADEM.

Sus fera iam gravior, maturi pignora ventris
Emisit foetum, vulnere facta parens.
Nec iacuit partus, sed matre cadente cucurrit.

1. In vett. et illustr. saeculi sexti decimi poetarum epigramm. a Camillo Nicolio selectis notisque illustratis, Florent. 1738, scribitur: *maturo pignore ventris.* « Rectius legendum *pignore*; namque unicum peperit suculum, caeteri matris funere tumulati. Si communem retineas scripturam, appositio est, *pignora foetum.* Sic Propert. *Nunc tibi commendo communia pignora natos. Farn.* Ant. *de Rooy* conj. *maturo pondere.* At mihi placet recepta lectio; solum enim verbum *gravior* satis per se indicat, neque opus videtur ampliori adiecto, praesertim quum e sequentibus res etiam sit clarissima: sed tum necessario non *pondera* debet legi, sed *pignora*; *pondus* est ante partum, *pignus* post partum. — *Iam gravior.* Partui proxima. — *Pignora.* Hoc est, partum edidit pignus, scil. ventris: appositio est.

O quantum est subitis easibus ingenium!

4. *O quantum est subitis.* Scilicet quam mirabilis est instinctus huius euculi, io hoc casu repentino, quasi periculum sentientis, et eorrendo declinentis! in subitis enim easibus, maxime velet eminetque vis et alacritas ingenii, ut Thucydides inquit: subite experiuntur ingenium et indicant. Ed. P. — Est et alter sensus: Quam multa fiunt casu, quae nullo logenio, nulla machina effici potuissent!

15. — DE CARPOPHORO VENATORE. *

Carpophorum prope adolescentem, Domitiano carum, virtutis, gloriaeque studio in Amphitheatrum descendentem ed excipiendas venebulo feras, Meleegro et Herculi praefert, ut infra quoque epigr. xxvii, Theseo, Bellerophonti, Iasoni, Perseoque. (Vide quoque epigr. xxiii.)

Summa tuae, Meleagre, fuit quae gloria famae,
Quantula Carpophori portio, fusus aper?
Ille et praecipiti venabula condidit ursò,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Stravit et ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus;
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum:

* *De Carpophoro* inscribitur in codd. et editt. vett. et eie est in Scal. versione graeca: Εἰς Καρπόφορον.

1. *Summa tuae.* Meleeger comitante Atslenta et delecte iuventute graeca, aprum Calydonium interfecit, unde summem glorism retulit. Ovid. Met. VIII. Peusanias Meleagri meminit in Messenieis.

2. *Est quota Carpophori portio* eitant Pulmsnnus et Mercilius, ut lib. V, epigr. 65: *Ista tuae, Caesar, quota pars spectatur arenae? — Quantula Carpophori.* Quota pars est famae Carpophori? quesi diceret minims.

3. *Praecipiti.* Impetum mentis feree explicat quae capite anterioribus pedibus operto se volutat, ut supra vidimus, epigr. 2, 1. Ed. P.

4. Scaligerus correxit, *axe poli.* — *Arce poli.* Ars est quidquid in eltitudinem surgit: surgit eutem, polum versos Arctunm, terra; erx igitur sumitur pro regione sublimi: Arctoi populi dicuntur omnes qui ad septentrionem extenduntur; in septentrione eutem, ut iem diximus, ursi msximi et saevissimi. Vid. Virg. Georg. I, 240. Ed. P.

5. *Ignota.* Inusitata. Sic Carpophori laudem illustrat et edsuget.

6. *Herculeas.* Instar Nemeaei illiue quem stravit Hercules.

7. *Pardum.* Qui mas pantherae vo-

Praemia quum laudis ferret, adhuc poterat.

catur a Plinio lib. VIII, cap. 47, de cuius celeritate agit Oppianus Cyneg. lib. III. Adeo enim contente currunt seseque extendunt, ut ventre propemodum terram radant, et equum pernicissimum ter et pluries cursu retrorsum iterato assequantur. — *Longo.* Eminus lancea, hasta missa. — *Porrexit.* Occidit, forte a more extendendi atque collocandi defunctos sumptum. Nam Romani defunctos collocabant ad ianuam aedium eo loco et statu, ut faciem et pedes haberent extentos ad viam et publicum aversos, quod ipsum collocari dicebatur: ita ad rogum quoque extra urbem efferebantur, ut pedes et caput portam spectarent, quod Persius intellexit, quum scripsit: *In portam rigidos calces extendit.* Caussam huius moris addit Plutarch. in problem. quod occasus ortui sit contrarius. In caput nascimur, pedibus quasi egredimur.

8. *Adhuc poterat.* Indefessus adhuc et integris viribus, perinde ac recens novaeque pugnae potens. Quod mirabile, nec vulgare est.

16. — DE HERCVLE INSIDENTE TAVRO AD CAELVM RAPTO.

Ediderat Domitianus spectaculum, quo Hercules tauro vectus in caelum portabatur: inde taurum hunc Domitiani eum Iove in taurum converso et Europen efferente collatum praefert.

Raptus abit media quod ad aethera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.

1. *Raptus abit media, etc.* Pegmate, supra epigr. 2, v. 2, grue machina, qua in sublime rapiebantur personae e scena in aera, ut a Borea Orithya, ab Aurora Memnon, ab anguibus Medea, etc. — Non potuerunt ab alto demitti Dii in theatris antiquae Graeciae et Italiae. Sub dio omni erant pulpita et scenarum structurae et sedes spectatorum, ad quos adversus aestum solis defendendos expansa sero vela fuisse constat ex Ovid. et Propert. (Vid. etiam Iuven. IV, 123). Summis igitur demissionibus et deductionibus non erat locus. Vt dii et heroes in sublimi apparerent, Romani uti debuerunt pegmatibus in scena adhibitis, quorum artificium in eo ponebatur, ut, ubi impositi erant dii et heroes, plicatiles hae et confixiles machinae quae paulatim in tantum fastigium excreverant, incredibili celeritate dissolverentur in alias subinde formas transeuntes (*raptare pegma*). Cf. hac de re optimam Bottigeri dissertatiunculam: *Deus ex machina in re scenica veterum*, Lips. 1800, in-4.° Ed. P.

2. *Non fuit hoc artis.* Id non accidit per artificium machinamenti, sed per amorem paternum Iovis in Domitianum. Iupiter in taurum conversus per undas fratris Neptuni vexit Europen. Nunc idem Iupiter sub figura tauri fingitur tollere in aërem Alciden suum filium, Domitianum

Vexerat Europen fraterna per aequora taurus;
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Caesaris atque Iovis confer nunc schema: iuvenci
Par onus ut tulerint; altius iste tulit.

nempe, qui se Herculem praedicabat, habitumque eius affectavit, gentemque Flavianam referri voluit ad Reatinos et comitem Herculis. Vid. Suet. Vesp. 12. Alii, ut comparatio magis quadret, intelligunt ipsum Domitianum fuisse inclusum in hac machina quae Herculem sustulit in caelum, id est, in amphitheatri fastigium. Durum tamen hoc sentire, et periculosum Imperatori.

3. *Fraterna, etc.* Neptunia regna, maria. Neptunus enim frater Iovis.

4. Cod. Vaticanus: *in astra vehit.*

5. Codd. et edd. vett. Ald. Iunt Gryph. Par. Colin. aliae, habent *confer nunc stemma iuventus:* ita legit Salmasius pro *stegma*; sic taurum illum vocat qui Iovem tulit; στέγειν enim est ferre et sustinere; unde στέγμα, quod aliquid fert et sustinet. *Caesaris atque Iovis confer nunc scamma: iuvenci Par onus, etc.* conj. Marcilius: tralatitie, inquit, *scamma* pro intervallo, sive spatio vectionis. Iovi *scamma* est fretum; Caesari *scamma* intermedium, et quasi *intermetium* (τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων Glossae) terrae et caeli Amphitheatrici. Altius ergo *scamma* Caesari. Scriverius legit, *Roma iuvencos.* Putat Rutgersius hoc Epigramma ad Aruntium Stellam, inter alia, scriptum fuisse, legendumque: *confer nunc, Stella, iuvencos.* Petrus Colinus conicctat *scomma*, improbante Ramirez de Prado. Beverlandi MS. *cum fert.* — *Confer nunc schema.* Compares taurum a Domitiano effictum cum Iove in taurum converso.

6. *Par onus ut.* Licet tulissent onus aequale, quamvis nec onus par fuerit; per undas enim Iupiter puellam, Domitiani vero machina Herculem per aerem rapuit: attamen, inquit poeta, Domitiani taurus altius portavit suum onus, atque ita nobilior est. Vid. epigr. 7, 1, in quo similiter Caesar Iupiterque comparantur.

17. — DE SVPPLICE ELEPHANTE.

Elephas in his spectaculis, feras qui exagitaverat ferociter, supplex Caesarem adoravit: hoc numini Caesaris tribuendum dicit.

Quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat,
Non facit hoc iussus: nulloque docente magistro,

1. *Adorat.* Plinius lib. VIII, cap. 1: *Nam quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.* Vid. cap. sequentia 3, 4, 5.

3. Scripsisse Martialem affirmat Mar-

Crede mihi, numen sentit et ille tuum.

cilius: *ullove docente.* — *Nullo docente.* Alii, sic interpungentes hunc locum *Non facit hoc iussus, nulloque docente magistro*, sic intelligunt: Facit hoc non a magistro iussus et edoctus, ut alibi elephantes, nec tamen sine magistro, sed aliquo magistro docente; nempe numine tuo, Caesar, quod illi pro magistro est, et quod ille sentit.

4. *Numen sentit.* Sensum religionis habere elephantos falso docet Plinius lib. VIII, cap. 1: *Religio quoque siderum Solisque ac Lunae veneratio;* nempe est elephantis. Domitianus vero Deum se praedicabat, cui ingeniose blanditur Poeta; cuius numen ab elephante ut a populo Romano adorari intelligit. Sic infra de dama et canibus, epigr. 32. *Numen habet Caesar...mentiri non didicere ferae.*

18. — DE TIGRIDE CICVRE AD FERITATEM SVBITO REVERSA VISO LEONE.

Lambere securi dextram consueta magistri,
  Tigris, ab Hyrcano gloria rara iugo,
Saeva ferum rabido laceravit dente leonem:
  Res nova, non ullis cognita temporibus.
Ausa est tale nihil, sylvis dum vixit in altis:
  Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

2. *Hyrcano iugo.* Hyrcania Asiae regio, de qua Strabo lib. XI, et Plinius lib. VI, cap. 6, in cuius montibus tigres sunt ferocissimae. Virg. Aen. IV: « Hyrcanaeque admorunt ubera tigres. » *Gloria rara.* Quod haec tigris alias magnitudine superabat. Si tamen sensus alius verbi *rara* placet, sic intellige: rara dicitur quod non ita frequens huc adducitur ex Hyrcaniis silvis, videturque respicere ad morem subripiendi catulos tigridis: quum enim foetus insidiis ereptos videt, insequitur raptorem animal pernicissimum; illa unum abiicit e catulis, quem mater ad cubile reportat, rursusque raptorem insequenti alterum abiicit, mox tertium, etc, ita ille unicum vix nactus navim conscendit. Plin. VIII, 10; Solin. 21.

6. *Postquam, etc.* Postquam inter homines vivere assuevit, crudelior evasit: sunt tamen qui putant non sine periculo hoc dixisse Martialem sub Domitiano viventem et ideo sic intelligendum: Animosior evasit, utpote quae fortitudinem a Romanis acceperit, cuius mos erat *Parcere subiectis et debellare superbos.* Ed. P.

19. — DE TAVRO ET ELEPHANTE.

Qui modo per totam, flammis stimulatus, arenam
 Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore potitus,
 Dum facilem tolli sic elephanta putat.

1. *Flammis stimulatus.* Tauros incitare solebant ad pugnam, igni, stimulis, etc. ut etiam hodie in Hispania homines *Toreadores* dicti. Ed. P.

3. *Cornuto ardore.* Id est, inquit, toto conatu cornuum ardentium nisus est taurus in altum tollere elephantum, et potitus est cornuto ardore, hoc est, cornuum suorum vehementia ipsa victus est. Hunc loquendi modum usurpavit Plautus in Captivis, act. I, scen. 2: *Postquam natus tuus potitus est hostium*; subintelligitur *imperio*, et passive sumitur, id est, ab hostibus victus. Alii legunt *petitus* et intelligunt taurum petitum ira cornuta, id est cornibus irati elephanti, seu dentibus quas cornua vocat, ut lib. I, epigr. 73. Fatendum est huic sensui minus cohaerere versum ultimum; quamvis enim, inquit Ramires, facilis esset tolli elephas, posset taurum ferire et transverberare. Ed. P.

20. — DE PARI GLADIATORVM.

Principem ab indulgentia laudat, quod ex sua familia, munere quaestorio, duos gladiatores, unum et alterum populo petenti dederit, Myrinum et Triumphum.

Dum peteret pars haec Myrinum, pars illa Triumphum,
 Promisit pariter Caesar utraque manu :

1. *Dum peteret pars.* Duas hic intellige factiones Amphitheatrales, quarum altera Myrinum, cuius meminit lib. XII, epigr. 29, altera Triumphum gladiatores quos viribus, arte, ornatu insignes, alebat sibi proprios Imperator, postulabat auctorium vel supposititium alteri gladiatori. Ed. P. — Suetonius in Domitiano c. 4: *Praeterea Quaestoriis muneribus, quae olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi, quae novissima aulico apparatu induceret.* Quaestores suis impensis munera edere cogebantur: at Domitianus e sua familia duos istos gladiatores libenter concessit, atque extensa utraque manu duabus factionibus diversa petentibus benigne satisfecit. Subtilius Scaliger explicat: nempe promisit Imperator gladiatores pugnaturos utraque manu, seu binis sicis, sine parma, etc.

2. *Promisit, etc.* Vtrumque par significat se daturum utraque exporrecta manu, salutationis et consensus nota, e castris in arenam translata.

Non potuit melius litem finire iocosam.
O dulce invicti principis ingenium!

3. *Litem finire iocosam.* Studium populi alterius alterum petentis: quae Ausonio, *cuneati laeta theatri Seditio.*

4. *O dulce.* Contraria iungit: hostibus iuvictus, civibus facilis.

21. — DE SPECTACVLO ORPHEI.

Exhibita fuerat in Amphitheatro Orphei fabula in qua damnatus quidam (ut supra dictum est Epigr. VIII) vere ab urso dilaniabatur, ut Orpheus a Bacchis discerptus fertur.

Quicquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Caesar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaque sylva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Adfuit immixtum pecudum genus omne ferarum,

1. *Orpheo theatro.* Id est nec arte nec manu facto, sed natura decorato et extructo in Threiciis vallibus, seu planitie ad Haemum Rhodopenve: haec loca, ad similitudinem veri theatri, refert quoque Ovidius Metam. XI: *Maenades Orphei titulum rapuere theatri.* Vallis nempe fuit qualis describitur a Seneca in Troade, act. V, *et clivo levi Erecta medium vallis includens locum Crevit theatri more.* Ed. P. — *Rhodope.* Mons Thraciae, hic pro Thracia ipsa accipitur: aut pro feris et silvis ac scopulis qui ad Rhodopen arrepsere quum in ea caneret Orpheus.

3. *Repserunt scopuli.* Mediam nempe per arenam sylvae et saxa trahebantur per machinamenta quaedam, aut ab hominibus in truncis arborum scopulisque latitantibus. Ed. P.

4. *Nemus Hesperidum.* Quarum horti describuntur a Virgilio, Plinio, Solino in Mauritania Tingitana. Prope Lixum urbem: ita Ortelius. In illis hortis poma erant aurea, id est citrea, quorum mentionem facit Athenaeus lib. III, cap. 5.

5. *Adfuit immistum pecori* legit Idem Marcilius: *pecori* etiam legit Raderus, probante Grutero, et confirm. codd. Beverl. et Thuan. Cagnerius distinguit, *Adfuit immixtum pecudum genus; omne ferarum, etc.* Alii, *pecudum genus atque ferarum.* Ant. de Rooy conj. *Adfuit et mixtum pecudi genus, etc.* Vide Calpurn. Ecl. II, 10 seq. — *Pecudum.* Hoc est, omne genus ferarum cantu mansuefactarum adfuit. *Pecus* vulgo significat omne animal quod gregatim pascitur (Iustin. Inst. de Lege Aquilia), veluti boves, equi, asini, etc. Ferae autem in gregem non coeunt: igitur sensus hic est: adfuit ferarum turba, voce et citharae sono ita mansuefacta, ut eas feras dixisses esse pecudes: nam ut pecus

Et supra vatem multa pependit avis.
Ipse sed ingrato iacuit laceratus ab urso.
Haec tamen ut res est facta, ita ficta alia est.

pastorem, sic canentem sequebantur Orpheum. Ed. P.

6. *Multa pependit avis.* Filo vel reti coercitae tenuissimo ne avolarent, aves multae. Sic Ovid. *Tale nemus vates attraxerat, inque ferarum Concilio medius turba volucrumque sedebat.*

7. *Ingrato ab urso.* Qui vatis musicam crudelitate compensavit.

8. Hunc versum non esse Martialis, scribit Gronovius, sed alicuius infelicis versificatoris, qui deficientem in veteri codice versum supplevit.

22. — DE RHINOCEROTE.

Rhinoceros aegre lenteque irritatus, tandem in furorem versatus est.

Sollicitant pavidi dum rhinocerota magistri,
Seque diu magnae colligit ira ferae;
Desperabantur promissi praelia Martis:
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,

1. *Sollicitant.* Feras ad pugnam irritare solebant stimulis, igne, flagellis, pilis, mappis, modo epigr. 19, v. 1. — *Pavidi.* Verentes ne in se bestiam moverent; vel ne, si non moveretur in pugnam, populo displicerent, qui lentas oderat pugnas, ut ultimo sequentis epigr. versu.

2. *Seque diu.* Difficile enim irritabatur rhinoceros; ut epigr. 9 supra.

3. *Despectabuntur promissa* Beverlandus. — *Praelia Martis.* Id est, venatio arenae, in qua colebatur Mars.

4. Idem Beverlandus legit *huic rediit.* Codex Thuan. *Sed tamen rediit.* Marcilius legendum putavit · *Sed tamen ei, μονοσυλλάβως.* Cagnerius: *Sed tamen his.* — *Sed tamen is rediit.* Is furor, qui ante epigr. 9, *cognitus* describitur: *O quam terribiles exarsit pronus in iras!* Ita non redundat vocab. *is*, sed alludit ad hoc epigramma. Ed. P.

5. Alii *urum* legunt. — *Gemina cornu.* Rhinoceros africanus geminum cornu habet. Legunt alii *urum*; hoc est, bovem silvestrem, cui imperitum vulgus *bubali* nomen imposuit, teste Plinio lib. VIII, cap. 15; et ideo intelligunt urum gemino cornu gravem, id est infestum, vel etiam ponderosum, quod convenit magis uro quam urso; quid enim, ut aiunt, mirabile, si rhinoceros qui tauros (epigr. 9 supra) iactabat veluti pilas, iactat ursum? Ed. P.

Iactat ut impositas taurus in astra pilas.

6. Lipsius suspicabatur legendum, *Iactat ut obpositas*. Ant. de Rooy proposuit, *expositas*. Exponi dicuntur, quaecumque in aperto collocantur. Atque ita pilae in arena expositae, ut inde bestiae irritarentur.

23. — DE CARPOPHORO.

Eumdem Carpophorum laudat, quem supra (epigr. xv) et infra (epigr. xxvii) heroibus praefert antiquis. Ed. P.

Dorica quam certo venabula dirigit ictu
  Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!
Ille tulit geminos facili cervice iuvencos;
  Illi cessit atrox bubalus atque bison.
Hunc leo quum fugeret, praeceps in tela cucurrit:
  I nunc, et lentas corripe, turba, moras.

1. *Norica* conj. Ramires de Prado. In Norica provincia affabre omne armorum genus cudi vulgatum est. Pro *certo* in nonnullis codd. *torto*. — *Dorica* Graeca : nam venabuli inventores fuere Graeci, teste Plinio VIII, 37: vel Laconica ut placet aliis; Lacones enim venatores strenui, iidemque Dorici generis fuerunt. Vel a Doride, in qua Pindus mons, optimae materiae ad hastilia ferae; vel a Doribus qui teste Homero Odyss. Cretae sunt populi; Cretenses vero sagittandi arte peritissimos fuisse nemo nescit. Ed. P.

3. *Ille tulit*. Sustulit, interfecit. — *Facili cervice*. Tauri quam facillime quoquo versum cervicem moventes difficillime et periculosissime feriuntur: igitur sensus hic est quem cum Ramiresio adoptamus: quantumvis cervice versatili et tela ideo declinantes tauros duos certo confecit ictu Carpophorus. Ed. P.

4. *Bubalus atque Bison*. Bubali sunt proprie tauri, quos *bufalos* hodie Itali vocitant. Est Bison cervi figura, cuius a media fronte inter aures unum cornu existit excelsum, cuius e summo rami tanquam palmi diffunduntur. Eosdem describit Plinius l. VIII, c. 15.

5. *In tela cucurrit*. Subsessorum, qui in insidiis latent, in venatoris subsidium ubi opus sit.

6. *I nunc*. Vox est insultantis: sic populo insultat Poeta quod certaminis moram alias impatienter ferret, quem iam conqueri non posse subintelligit, quum feras celerrime interficiat Carpophorus. Vide epigram. praeced. notam. ad verb. *Pavidi*. — *Corripe*, incusa. — Longius producta certamina oderant Romani, ut apparet ex epigr. 29, in quo, Vero et Prisco gladiatoribus aequo discrimine pugnantibus, populo, ut patientius moram sustineret, lances et dona distribui iubet Caesar. Ed. P.

24. — DE NAVMACHIA.

Novum hospitem et e longinquo advenam, tum primum navalis praelii, a Tito (Suet. lib. 7) val a Domitiano (Suet. Dom. 4) immissa in Amphitheatrum per tubos aqua exhibiti, spectatorem admonet, ne decipiatur credens scilicet pontum esse, quum mox emissam ad munera gladiatoria visurus sit aquam.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
  Cui lux prima sacri muneris ista fuit,
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
  Et par unda fretis; hic modo terra fuit.
Non credis? spectes, dum laxent aequora Martem:
  Parva mora est: dices, hic modo pontus erat.

1. *Serus.* Nempe propter itineris longitudinem primum ades spectaculo, quod Neptuno erat dedicatum, et a Caesare exhibitum.

2. *Sacri muneris.* Munus sacrum dicitur, vel quia Neptuno erat dedicatum, vel quia a divo Domitiano edebatur. En. P.

3. *Navalis Enyo.* Hoc est, praelium navale. Enyo enim, Bellona, bellorum dea, Martis soror, significat praelium per metonymiam.

4. Ant. de Rooy conj. *hoc modo.* Mox per interrogationem, *hoc modo pontus erat?* Vel, *dices: hic' modo pontus erat?*

5. Codex Thuan. *specta, dum lassent aequora Martem,* hoc sensu: Expecta, donec lassati erunt bellatores naumachici, tum dices, etc. Ant. de Rooy malit *aequore*; h. e. dum finiatur certamen navale. — *Spectes*, attendas; alii, *expectes.* — *Dum laxent.* Id est, dum emissa aqua locum det gladiatoribus, qui aqua impediebantur ne in arenam descenderent. Suetonius in Tito cap. 7: *Dedit et navale praelium in veteri Naumachia: ibidem et gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.* Post naumachiam ergo exhibebantur aliquando gladiatores, ut patet ex hoc loco.

25. — DE LEANDRI SPECTACVLO.

Domitiani clementiam Neptuni saevitiae anteponit, quum fictitius hic Leander e Caesaria mari Amphitheatrali enatarit, ille verus in Hellesponto perierit.

Quod nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,

Credidimus remum, credidimusque ratem;
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum,
Lataque perspicuo vela tumere sinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

8. *Aut docuit, etc.* Accepitne lusus hosce Caesar a Thetide, aut ipsa potius a Caesare docta est?

27. — DE CARPOPHORO.

Eumdem Carpophorum quem laudavit (epigr. XXIII), quem Meleagro et Herculi praeposuit (epigr. XV), nunc Theseo, Bellerophonti, Iasoni et Perseo praefert. ED. P.

Saecula Carpophorum, Caesar, si prisca tulissent,
Iam nullum in monstris orbe fuisset opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem,
Arcas Maenalium non timuisset aprum.
Haec armata manus hydrae mors una fuisset,

2. *Iam*, h. l. non ineleganter adhibetur ut celeritatis particula. Vide Burm. ad Ovid. Met. VII, 306. Attamen nescio quam maiorem efficaciam habere videtur, si legas: *Quam nullum in monstris orbe fuisset opus!* fere ut epigr. 15. *Quantula Carpophori portio fusus aper!* Eleganter nonnumquam haec particula iungitur adiectivo *nullus*. Iustin. II, 12: *Vt intelligeret, quam nullae essent hominum adversus Deos vires.* Ovid. Amor. II, 11, 28: *Quam tibi nunc toto nullus in orbe color!* Martial. VI, 10: *At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira!* Ant. de Rooy. — *Iam nullum.* Hoc loco *iam* significat *amplius*. Terentius in Andria, act. II, scen. 2: *Vxorem iam non dat Chremes.*

3. *Marathon.* Vrbs est decem millibus passuum distans ab Athenis, hodie *Marasona* vel *Maratona*, quo ex Creta Taurum a Pasiphae adamatum Hercules adduxit ad Eurystheum, ibique illum interfecit. — *Nemee.* Sylva Peloponnesi, ubi leo ab Hercule prostratus est.

4. *Maenalium.* Maenalus mons Arcadiae, ubi ingentem aprum interfecit Hercules lib. V, ep. 66: *Nemeae terror, et Arcas aper.*

5. *Hydrae mors una.* Hoc est, Lernaeam illam pestem uno ictu interfecisset is Carpophorus, quam multis repetitis vulneribus vix occiderit Hercules, capitibus nempe aliis caesorum loco renascentibus.

Huic percussa foret tota Chimaera semel.
Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros:
Solvere et Hesionem solus, et Andromeden.
Herculeae laudis numeretur gloria: plus est
Bis denas pariter perdomuisse feras.

6. *Tota Chimaera.* Vno quoque ictu occidisset monstrum triforme, quod habebat leonis caput, ventrem caprae, et draconis caudam. Hunc interfecit Bellerophon, sed pluribus ictibus, ac Pegaso insidens. Ed. P.

7. Alii *Aeripedes*; χαλκόποδας· *eripedes*: *Ignivomos*, φλόγα φυσιόωντε. *Aenipedes*; quanquam *Ignipedes* Solis equi Poetis dicantur. — *Ignipedes.* Hos vero tauros vellus aureum custodientes vicit Iason ope Medeae Colchidis, cuius historia satis patet ex Ovidio et Valerio Flacco. — *Sine Colchide.* Sine Medeae ope et arte, quod Iason non potuisset.

8. *Hesionen.* Filiam Laomedontis, Troianorum regis, obiectam monstro marino, et devinctam saxo, liberavit Hercules. Ovid. Met. XI: *Regis quoque filia monstro Poscitur aequoreo, quam dira ad saxa revinctam Vindicat Alcides.* — *Andromeden.* Quae filia fuit Cephei regis Aethiopum: ceto exposita, liberata est a Perseo pacto eius nuptias. Ovidius, Met. IV. Manilius lib. V, copiose describit hanc historiam: *Proposita est merces vesano dedere Ponto Andromeden, teneros ut bellua manderet artus.*

9. *Herculeae laudis.* Hoc est, si labores Herculis numeres, duodecim tantum, et equidem diversis temporibus exantlatos reperies, at vero Carpophorus uno die viginti feras interfecit.

28. — DE NAVMACHIA ET DIVERSIS SPECTACVLIS IN AQVA EXHIBITIS

Haec spectacula a Tito, ut Xiphil. videtur, edita, Augusti, Claudii, Neronisque praefert naumachiis. Ed. P.

Augusti laudes fuerant, committere classes,
Et freta navali sollicitare tuba:
Caesaris haec nostri pars est quota? vidit in undis

1. *Augusti labor hic fuerat.* codd. Thuan. Bodl. et alii. — *Augusti laudes.* Augustus ondas exhibuit Naumachias cis Tiberim (Suet. Aug. 43, Tac. Ann. 14), nisi respicias exercitationem classium in lacu Lucrino ad bellum Siculum. Ed. P. — *Committere classes.* Praelia navalia tantum edidit Augustus. Sed Titus addit longe mirabiliora spectacula in aquis edita. Ed. P.

3. *Caesaris, etc.* Titi, seu maris

Et Thetis ignotas et Galatea feras.
Vidit in aequoreo ferventes pulvere currus,
Et domini Triton ipse putavit equos.
Dumque parat saevis ratibus fera praelia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quicquid et in Circo spectatur, et Amphitheatro,
Dives Caesareo praestitit unda tibi.
Fucinus et pigri taceantur stagna Neronis:

Domitiani. — *Pars est quota?* Quasi diceret minima. De hac formula supra, *Quantula Carpophori portio, etc.*

4. *Ignotas, etc.* Equi enim, tauri, aliaque animalia edocta fuerunt id omne in aquis facere, qood in terra consuerant. Vid. Dion. in Tit. 4. — *Galatea*. Vna est Nereidum: forte pro omnibus sumitur per metonymiam. Eo. P.

5. *In aequorco pulvere*. Multi intelligunt pontes leniter aquae superficiei substratos, et super hos currus traetos fuisse. Taeitus Annal. XII, de Naumachia Clsudii ait: *Eoque tempore interiecto, altius effossi specus; et contrahendae rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam.* Aquae autem spuma pedibus equorum currentium, vel si pontes non fuerint, natantium exeitata imitabatur pulverem Circi. — *Ferventes currus.* Propter motum velocem quo etlam in aqua fervidi trahebantur. Horatius, Od. I, 1, *Metaque fervidis Evitata rotis.*

6. Bodl. et Thuan. *isse* pro *ipse*.— *Domini*, Neptuni. — *Triton*, Salaciae et Neptuni filius, eiusdemque tubicen.

8. *Horruit in liquidis* conj. Pet. Seriver. et sic est in codd. Bodl. et Thuan. Virgilius: *Quamquam animus meminisse horret.* — *Pedestris* idem Thuan. et cod. Beverlandi. — *Abnuit in liquidis, etc.* Seilicet ut coniicere possumus, quidam habitu Neptuni et curru vectus, super hos pontes leviter aquae superficiei substratos, equos agitavit, quos Triton crederet esse Neptuni equos, forte vitulos marinos, etc. — *Nereus* vero deus maris, Nereidum scilicet pater, pro ipso mari etiam sumitur. Vide Hesiodum in Theogonia. Eo. P.

9. *Circo spectatur*. Certamina curulia, gymnica, pompae. Eo. P.—*Amphitheatro*. Gladiatores, venationes, etc Haec omuia quae in terra fieri solent, in aquis edita fuere. Eo. P.

10. *Caesaris hoc dives* e codd. emendavit Cagnerius, ut supra epigr. 35, « Desine mirari, Caesaris unda fuit.» *Et amphitheatro Caesareo, dives praestitit unda tibi* Marcilius.— In multis editionibus legitur: *dives Caesarea praestitit unda tibi*, ultima secundae vocis syllaba procedente, propter sequentes duas consonantes. — *Dives*. Ludorum et spectaculorum copia multiplex. Eo. P.

11. Alii legunt, *et diri*: Thuan. *et Tigri*. Otii appetens Nero. ex Dio. in Ner. et Sueton. cap. 42. — *Facinus*. Marsorum lacus, ubi pugnam navalem edidit Clsudius. Vid. Tac. loc. sup. cit. et Sueton. Claud. 21 — *Pi-*

Hanc norint unam saecula Naumachiam.

gri. Nihil magnifici et vere principe digni edentis; vel referas hoc verbum ad stagna per hypallag. — *Stagna*. De stagnis Neronis iam dictum epigr. 2, supra. Eo. P.

29. — DE PRISCO ET VERO GLADIATORIBVS.

Par gladiatorum postulatitium vel a Caesare exhibitum (ut supra epigr. xx) ubi diu aequo pugnasset Marte, populus vel favore vel more taedio missionem utrique gladiatori petiit. Caesar arenae lege iubet agi, nec dirimi certamen fert nisi altero victo.

Quum traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset et aequalis Mars utriusque diu;
Missio saepe viris magno clamore petita est;
Sed Caesar legi paruit ipse suae.
Lex erat, ad digitum posita concurrere palma:
Quod licuit, lances, donaque saepe dedit.
Inventus tamen est finis discriminis aequi;
Pugnavere pares, succubuere pares.
Misit utrique rudes, et palmas Caesar utrique:

3. *Missio saepe*. Missio erat quoties laesus aut victus victori eripiebatur a principe vel munerario ex faventia populi, quam significabat presso pollice; quod accipio, pollicem intra palmam conditum, digitis fuisse pressum.

5. *Ad digitum*. Hoc est, pugnare sine spe missionis, donec gladiatorum alter digitum tollat, id est, victum se fateatur. Ita hunc locum explicat Musambertius.

6. *Quod licuit*. Caesar, salva lege quam posuerat, obsonia misit in lancibus quibus vires reficerentur gladiatorum, donaque quibus ad pugnam acrius incitaretur animus. — Vel intellige edulia et missilia data fuisse populo quo facilius ferret longae pugnae moram. Vid. sup. epigr. 23, v. 6.

8. *Succubuere pares*. Simul nempe alter ab altero laesus est.

9. *Rudes*. Scipiones, quibus veterani gladiatores donati in signum magisterii, liberi ab arena in reliquam vitam pronuntiabantur. Rudis itaque distinguitur a missione: *Missio* enim liberabat gladiatorem in eum diem, vel in id munus; *Rudis* in omnem vitam gladiatorem ab arena liberum pronuntiabat, nisi volens ipse, vel pecunia, pugnaret. Tum missio dabatur laeso et victo; rudis victori: hinc per

Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc, nullo nisi te sub principe, Caesar:
Quum duo pugnarent, victor uterque fuit.

metaphoram dicitur *rude donatus* qui aliquo munere liberatur.

12. *Victor uterque*. Hoc quasi miraculum felicitati Domitiani tribuit Poeta.

30. — AD CAESAREM.*

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat, Caesar, qui placuisse tibi.

* Hoc distichon et sequens vel mutila sunt, vel corrupta, vel Martialis non sunt; ex fragmentis illi adscribuntur.

31. — ALTERVM.

Cedere maiori, virtutis fama secunda est.
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

2. *Gravis.* Sensus omnis epigrammatis hic est; Laus secunda fortitudinis est vinci tantum a superiore hoste. Palma quam inferior reportat odiosa victo et pudenda est; non autem ea quae reportatur a maiore: exinde hic *palma gravis* significat palma quae gravem affert victo pudorem. Ed. P.

32. — DE DAMA ET CANIBVS.

Dama persequentibus canibus ad pedes Caesaris confugit, ibi inviolata.

Concita veloces fugeret quum dama molossos,
Et varia obliquas necteret arte moras;
Caesaris ante pedes supplex, similisque roganti
Constitit; et praedam non tetigere canes.

4. *Non tetigere.* Veriti scilicet numen Domitiani ad quem confugerat dama.

. . . .
Haec intellecto principe dona tulit.
Numen habet Caesar. Sacra est vis, sacra potestas.
Credite: mentiri non dicere ferae.

6. *Haec intellecto.* Huius carminis explicatio pendet ex superiori hexametro quod deest. Hic sensus coniici potest: vitam obtinuit quasi mercedem, quia principem intellaxerat et agnoverat; non difficillimus quidem coniectu sensus, quum adulationem ubique redoleat et hoc idem de Caesaris *numine* dictitet in mille locis adulator Martialis: vid. epigr. 17 supra; lib. I, epigr. 7, 15, 105, etc., etc. Ed. P.

33. — ALIVD, APVD ANTIQVVM IVVENALIS SCHOLIASTEN.

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit haeres!
Paene fuit tanti, non habuisse duos.

1. *Tertius haeres.* Domitianus nempe inhumanus et ferox, qui suae genti dedecori fuit. Vbique palam Domitiano palpatur Poëta, attamen hoc loco illum acerbissime carpit: quare Martialis esse vix crediderim.

2. *Non habuisse duos.* Vespasianum et Titum, alterum patrem, fratrem alterum Domitiani.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER I.

EPISTOLA AD LECTOREM.

Spero me secutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis [1] de se bene senserit, quum salva [2] infimarum quoque personarum [3] reverentia ludant; [4] quae adeo antiquis auctoribus [5] defuit, ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis. [6] At mihi fama vilius constet, [7] et probetur in me novissimum [8] ingenium. Absit

1. *Quisquis*. Quisquis nullius vitii aut sceleris erit sibi conscius, nihil ad se pertinere suspicabitur, quae sub nominibus fictis ego reprehendo.

2. *Quum salva*. Quum nullius, vel infimae sortis hominis famam nominatim laedant. Sic lib. X, epigr. 33: *Hunc servare modum nostri novere libelli, Parcere personis, dicere de vitiis*.

3. Codex Vossianus exhibet: *infimarum quoque gentium*.

4. *Ludant*. Ludere apud poëtas est scriptitare aliquid, praesertim ioculare ac venustum.

5. *Antiquis auctoribus*. Lucilio nempe, Catullo, Metrodoro Scepsio, Ortacilin et aliis.

6. *Sed etiam magnis*. Principum scilicet, et nobilium virorum quos in famosis suis libris nominabant antiqui poëtae; quos quidem, iocis abutentes potius quam utentes, non imitatur Martialis, ut ipse ait, lib. VII, epigr. 2.

7. *Vilius constet*. Id est, non tanti mihi sit argutum videri in epigrammatis meis, ut hanc laudem existimem laesis aliis esse comparandam. — Mihi de nullo fama rubore placet: lib. VII, epigr. 2. — Est alter sensus: maior est fama scriptoris nobiles nominatim carpentis; mihi ex fictis nominibus argumentisque desumpta placet fama, vilior quidem, sed honestior at periculosa minus. Ed. P.

8. *Novissimum*. Vltimum; ultimo loco laudatur in me ingenium: primo autem loco laudetur probitas, viris magnis et aliorum famae reverentia

a iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres, nec epigrammata mea scribat. [1] Improbe facit, qui in alieno libro ingeniosus est. [2] Lascivam verborum veritatem, [3] id est, epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum : [4] sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur. [5] Si quis tamen tam ambitiose tristis est, [6] ut apud illum in nulla pagina Latine loqui [7] fas sit, potest epistola, vel potius Titulo [8] contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. [9] Non intret Cato [10] theatrum nostrum ; aut si intraverit, spectet. Videor mihi meo iure facturus, si epistolam versibus clausero. [11]

debita ; quas virtutes si retinere nequeo, ut ingeniosus videar, malo ingenii laudem amittere.

1. Cod. vet. Cagnerii *stringat* : idem conj. Ant. de Rooy. De verbis *scribere* et *stringere*, vid. Heinsius ad Ovid. Pont. II, 7, 33, et Scheffer et Burm. ad Phaedr. I, 29. — *Scribat*: Sua illa faciat, maligne interprétando, quae mea sunt, si simpliciter explicentur. Vel *scribat*, id est, inscribat ; ne apponat quasi titulum meis epigrammatis, perinde ac si in hunc illumve, cuius nomen iis praefigit, fuerint composita.

2. *Ingeniosus est.* Vult ingenii sui sagacitatem iniquis interpretationibus et a mente auctoris alienis ostendere.

3. *Lascivam verborum licentiam* alii. — *Verborum veritatem.* Apertam rerum pudendarum appellationem : hac de re prolixe agit Plinius Secundus, lib. IV, epist. 14.

4. *Meum exemplum.* Si primus omnium scriberem licentius.

5. Emendat Lipsius *praelegitur*, in scholis nempe ; ut Virgilius, Catullus, alii.

6. *Tam ambitiose tristis est.* Morum severitas appellatur proprie ambitiosa tristitia, si aliquid affectationis inest ; ambitiosum enim latine affectatum significat.

7. *Latine loqui.* Id est, clare et simpliciter suis vocabulis res indicando licet subobscoenas.

8. Non hic intelligit titulos cuiusque epigrammatis, sed titulum totius libri : nam Martialis tantum eos apposuit qui in decimo tertio et decimo quarto lib. leguntur. Vide lib. XIV, epigr. 2. *Lemmata si quaeris cur sint adscripta, docebo : Ut, si malueris, lemmata sola legas.* — Caetera lemmata fuerunt a grammaticis inventa. Eo. P.

9. *Florales.* Ludos institutos in honorem Deae Florae, quos describit Ovid. Fast. V, lascivos prorsus. Vide Lactant. I Instit., Augustin. de Civ. Dei, lib. IV, cap. 8.

10. *Non intret Cato.* Vid. epigr. 1 infra, ad quod alludit Poëta.

11. *Versibus clausero.* Epigramma ad Catonem intelligit, quod in Iuniana editione tertium est, primo tamen loco reponendum, quod fecimus.

I. – AD CATONEM *

Nosses iocosae dulce cum sacrum Florae,
Festosque lusus, et licentiam vulgi,
Cur in theatrum, Cato severe, venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

* Hoc epigrammate, Catonis quasi affectatam cavillatur severitatem, qui, quum impudicum Floralium morem non ignoraret, theatrum intrare non debuit, intraverat tamen hos ludos a Moetio aedile exhibitos spectaturus. Populum autem, suae lasciviae tanto spectatore quasi reprehensum, ut mimae nudarentur postulare puduit; cuius rei causam quum ex Favonio latus suum tegente Cato cognovisset, decessit e theatro.

1. *Iocosae dulce.* Ludi Florales celebrabantur omni cum verborum licentia, motuumque obscoenitate, a meretricibus veste exutis, in honorem Accae Tarratiae, olim famosae meretricis, quae postea sub deae Florae nomine fuit culta et consecrata. Haec populum Romanum moriens haeredem dixerat ea lege, ut editis ludis suum natalem diem quotannis celebraret. Vidend. epigr. 36 infra.

2. *Festoque lusus* Iunt. an. 1512.

2. — AD LECTOREM.*

Hic est quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis
Argutis Epigrammaton libellis:
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viventi decus, atque sentienti,

* Hanc quasi praefationem fuisse horum librorum collectioni affixam, non autem inter prima epigrammata a Martiale compositam, inde patet, quod se iam toto orbe innotuisse dicat Epigrammaton libellis: quod infra multis quoque iactat locis. Vid. lib. V, epigr. 13, et lib. XI, epigr. 3. Adde etiam quod, ut apparet evidenter ex ultimo epigrammate libri II, et ex primo libri III, hic liber primus non primus fuit in lucem a Martiale editus, sed fratres suos, post se natos, et ante se editos, secutus est Ed. P.

1. *Quem requiris.* Quem, semel lectum, iterum quaeris legendum; vel, quem legere summe cupis.

2. *Tota notus in urbe* codex Vossianus.

Rari post cineres habent Poëtae.

6. *Post cineres.* Metonymia, id est post obitum: raro enim excellentes viri laudantur, dum vivunt: rationem reddit Horat. *Vrit enim fulgore suo, qui praegravat artes Infra se positas: exstinctus amabitur idem.* Vide lib. V, epigr. 10. — Sic quoque Ovid. de Ponto; *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit; Tum suus ex merito quemque tuetur honor.*

3. — AD LECTOREM, VBI LIBRI VENALES.

Qui tecum cupis esse meos ubicumque libellos,
Et comites longae quaeris habere viae;
Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis:
Scrinia da magnis, me manus una capit.
Ne tamen ignores, ubi sim venalis, et erres
Vrbe vagus tota; me duce certus eris.
Libertum docti Lucensis quaere Secundum,
Limina post Pacis, Palladiumque forum.

2. *Comites longae.* Comites scilicet facundos, qui pro vehiculo sunt in via, ut lepide dictum invenimus apud Publ. Syr. Mimorum script. in fragmentis poët. Henr. Stephani: *Comes facundus in via pro vehiculo est.*

3. *Arctat membrana.* Hoc est, qui exiguo volumine sunt compacti. Scribebant antiqui in membranis; et tabellis vel citreis vel ex alia materia includebantur libri; qui, si arctiores et minores essent, et manu capi possent, vulgo vocabantur *Enchiridia* (*εν*, *dans*; *χειρ*, *main*); si vero maiores, *volumina* dicebantur, quia scripti erant in perpetua membrana, circa bacillum ligneum *involuta*.

4. *Scrinia da magnis.* Ingentia volumina repone domi, et serva in *scriniis*, id est in arculis et capsis (a *secernendo* dictis); ego vero, nempe meus libellus, gestari facile, et manu capi possum.

6. *Me duce.* Docente viam, et bibliopolam monstrante.

7. Bibliopola erat hic Secundus. Librarii vocabantur qui libros exscribebant, ut apud nos typographi sunt ii qui typis edendos curant; bibliopolae erant ii quos et nos vocamus *Marchands libraires.* Turnebus, lib. XVIII, cap. III, suspicatur in patronorum libertis ordinem quemdam fuisse, quod alteri apud patronum priorem locum obtinerent, alteri proximum: ideoque *Secundum* non hic esse nomen proprium liberti, sed locum hunc indicare.

8. *Palladium.* Forum in quarta Vrbis regione appellabatur *Palladium* ab aede Palladis quae in eo fuit, iuxta templum Pacis; vel *Transitorium* quia per illud ultro citroque multi commeabant. Inter Capitolium et Quirinalem montes positum, inchoatum a Domitiano, perfectum deinde a Nerva, forum Nervae postea dictum est.

4. — AD LIBRVM SVVM, IN LVCEM PRODIRE GESTIENTEM.

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Quum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.
Nescis, heu, nescis dominae fastidia Romae:
Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Maiores nusquam ronchi, iuvenesque senesque
Et pueri nasum Rhinocerotis habent.
Audieris quum grande sophos, dum basia captas,

1. *Argiletanas.* Argiletum erat locus quidam Romae, haud procul theatro Marcelli; in quo tabernae bibliopolarum. Sic dictus est a quodam Argo, duce Argivorum, qui ab Evandro exceptus hospitio, quum in affectati regni suspicionem venisset, ab Arcadibus, inscio Evandro, interfectus est; cui postea Evander tumulum erexit, quem de nomine eius Argiletum appellavit. Lege Virg. Aen. VIII, v. 346.

2. *Scrinia.* Quum in meis scriniis et arculis locus sit vacuus et patens, ubi manere, quasi domi tuae, tuto possis.

3. *Dominae fastidia Romae.* Exciperis, velut servus a Domino, ab urbe Roma, urbium gentiumque regina, atque ideo fastidiosa; quo quis enim sublimius dominatur, eo saepissime fastidit arrogantius. Ed. P.

4. *Martia turba.* Romani, a Romulo oriundi, cui Mars pater fingitur: vide Plutarchum in Romulo. — *Nimium sapit.* Gens Romana acutiori iudicio poëtarum opera distringit, et lima censoria mordacius utitur. Ed. P.

5. *Ronchi.* Ronchum appellant Graeci nasi sonum qui emittitur a stertentibus; quo saepe utuntur, qui aliquid contemnunt; quasi significarent adeo ineptum illud esse, ut malint stertere, quam id videre, vel audire. Sensus igitur est, nullos esse homines Romanis fastidiosiores.

6. *Nasum rhinocerotis.* Sicut dextra fidei, genua misericordiae, supercilium gravitati et fastui, frons pudori, ita subdolae irrisioni nasus dicatus est (Vide Plin. lib. II, cap. 37), fortasse quia nasi corrugatione habitus ridentis exprimitur. Vt ergo significaret acerrimum iudicium et subsannandi calliditatem esse Romanis, nasum rhinocerotis dixit illos habere, quum id animal fortissimum habeat nasum, nempe cornu procero munitum et acutum. Vide lib. XIII, epigr. 2.

7. Optimi libri habent *iactas;* sic Beverlandi MS. hinc Scriv. *basia iacta*, quod probat Gronovius. — Quum *primum* lectus in coetu quodam audiveris grande sophos, deinde ibis in manus *omnium* basia ambiturus; *sed varia sunt iudicia*, et populus universus non confirmabit plausus, quo exceptus fueras in primo illo coetu. Ed. P. — *Grande sophos.* Σοφῶς, sapienter. Erat frequentissima acclamatio eorum qui recitantis scripta laudabant. Vide ep. 50 infra: *Mercetur alius grande et insanum sophos.* — *Basia captas.* Approbationes; nam osculabantur antiqui quos recitantes

Ibis ab excusso missus in astra sago.
Sed tu, ne toties domini patiare lituras,
Neve notet lusus tristis arundo tuos;
Aethereas, lascive, cupis volitare per auras:
I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

probaverant, quin etiam libros ipsos. Vid. epigr. 77 infra.

8. *Ibi ab excusso.* Suetonins in Othone, cap. 2: *Ferebatur et vagari noctibus solitus: atque invalidum quemque obviorum, vel potulentum corripere; ac distento sago impositum in sublime iactare.* Gallice, *berner.* Hic per metaphoram sumitur pro risu et contemptu. — *Sago.* Proprie sagum est vestis militum: hic pro qualibet ponitur, cuius oras extremas manu teneant irrisores, librum in media veste positum, in aëra iacturi. Ed. P.

9. *Sed tu ne totics.* Emendantis poëtae lituras effugere cupis; unicuique enim censura gravis est et odiosa.

10. *Tristis arundo.* Ex arundine vero, praesertim Aegyptia, fiebant calami scriptorii. Vid. lib. XIV, epigr. 38.

11. *Volitare.* In lucem prodire.

5. — AD CAESAREM.

Contigeris nostros, Caesar, si forte libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.
Consuevere iocos vestri quoque ferre triumphi;
Materiam dictis nec pudet esse ducem.
Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum,
Illa fronte precor carmina nostra legas.

2. *Supercilium.* Usurpat pro fastu et severitate. *Terrarum dominum* vocat, quod eo terrarum orbis gubernaretur.

3. *Ferre triumphi.* In ipsa triumphi pompa per iocum dicteriis et conviciis Imperatorem consectabantur milites. Suetonius in Iulio, cap. 49, et Dio, lib. 43. *Triumphalia* appellabantur haec carmina, licentiae plena et procacitatis, quae in eum audientem effutiebant, eo ipso die, quo summo honore decorabatur. Vid. epigr. 8, lib. 7. Ed. P.

5. Erat Thymele Latini, histrionis famosi, uxor; utriusque actione mimica plurimum delectabatur Domitianus. Vox ista Thymele significat etiam orchestrae pulpitum. Iuvenalis, sat. I. « Et a trepido thymele summissa Latino. » *Derisoremque Latinum.* Mimus proprie is appellatur, qui alios imitatione scurrili exprimit, et propinat deridendos. Vid. epigr. 29, lib. 9.

Innocuos censura potest permittere lusus:
  Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

5. *Innocuos censura.* Susceperat Domitianus, ut auctor est Suetonius in eius vita, cap. 8, et severissime exercuerat morum correctionem, in famosa scripta etiam asper, quae non sine auctorum ignominia aboleverat. Excusat ergo censori epigrammata Martialis, quae in vitiorum insectationem, non in personarum infamiam composita, ludi sunt innocui, nec reprehendendi. Vide igitur Suetonium in Domitiano, cap. 8. Ed. P.

6. — RESPONDET MARTIALI IMPERATOR.

Do tibi Naumachiam, tu das Epigrammata nobis.
  Vis puto cum libro, Marce, natare tuo.

1. *Do tibi.* Inducit Domitianum, exiguo vel intempestivo carminum munere quasi iratum, et respondentem: *Dum edo Naumachiam, tu offers nobis librum: factum bene scilicet; commodum adest aqua, in quam malum poetam, cum importuno suo dono, mittamus.* Vide lib. V, epigr. 52. — De Naumachia, lib. Spect. epigr. 24.

2. *Natare;* mergi in aequore amphitheatrali, poëta malus cum malo libro. Ed. P.

7. — DE LEONE CAESARIS.

Aethereas aquila puerum portante per auras,
  Illaesum timidis unguibus haesit onus:
Nunc sua Caesareos exorat praeda leones,
  Tutus et ingenti ludit in ore lepus.
Quae maiora putas miracula? summus utrisque

1. *Aethereas*, etc. Quum olim Aquila a Iove missa, vel ipse Iupiter mutatus in aquilam, Ganymedem Trois filium portaret, haesit puer sine damno inter ungues timidos, scilicet aquilae metuentis ne laederetur, vel excideret.

3. *Nunc sua.* Id est, propria. Leoni magis propria est praeda lepus, quam aquilae puer: leonis igitur leporem aperto rictu discurrentem excipientis et dimittentis illaesum maius est miraculum, quam aquilae puerum portantis incolumem. Ed. P. — *Caesareos.* A Caesare exhibitos. — *Exorat.* Exorare est orando aliquid impetrare. *Lanificas nulli tres exorare puellas Contigit.* Lib. 4, epigr. 54.

5. *Summus.* Vterque deus est, nam Domitianus deus appellari voluit,

Auctor adest : haec sunt Caesaris, illa Iovis.

cuius iussu captum leporem dimittebat leo, sicut Iove iubente et Ganymedem rapuit incolumem aquila. Vide infra epigr. 15, 23, 45, 46, 49, 52, 61, 105, quae sunt eiusdem argumenti.

8. — AD MAXIMVM, DE COLVMBA STELLAE.

Stellae delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere maior est columba.

1. *Stellae columba.* — Laruntius Stella, poëta Patavinus Papinii Statii carminibus clarus, et de quo plurima apud Martialem mentio, columbam amicae suae deflevit, ad imitationem passeris Catulli. Columba pro opere de columba sumitur, causa nempe pro effectu. Vid. lib. VI, epigr. 21, et lib. VII, epigr. 14.

2. *Verona.* Patria Catulli, urbs Italiae nota, ad fluvium Athesim, a Gallis olim condita, et ab eorum duce Brenno dicta primum Brennona. Iustin. lib. 20.

4. *Meus tuo.* Martialis admirator et amicus Stellae : Maximus, admirator et forte concivis Catulli. Ed. P.

5. *Quanto passere.* — Confirmandumne fuerit, an reiiciendum hoc Martialis iudicium invidiosa in dubio reliquit vetustas, quae Stellae carmina delevit, nec cum Catulli carminibus comparanda reliquit. Ed. P.

9. — DECIANI DOGMA LAVDAT. *

Quod magni Thraseae, consummatique Catonis

* Deciani constantiam laudibus extollit poëta, omnia stoicorum dogmata profitentis, excepto illo quod Catoni placuit, nempe mortem esse obeundam, ubi vita intolerabilis. Ed. P.

1. In Iunt. an. 1512, *consumatique Catonis:* forte; *Quod magni Thraseae casum, summique* (vel *magnique*) *Catonis.* — *Magni Thraseae.* Constantis viri, imo virtutis ipsius, inquit Tacitus XVI annal. cap. 21; qui a Nerone, tantam probitatem non sustinente, mori iussus, alacriter venas porrexit incidendas, sanguinem libans Iovi Liberatori. — *Consummatique.* Omnibus numeris absoluti viri, stoici perfectissimi. — *Catonis.* Qui ne Caesarem victorem videret, se Vticae interfecit, cui hinc cognomen Vticensis. Homo, ut ait Velleius, per omnia diis quam hominibus propior, etc. Vide infra, ep. 79, v. 9.

Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis;
Pectore nec nudo strictos incurris in enses;
Quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam:
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

2. *Dogmata.* Instituta stoicae disciplinae, quam sequebantur Thraseas et Cato, quae summum bonum in virtute ponebat, sed docebat quoque mortem esse ultro lacessendam periculi vel ignominiae vitandae causa. Contra sentiebat Decianus, licet stoicus. — *Salvus.* Vivus. Ita stoicam virtutem amas ut vitam non oderis, et adversam ferre fortunam vivendo, quam effugere moriendo, malis. — Legunt nonnulli in secundo versu, *talis ut esse velis*; sensus est: sic stoicos sequeris, ut esse, et porro vivere diu stoicus velis.

4. *Quod fecisse*, etc. Recte agis meo iudicio, nec aliter te facere velim: laudanda est ab omnibus tua sententia.

5. *Nolo virum*, *etc.* Non probo virum, qui famam constantiae et fortitudinis emit morte; nihil enim facilius. Hunc probo qui eam vita sancte, ut facis, acta consequitur meretur que.

10. — IN COTTAM.

Bellus homo et magnus vis idem, Cotta, videri:
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

1. *Bellus.* Diminutivum a bono; vocabulum *bellus* de rebus pusillis dicitur. Ait Aristoteles, res parvas venustas esse posse, non pulchras, quia pulchritudo et dignitas, nisi in magnis esse nequit. Cotta igitur, si bellus homo sit, non est magnus homo, sed pusillus et tenuis. Vide lib. II, epigr. 7; lib. XII, epigr. 39, et lib. III, epigr. 63. Gallice, bellus, *joli*; magnus, *grand*: *joli* et *grand* non possunt simul convenire in re eadem. Ed. P.

11. — DE GEMELLO ET MARONILLA.

Petit Gemellus nuptias Maronillae,
Et cupit, et instat, et precatur, et donat.

1. *Petit Venustus* in nonnullis codd. ait Ramires de Prado, improbante Musamberto.

2. *Donat.* Munera mittit, ad eius favorem aucupandum; maiora testamento accepturus, quo sperat se a

Adeone pulchra est? immo foedius nil est.
Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

Maronilla institutum iri haeredem. Ed. P.

4. *Quid ergo in illa appetitur* habent eadem Iunt. et aliae quaedam edd. vett. quod melius putat Heraldus: et sic in Par. an. 1754. *Quid igitur in illa appetitur et placet? tussis* in codice Bodl. *tussis* legit etiam Pulmannus, probante eodem Heraldo: servat idem Par. anni 1754. — *Tussit.* Tussientes vetulas a se amari fingebant paupetes atque avari homines, quod eas brevi morituras crederent, et earum testamentarium haereditatem habituros se sperarent. Vid. lib. II, epigr. 26. Hi *haeredipetae* apud Petr. satyric. 124, vocantur.

12. — AD SEXTILIANVM POTOREM.

Quum data sint equiti bis quina numismata, quare
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?
Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

1. *Quum data sint.* In variis gradibus amphitheatri sedentes spectatores, si longius produceretur spectaculum, saape ab imperatoribus nonnihil accipiebant pecuniae, ad sitim levandam, aut emenda bellaria. Sic data erant equitibus decem numismata. Quid autem sint illa numismata, nemo affirmare audeat; sed non magni pretii fuisse apparet ex epigr. 27 infra, ubi aera appellantur. Ed. P.

2. *Bis decies.* Tres a commentatoribus adhibentur sensus: 1.° aut bibis viginti haustus; 2.° aut bibis tantum, quantum exaeques vicies decem numismata; 3.° aut bibis decies HS; secundus uobis melior videtur, quum epigr. 27 infra confirmatus sit. Ed. P.

3. *Calda.* Aqua calida in deliciis habita fuit apud antiquos, vel quam vino infunderent, vel quam solitariam biberent, vel etiam qua lavarentur. Vid. infra, epigr. 67, 8, et ap. 113, XIV.

4. *Merum.* Non aqua immixta. — *Aqua toties ebrius esse potes*, lepide ait noster infra, epigr. 27, in eumdem Sextilianum et de eodem argumentum factum. Ed. P.

13. — DE REGVLO, PORTICVS RVINA NON OPPRESSO.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,

1. *Herculei.* Hercules enim Tibure colebatur. Tibur hodie *Tivoli*, ad decimum ab Vrbe lapidem.

Canaque sulfureis Albula fumat aquis;
Rura, nemusque sacrum, dilectaque iugera Musis
Signat vicina quartus ab Vrbe lapis.
Hic rudis aestivas praestabat porticus umbras,
Heu quam paene novum porticus ausa nefas!
Nam subito collapsa ruit, quum mole sub illa
Gestatus biiugis Regulus isset equis.
Nimirum timuit nostras Fortuna querelas,
Quae par tam magnae non erat invidiae.
Nunc et damna iuvant; sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare deos.

2. *Cana Albula.* Planitiem Tiburi vicinam intellige, ubi a colore albo quem a venis sulfureis trahunt, aquae albulae dicuntur. Nunc sunt *Bagni di Tivoli*, aquae salubres quae in Anienem fluvium devolvuntur.

3. *Dilectaque iugera.* Reguli villa, oratoris, musarumque docti clientis.

4. *Lapis.* Singula passuum millia signabant Romani posito in via lapide; lapis ergo quartus ponitur pro quarto milliari. Tria passuum millia leucam maiorem Gallicam conficiunt.

5. *Rudis.* Inelegans, rusticana.

8. Vulgo *esset*; coniicimus *isset*, quod elegantius. — *isset equis.* Et iam transiisset. Ed. P.

9. *Nimirum tenuit* Pulmannus, i. e. impediit. — *Nimirum timuit.* Antiqui enim, si quid secus contigisset, deos maledictis onerabant, immo eorum statuas confringebant, aut urebant ligneas. Vide lib. VIII, epigr. 40. Ed. P.

10. *Quae par tam magnae.* Communem desiderantium, querentiumque, si Regulum, virum probum, interemisset, sustinere non potuisset invidiam.

11. *Nunc et damna iuvant.* Damna quaestui sunt: eodem sensu verbum iuvare sumitur lib. III, epigr. 37: *Irasci tantum felices nostis amici, Non belle facitis, sed iuvat hoc facere.* Ruina enim illius porticus, quamvis damnosa domino, fructui et utilitati est; nam eum docet se curae esse superis; hoc igitur voluptatis lucrum nollet permutare porticu stante et incolumi. Vid. epigr. 83 infra. — *Sunt ipsa pericula tanti.* Haec pericula vel magno pretio sunt subeunda, quae argumento nobis sunt deos esse clementes et iustos, viris bonis faventes.

12. *Probare.* Aequos et probos sus esse ostendere.

14. — DE ARRIA ET PAETO.

Casta suo gladium quum traderet Arria Paeto,
  Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
  Sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.

1. *Casta suo.* Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat: fuerat Paetus in eius partibus; cui tandem mori coacto uxor Arria porrexit gladium, quo pectus suum perfoderat, addita hac voce immortali ac paene divina: *Paete, non dolet.* Sic fere Plinius iunior, lib. III, epist. 16. Vide Tacitum, Annal. XVI.

3. *Si qua fides.* Si quid mihi credis.

4. *Quod tu, etc.* Quia tu me ipsa mihi carior es, tua vulnera gravius quam mea sentio.

15. — LVDVS LEONIS CVM LEPORE IN ARENA. *

Delicias, Caesar, lususque iocosque leonum
  Vidimus: hoc etiam praestat arena tibi;
Quum prensus blando toties a dente rediret,
  Et per aperta vagus curreret ora lepus.
Vnde potest avidus captae leo parcere praedae?
  Sed tamen esse tuus dicitur; ergo potest.

* Hos leonum leporumque lusus usque ad satietatem tractat Martialis in hoc libro: iamque de hoc argumento, lector, epigramm. 7 vidisti; infra videbis epigramm. 23, 49, 52, 61 et 105: hanc luxuriantis ingenii fecunditatem ipse Martialis censuit excusandam, excusavitque in epigr. 45 et 46 ad Stellam missis: quae ad te ipsum missa puto, lector, et vide tu ipse, an excuses. Ed. P.

1. *Delicias leonum.* Leones se lusu delectantes. — *Lususque iocosque.* Quoniam ferae non caedebantur a leonibus.

3. *A dente rediret.* Hoc est, e leonis dentibus dimitteretur.

6. *Ergo potest.* Parcere nempe, quia refert clementiam tuam, o Caesar; vel quia tibi, ut deo, ferae ipsae obediunt.

16. — AD IVLIVM. *

O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales;
  Si quid longa fides, castaque iura valent:
Bis iam paene tibi consul trigesimus instat,
  Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris, videas quae posse negari;
  Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curaeque catenatique labores;
  Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
Haec utraque manu, complexuque adsere toto:
  Saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.

* Hoc epigrammate Martialis epicureum illud poëticis vestit coloribus praeceptum, ab Horatio saepe iactitatum, et quod ipse non semel recinit, scilicet: vivendum hodierno die, ne tibi desit crastinus; nam, ut ait Seneca, *dum differtur vita, transcurrit.* Ed. P.

1. *O mihi post, etc.* Transcriptus hic versus ab Ovid. IV, eleg. 4 Trist. *O mihi post nullos unquam memorande sodales.*

2. Aliae exhibent, *canaque iura.* — *Longa fides, etc.* Veteris et probatae amicitiae, per annos 34, fides.

3. *Bis iam.* Annuo consulatu annos numerabant Romani.

4. Solos enim dies computabat, quibus genio indulgebat.

5. Iunt. *quod posse negari.* — *Non bene, etc.* Non prudenter feceris differendo voluptates in futurum tempus, quod incertum est.

6. *Et solum hoc ducas*... nulla certa est voluptas, praeter eam quae praeteriit; futura enim morte praeripi potest.

7. *Catenatique labores.* Catenatos vocat labores, quod, quasi catena, alii aliis ligati sunt, ita ut unus alterum secum trahat, cohaerentem et connexum, aliusque ex alio assidue nascatur.

8. Alii legunt *remeant*, forte ex Horatiano illo: *Sic semel emissum volat irrevocabile verbum.* Sic gaudium semel omissum non remeat, sed volat fugitivum.

9. *Complexuque, etc.* Vindica, supinis manibus accipe, obviis ulnis amplectere. — *Adsere.* Ad formulam adserendi alludit. Veteres enim in libertatem quempiam vindicaturi, manu prendebant adserebantque, adiecta hac voce: *Hunc liberali causa manu adsero.* Rad.

10. *Sic quoque.* Etiamsi manum fortiter inieceris, saepe excidunt. Ed. P.

Sera nimis vita est crastina: vide hodie.

12. *Vive hodie.* Hoc est, voluptatibus fruere.

17. — AD AVITVM, DE SVIS EPIGRAMMATIS.

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura,
Quae legis hic: aliter non fit, Avite, liber.

2. *Non fit liber.* Non potest id non evenire in libro qui multa contineat: non possunt omnia esse optima.

18. — AD TITVM.

Cogit me Titus actitare causas,
Et dicit mihi saepe, Magna res est.
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

3. Alii hunc versum interrogatorie legunt, quasi dicat: Illane res magna est, quam quis ab aratro protractus exercere possit, e robusto colono strenuus rabula mox factus? Vide lib. V, 13, v. 10. — *Res magna est.* Domitius legit per interrogationem, hoc sensu: Estne res magna quam facit colonus? coloni enim agricultura derelicta fiebant causidici; quasi dicat Poëta: mihi non placet illud vitae genus, quod multi sequi possunt. Ramiresius vero mihi videtur melius sic explicare hunc locum: Colonus, dum colit agros, multam pecuniam congerit, nempe magnam rem facit, neque tamen improbus ille labor, licet fructuosus, mihi arridet. Itaque Titus frustra invitat nostrum Poëtam; mavult enim Musas colere, licet steriles, quam facere rem.

19. — AD TVCCAM.*

Quid te, Tucca, iuvat vetulo miscere Falerno

* Tuccam avarum reprehendit Martialis qui, quo minoribus convivas suos exciperet impensis, vinum pessimum cum optimo mixtum iis iubebat apponi; sicque Falernum quasi occidebat, quod, Nostri sententia, scelus capitale. Ed. P.

1. *Falerno.* Vinum erat optimum in Campania, Italiae regione.

In Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile est: scelus est iugulare Falernum,
Et dare Campano toxica saeva mero.
Convivae meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam pretiosa mori.

2. *In Vaticanis.* Vinum erat pessimum in agro Vaticano prope Romam natum. — *Musta.* Mustum est vinum recens e racemis expressum, atque ideo parum salubre, et male dulce.

5. *De nobis facile est.* Facile tibi venia daretur, sordide Tucca, si omnes convivas occideres; et quantum scelus et quam inexpiabile, occidere vinum, sublato eius calore animali, et sapore corrupto! Ed. P.

6. Pulmannus aliique legunt, *toxica vina cado.* — *Toxica.* Vaticana vappa, quod est quasi venenum. Toxicum autem a taxo venenosa arbore, vel a verbo τόξος, *arcus*; quia Barbari veneno tela lingunt.

8. *Amphora.* Proprie est mensura liquidorum octoginta libras Romanas continens, hic vero sumitur pro vase vinario.

20. — AD AELIAM.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes:
Exspuit una duos tussis, et una duos.
Iam secura potes totis tussire diebus;
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

2. *Expulit* codex Bodleianus.

21. — AD CAECILIANVM.

Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata,

1. *Dic mihi, etc.* Sub persona Caeciliani, inhumanum hospitem insectatur, qui non tam vocerat amicos ad convivium ut mensae indulgerent, quam ut optima quaeque vorantem spectarent, cibis vilioribus, potius obiectis quam appositis, non bene pasti; idem queritur Iuvenalis, sat. V, et Martialis ipse lib. II, epigr. 63, etc.

Solus boletos, Caeciliane, voras.
Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

2. *Boletos*. Optimi saporis fungos, quos auro atque argento praefert lib. XIII, epigr. 48.

3. Iuot. an. 1512 babet: *Quid dignum tanto ventrique gulaeque precabor?* et sic leguot Gruterus et Scriverius.

4. *Qualem Claudius*. Claudii uxor Agrippina, imperium filio suo Nerooi maturare eupiens, boletum veoeno infectum marito huius cibi avidissimo apposuit, quo exstinctus est. Iuven. sat. V: *Vilibus ancipites fungi ponentur amicis, Boletus domino; sed quales Claudius edit Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.* Hinc Nero fungum iocans appellabat cibum deorum, Claudio, ut mos erat Romanis coosecrato et inter deos numerato. — *Edas*. Scilicet moriaris, inhumane coovivator. Eo. P.

22. — DE PORSENA ET MVCIO SCAEVOLA.

Quum peteret regem decepta satellite dextra,
Ingessit sacris se peritura focis.
Sed tam saeva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptae fama est et gloria dextrae:
Si non errasset, fecerat illa minus.

1. *Satellite*. Scriba scilicet, quem cum rege sedentem pari fere ornatu, obtruncavit.

2. Alii *iniecit*. — *Sacris focis*; accenso ad sacrificium foculo.

3. *Saeva miracula*. Mirabilem viri generosi, at saevam et noxiam domino, fortitudinem. — *Pius*. Clementior erga Mucium, quam ipse Mucius erga se.

8. *Fecerat illa minus*, pro *fecisset* more loquendi graeco. Enim vero si regem occidisset Mucius, forsan qui supereraot, eum ulturi permansissent usque ad Vrbis expugnatiooem: effecit error, ut Porseoa, audita Mucii oratione, timuerit et abscesserit; ergo minus fecisset haec dextra, occidendo regem, quam erraodo et igoem deinceps patieoter tolerando. Vide lib. VIII, epigr. 30; et lib. X, epigr. 25, fictos Scaevolas in spectaculis exhibitos.

23. — DE LEONE ET LEPORE.

Quid non saeva fugis placidi, lepus, ora leonis?
  Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
  Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Praeda canum lepus est, vastos non implet hiatus:
  Non timeat Dacus Caesaris arma puer.

1. Alii *nunc saeva:* utraque lectio probari potest. Gronovio, ut et Dousae, *non saeva* vera lectio videtur; Grutero et Scriverio placet *nunc saeva*. Mira ἐνέργεια inest τῷ *nunc;* quasi dicat: Quid nunc timidus fugis ora leonis, qui nunquam alias timendi causam habes? non solet enim leo istius modi vilem praedam venari. Ita *nunc* cum emphasi interdum pronuntiandum. Conf. Spectac. epigr. 8, et Ovid. Trist. IV, 1, 93.

2. *Frangere*. Dilaniare.

3. *Servantur*. Leones unguium mucronem quadam cura servare testis est Plinius lib. VIII, cap. 15: « Mirum pardos, panthera, leones, et similia condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi, aversisque falculis currere, nec nisi appetendo protendere. *Magnis cervicibus*. Taurorum puta, cervorum, aprorum, etc. Vide epigr. 7, infra, et 15 supra.

5. *Vastos*. Leonum.

6. *Dacus puer*. Proprium est magnanimitatis hostibus exarmatis et imbellibus parcere: aquila contemnit muscas, leo lepores; Domitianus pueros Dacorum negligit, viros tantum, quibuscum pugnet, quaerit. — Dacia comprehendit hodie Transylvaniam, Moldaviam, et Walachiam. — *Caesaris*. Dacis bellum intulit Domitianus.

24. — AD COTTAM.

Invitas nullum, nisi cum quo, Cotta, lavaris,
  Et dant convivam balnea sola tibi.
Mirabar, quare nunquam me, Cotta, vocasses:
  Iam scio, me nudum displicuisse tibi.

1. *Invitas nullum*. Sub persona Cottae carpit effeminatos et molles homines, qui in balneis bene mutoniatos subnotabant, quos inde ad convivia, a conviviis vero ad lectum deducerent.

4. *Iam scio*. Quippe mutonis mensura tibi non placuit.

25. — AD DECIANVM.

Aspicis incomptis illum, Deciane, capillis,
Cuius et ipse times triste supercilium;
Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos?
Nolito fronti credere, nupsit heri.

2. *Et ipse*. Licet stoicus severissimus. — *Triste supercilium*. Vultus ac frontis austeritatem.

3. *Qui loquitur Curios*. Qui priscorum Romanorum mores duros et rigidam continentiam semper in ore habet, assiduus laudator. Ed. P. — Vel qui grandia et severa verba profert digna probis illis viris; sic Iuven. sat. 2: *Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.* — *Assertores*. Romam in libertatem asseruit Camillus.

4. *Nolito fronti*. Sic Iuven. ibid. *Fronti nulla fides*. — *Nupsit heri*. Muliebria passus est: *Inter Socraticos notissima fossa cinaedos*. Vel etiam vere nupsit, ut Nero Pythagorae cuidam, Sulp. II Histor. sacrae; ipsi Sporus, Sueton. cap. 28, Ner. Gracchus Cornicini, Iuv. sat. 2. Quin etiam eo dementiae cinaedi isti deveniebant, ut existimarent posse se concipere, et beneficia ac medicamenta ad id compararent Vid. Iuven. sat. 2, vers. 140; et lib. XII, epigr. 42, vs. 5 et 6: *Dos etiam dicta est; nondum tibi, Roma, videtur Hoc satis? exspectas numquid et ut pariat?*

26. — AD FAVSTINVM.

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus;
Quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri praetereantque senes.

1. *Ede tuos*. Hortatur Faustinum, ad quem multa sunt infra epigrammata, ut sua scripta publici tandem iuris faciat, praemiumque laborum, nominis celebritatem exspectet.

2. *Et cultum docto pectore*. Pectus sumitur pro ingenio.

3. *Cecropiae*. Cecrops, gente Aegyptius, migravit cum colonis in Atticam, Actaei regis affinitatem, et regni successionem virtute promeritus est; monstravit olivae usum, condidit arcem, et urbem Athenas. Pandion quoque regnavit Athenis. Heineccius, de Familiis.

4. *Nostri*. Latini; Poëta ergo intelligit opus Graecis et Latinis laudandum. — *Nec praetereant*. Omne laudis punctum illi tribuant. Metaphora a suffragiis quae in tabulas cereas referebantur per puncta: e quibus plurimorum censu magistratus *creari*; pauciorum, a populo *agitari*; nullorum, *praeteriri* candidatus dicebatur. Horat.

Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Teque piget curae praemia ferre tuae?
Post te victurae, per te quoque vivere chartae
Incipiant: cineri gloria sera venit.

ad Pisones: *Centuriae seniorum agitant*, etc. — *Senes*. Qui maturiores iudicii; vel alludit ad centurias seniorum, ut modo.

7. *Per te*. Te illas evulgante, quasi vitam accipiant.

8. *Cineri gloria*. His verbis hortatur Faustinum, ut vivens et sentiens sua fruatur fama et gloria. Quod ipse de se testatus est, epigr. 2 supra lib. V, epigr. 13, vs. 4; et lib. III, epigr. 95, v. 8.

27. — AD SEXTILIANVM.

Sextiliane, bibis quantum subsellia quinque
Solus: aqua toties ebrius esse potes.
Nec consessorum vicina numismata tantum,
Aera sed a cuneis ulteriora, petis.
Non haec Pelignis agitur vindemia praelis;

1. *Subsellia quinque*. Hoc est, quantum quinque equites qui subsellia in quatuordecim ordinibus occupabant. Est Synecdoche.

2. Musamber. legit cum interrogatione: *aqua toties ebrius esse potes?* — *Aqua toties*. Hyperbola ironica.

3. *Nec consessorum*. Nec tantum ad vinum nummos corrogas ab assidentibus in eodem gradu, sed et petis aera ab ulterioribus cuneis; id est, ab iis qui a fronte infra vel a tergo supra sedent. Sunt qui de missilibus intelligunt, quae illo bibo undequaque rapiebat. — *Numismata*. Non sportulas integras, quarum unaquaeque bis quina numismata continebat (epigr. 12 supra); sed summam aliquam reliquam, quae supererat Sextiliani vicinis, parce bibentibus, nec drcem consumentibus nummos.

4. Pro *petis*, Pulmannus legit *bibis*; alii, *a cunctis ulteriora petis*. — *Cuneis*. Ordines theatri, in quibus erant gradus spectatorum sive subsellia, vocabantur cunei, quia sensim augebantur, ab ima cavea ad summum thratrum crescendo; ut cuneus ab imo acumine in latum caput crescit.

5. *Non haec*. Viodemia illa, id est, vinum quod bibis, non est pressa Pelignis praelis: non bibis vinum deterioris notae, quale est Peligoum, vel Tusculanum, sed Opimianum, etc.... — *Pelignis*. Peligni sunt mediae Italiae populi, in Abrutio prope Vestinos: in eorum agro erat vinum pessimum, ut et in Tuscia. Ea rrgio nunc dicitur *Valva*. Sulmo, urbs Pelignorum, patria Ovidii.

Vva nec in Tuscis nascitur ista iugis:
Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,
Egerit et nigros Massica cella cados.
A caupone tibi faex Laletana petatur,
Si plus quam decies, Sextiliane, bibis.

7. *Opimi.* Lucio Opimio consule, anno ab Vrbe condita 633, ante I. C. 119, vini optimi felix et iogens Italia tota proventus fuit, quod in testas seu amphoras diffusum, in annos 200 duravit.

8. *Egerit.* Promit, profert. Iubes e cella tua afferri vinum Massicum, quod est ruboris paene fusci. — *Massica.* Massicus mons in Campania fuit, vini generosi ferax. Nunc est in ea parte Italiae quae vocatur *Terra di Lavoro*, in regno Neapolitano. *Monte Marsico* appellatur, inter Minturnas et Calenum.

9. Quidam legunt *Lacetana.* — *Faex Laletana.* Hoc est, vinum turbidum. Laletania est para Catalauniae, inter Gerundam et Tarraconem.

10. *Si plus quam.* Potores honesti et moderati non plures quam decem cyathos haurire consueverant. Vide Lipsium in suo convivio antiq. lib. III, ubi ait: *Decem cyathi summa potio sunto.* Si decimum transit Sextilianus, bibat vile vinum, ut quantitatem qualitate compenset.

28. — AD PROCILLVM, CONVIVAM NIMIS MEMOREM.

Hesterna tibi nocte dixeramus,
Quincunces, puto, post decem peractos,
Coenares hodie, Procille, mecum.
Tu factam tibi rem statim putasti,
Et non sobria vera subnotasti,
Exemplo nimium periculoso.

2. *Quincunces*, etc. Quinque cyathos contiuet quincunx; dividitur enim sextarius (ut As in duodecim uncias) in cyathos duodecim: 1 uncia, 2 sextans, 3 quadrans, 4 triens, 5 quincunx, 6 senus, 7 septunx, 8 bes, 9 dodrans, 10 dextans, 11 deunx, 12 sextarius. — *Peractos.* Exhaustos; itaque ebrius te per iocum invitaram, tu serio et sobrie accepisti.

4. *Rem factam.* Rem facere significat multum lucrari. Horat. *Isne tibi melius suadet, qui ut rem facias, rem Si possis recte, si non quocumque modo rem?*

5. *Subnotasti.* Lucro laetus, memoriae fideliter commisisti. Ed. P.

6. *Exemplo.* Esset enim nimis periculosum exemplum, si quae ab ebrio excidunt, essent notanda: et

Μισῶ μνήμονα συμπότην, Procille.

si per iocum dicta vel inter pocula, serio accipias, et sie convivae periculum crees. Hic tamen de promissionibus tantum vocationum iu coena factis loqui videtur. *Raderus*.

Μισῶ, etc. Odi, o Procille, memorem compotorem. Enim vero lepidam ab ebrio convivatore factam invitationem tam diligenter memoriae mandare, aliquid habet gulosi avidique hominis, semper quasi In excubiis stantis, si quam forte coenam arripere, et praetereuntem occupare possit. ED. P.

29. — DE ACERRA.

Hesterno foetere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

1. *Acerram*. Nomen est viri in hoc loco; alias thuribulum significat.

2. *In lucem*. Vsque in diem. Hesternum convivium noste inchoatum protrahit in auroram, Ideoque hodierno semper mero foetet, non tantum hesterno. Sic quasi excusando gravius accusat : qui totos dies potare Acerram credit, fallitur; potat etiam totas noctes bibo ille indefessus semperque recens.

30. — AD FIDENTINVM, PLAGIARIVM.

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo, quam recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua vis; haec eme, ne mea sint.

1. Est iocus in eumdem Fidentinum plagiarium, quem multis infra in locis pungit Noster.

31. — DE DIAVLO MEDICO.

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.

1. *Chirurgus*. Chirurgo qui vulneribus manu facit medicinam nobilior est clinicus (κλίνη, *lectus*) qui aegros visit, et eorum lectis assidet. Quum igitur e chirurgo fieri clinicus vellet Diaulus, nec ob ingenii tarditatem posset, vespillonis munus sumpsit, mortuos efferentis. — Sic circa lectos

Coepit, quo poterat, clinicus esse modo.

versatus est Diaulus, vaspillo, quum non possel versari medicus, at clinicus quodammodo factns est; κλίνη enim el lectum at faratrum significat. —*Vespillo*. Sic vocatus a varbo *vesper*, quoniam maiores sub noctam aepeliebantur. Vid. apigr 41 infra.

2. *Clinicus*. Clinici medici eranl dicti, ἀπὸ τῆς κλίνης· hoc ast, a lecto, quod aegrotos lacto iacantes viserent curarantque. Iocans Martialis ait ex chirurgo Diaulum esse factum clinicum, sed non potuisse aliter esse clinicum quam efferendo cadavera, ut indicet Diaulum factum asse vespillonem, qui efferret cadavara, et sic clinicus posset appellari; nam in κλίναις efferebantur mortui: ludit Noster in ambiguitata verbl.

32. — DE ENCOLPO, PVERO PVDENTIS.

Hos tibi, Phoebe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor:
Grata Pudens meriti tulerit quum praemia pili,
Quam primum longas, Phoebe, recide comas.
Dum nulla teneri sordent lanugine vultus,
Dumque decent fusae lactea colla iubae:
Vtque tuis longum, dominusque puerque fruatur
Muneribus, tonsum fac cito, sero virum.

1. *D'Orleans* legit *tortos*, quia calamistrati illi capilli et retorti. Aliquando putabam *tonsos* esse legendum, el sic tandam repario in margine lunt. me penes, hoc modo, *tõsos*. — *Hos tibi*... Encolpus puer servus et amasius Pudantis canturionis, voverat Phoebo crines, si dominus et amator eius ad primipilarem dignitatam avaharetur; cuius voti raus factus, abscidit comam lib. V, epigr. 69.—*Totos*. Hinc pueri mirum desidarium, at voti pretium extollit.

6. Sunt qui hoc loco legant, *fuscae lactea colla comae*.

7. Pro *fruatur* Pulmannus habet *fruantur*. Vtraque lectio probari potast.

8. *Tonsum*, *etc*. Compotem voti, ut Pudens fiat primus primae cohortis centurio. — *Sero virum*. Quo diutius amore eius fruatur dominus.

33. — AD SABIDIVM.

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare:
  Hoc tantum possum dicere, non amo te.

1. *Nec possum.* Vel quod tota Sabidii natura, vultus, mores, inter eum et Martialem quamdam crearent *antipathiam*: vel argutius; merito te odi, neque tamen per modestiam licet effari odii mei causam: vel propter oris tui impuri graveolentiam non sustineo apud te longiore uti sermone, hoc tantum dico; non amo te. Huius sensus fidem facit epigr. 47, lib. III; alioquin subtilius videtur.

34. — DE GELLIA.

Amissum non flet, quum sola est Gellia, patrem;
  Si quis adest, iussae prosiliunt lacrymae.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quaerit;
  Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

2. *Iussae.* Fletum iuxta ac risum semper paratum habet foemina. Iuven. sat. VI. *Vberibus semper lacrymis, semperque paratis In statione sua, atque exspectantibus illam Quo iubeat manare modo.*

3. Alii: *Non luget, quisquis.* — *Laudari.* Ob pietatem fictam.

35. — AD LESBIAM.

Incustoditis et apertis, Lesbia, semper
  Liminibus peccas, nec tua furta tegis:
Et plus spectator, quam te delectat adulter;
  Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.
At meretrix abigit testem veloque seraque;

1. *Incustoditis.* Sine ianitore. Solebant enim ianitores servi ad valvas stare. Ovid: lib. I Amorum, eleg. 6, dominae ianitorem multis versibus alloquitur. — *Et apertis.* Poterant fores non custodiri, et tamen esse clausae; sed utroque furorem Lesbiae expressit magis.

2. *Furta.* Furtiva Veneris gaudia.

5. *At meretrix.* Sic Ovid. Amor.

Raraque Summoeni fornice rima patet.
A Chione saltem, vel ab Helide disce pudorem:
Abscondunt spurcas et monumenta lupas.
Numquid dura tibi nimium censura videtur?
Deprendi veto te, Lesbia, non futui.

III, 13: *Ignoto meretrix corpus iuncura Quiriti Opposita populum summovet ante sera.* — *Veloque seraque.* Velo ex centonibus ianuae appenso, ne per forium rimas introspici possit.

6. *Summoeni.* Contr: pr. *Summoenii;* id est, lupanarium in Summoenio; namque illic habitabant meretrices, unde dicebantur uxores Summoenianae. *Farnab.* Aliis placet, ut ait ablativus adiective.

7. *A Chione vel Helide.* Notissima nempe erant illius temporia scorta.

7. Alii *haec monumenta.* — *Abscondunt.* Has meretrices bustuarias moechas appellat lib. III, epigr. 93, v. 15, quae scilicet extra urbem inter sepulchra mancipiis vilissimis prostituebantur.

10. *Deprendi vero,* Schrevelius ann. 1656 et 1671. — *Deprendi.* Hoc verbum solemne est de iis qui in aliquo crimine et re turpi inveniuntur. Gallice : *être pris sur le fait.*

36. — AD CORNELIVM.

Versus scribere me parum severos,
Nec quos praelegat in schola magister,
Corneli, quereris: sed hi libelli,
Tanquam coniugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere.
Quid si me iubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?
Quis Floralia vestit, et stolatum

2. *Praelegat.* Quum enim versus quidam sint obscoeni, non omnia epigrammata leguntur in schola.

6. Thalassio carmen erat solenne conviciis Fescenninis ioculariter plenum, quod in nuptiis, omni cum verborum lascivia, cani solebat. Eo. P. — Itaque ineptus videretur, qui Thalassionem verbis honestis celebrari iuberet : eodem modo ineptus est ille, qui vult epigrammata scribi verbis non lascivis; epigrammata enim amant verba lasciva, aperta, et dominantia.

7. *Non Thalassionis.* Non Thalassioni convenientibus.

8. *Quis Floralia, etc.* Si quis poscat, ut in Floralibus non nudae agant

Permittit meretricibus pudorem?
Lex haec carminibus data est iocosis;
Ne possint, nisi pruriant, iuvare.
Quare deposita severitate,
Parcas lusibus et iocis, rogamus:
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

meretriculae; si quis in togatis meretricibus requirat pudorem matronarum, quarum propria est stola; aut si quis stola matronali tegi velit meretrices; desideret idem in epigrammatis verecundiam, quod utique absurdum aeque erit. — *Stolatum pudorem.* Id est stolam, pudoris indicem, quae vestis erat matronarum, et qua uti vetabantur meretrices.

11. *Nec possunt* uterque Palat. et sic etiam legit *Ramirez de Prado.* — *Ne possint.* Vid. Catul. epigr. 16.

14. *Castrare.* Patulautiam, verba lasciva et libidinosa tollere.

15. *Gallo turpius, etc.* Galli, sacerdotes matris deorum, erant omnes castrati. Priapus hortorum praeses praegrandi pene (ut Veneris filium decet) conspiciendus. Vt itaque minime deceret Priapum (cuius sola admiratio in hac parte) castrari, ita nec epigrammata (quae lascivia et aculeo maxime placent) pruritu orbari.

37. — AD LVCANVM ET TVLLVM. *

Si, Lucane, tibi, vel si tibi, Tulle, darentur,
  Qualia Ledaei fata Lacones habent;
Nobilis haec esset pietatis rixa duobus,

* Nobile par fratrum, Lucanum et Tullum, laudat Martialis, ut Plinius iunior lib. VIII, epist. 38; et cum Castore ac Polluce confert. Lege epigr. 104, de Aquino et Fabricio infra.

1. *Si Lucane.* Si vobis, o Lucane et Tulle, fratres coniunctissimi, daretur eadem alternis vicibus vivendi et moriendi conditio quae Castori et Polluci data est, Ledae Lacedaemoniae filiis... Vid. lib. IX, epigr. 104.

2. *Fata Lacones, etc.* Pollux, quum immortalis esset, quia patrem habebat Iovem, ab eo petiit, ut Castor frater, qui mortalis erat (utpote qui ex Tyndăro patre, licet ex eadem matre natus), simili gauderet immortalitate. Quum recusaret Iupiter, saltem id exoravit Pollux, ut immortalitatem suam cum fratre communicaret, atque ita alternatim viverent ac morerentur. Fuit deinde uterque caelo adscriptus et inter eius constellationes collocatus.

Quod pro fratre mori vellet uterque prior.
Diceret, infernas et qui prior isset ad umbras,
Vive tuo, frater, tempore, vive meo.

4. *Vterque prior*. Prior mortuus est Lucanus; vid. lib. IX, epigr. 52. Eosdem fratres nominat quoque Martialis lib. III, epigr. 20, v. 17.

5. *Vive tuo*. Hoc est, in tenebris semper manebo, ut tu luce semper fruaris.

38. — AD BASSAM.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Bassa: bibis vitro: carius ergo cacas.

1. *Misero auro*. Quia stercori serviebat. Vid. lib. XI, epigr. 12; Plin. lib. XXXIII, cap. 12.

39. — AD FIDENTINVM.

Quem recitas, meus est, o Fidentine, libellus:
Sed male quum recitas, incipit esse tuus.

2. *Sed male*. Versus enim, licet boni, si male pronuntientur, mali videbuntur.

40. — DE DECIANO.

Si quis erit, raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famaque novit anus;
Si quis Cecropiae madidus Latiaeque Minervae

2. Aliae *famaque novit avos*. — *Quales*. Priscos illos propter amicitiam sincere cultam decantatos, Pirithoum et Theseum, Damona et Pythiam, Pyladem et Orestem, etc. — *Fama anus*. Id est, fama vetusta, diuturna, multis retro seculis celebrata.

3. *Cecropiae*. Atticae. Cecrops rex primus fuit Atheniensium. Minerva Attica pro Graecarum litterarum cognitione ponitur. Latia pro latina eruditione. Vid. epigr. 26 sup. — *Madidus*. Non leviter tinctus litteris, sed omnino imbutus.

Artibus, et vera simplicitate bonus;
Si quis erit recti custos, mirator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos;
Si quis erit magnae subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Decianus erit.

4. *Simplicitate*. Simplicitas ac bonitas summa olim hominis probi atque paene sola commendatio erat. Postquam vero hae virtutes aliorum malitiae, calliditati et fraudi expositae esse coeperunt, *bonos, simplices, minime malos*, εὐήθεις, χρηστοὺς, appellarunt homines parum cautos, et saepe stolidos. *Herald.*

6. *Arcano ore*. Nam qui clam deos precabantur, improba vota facere censebantur. In quos Persius invehitur, sat. II: *Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros Tollere de templis, et aperto vivere voto.*

41. — IN INVIDVM.

Qui ducis vultus, et non legis ista libenter,
Omnibus invideas, livide; nemo tibi.

1. *Qui rugas vultus* in marg. leguntur penes Edit. P. — *Ducis*. Rugis vultum contrahis.

2. *Nemo tibi*. Ille enim omnium miserrimus est, cui nemo invidet.

42. — IN CAECILIVM. *

Vrbanus tibi, Caecili, videris.
Non es, crede mihi. Quid ergo? verna es.
Hoc quod Transtiberinus ambulator,

* Hoc epigrammate, urbanitatem a scurrilitate secernit Martialis, Caecilium quemdam inducens, quem egregie urbanum se existimantem, illepidissimo cuique circulatori, rustice et male dicaciter iocanti comparat. Ed. Par.

1. *Vrbanus*. Egregie lepidus.

2. *Verna*. Servus nempe qui domi natus est ex ancilla, sumitur hic pro scurra impudenti et procaci. De vernularum importuna licentia at scurrilitate multa sunt apud Horatium, Senecamque, etc.

3. *Hoc quod*. Nempe hoc es, quod est ille, etc. Sequuntur exempla hominum scurriliter procacium, quales sunt abiectae conditionis homuncio-

Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis: quod otiosae
Vendit qui madidum cicer coronae:
Quod custos dominusque viperarum:
Quod viles pueri salariorum:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis coquus popinis:
Quod non optimus Vrbicus Poëta:

nes. — *Ambulator.* Mercator circumforaneus vias obambulans, vilissimas merces clamitando vendendas, et dictis quibusdam scurrilibus emptores aucupando. — *Transtiberinus ambulator.* In ea parte Vrbis, quae trans Tiberim erat, habitabant Iudaei, viliores personae, et caetera plebecula quae sordidissimis victitabat servitiis. Cic. XII Attic. 23. Olim apud Romanos Iudaei praecipue, circumeuntes per urbem, offerebant sulfurata, gallice *des allumettes*, ut pro illis vitrea fracta reciperent. Et hodie Romae multi ex eo genere sic vitam tolerant. De more autem veteri adducenda sunt testimonia Iuvenalis, cuius carmina continet sequens nota; et Nostri XII, epigr. 57, 14 Ed. P.

1. *Sulfurata* Gallice *allumettes*, quae vitreis fragmentis commutari solere docet etiam Iuvenalis, sat. V, 46: *Siccabis calicem nasorum quatuor ac iam Quassatum, et rupto poscentem sulfura vitro.* Et lib. X, epigr. 3, v. 3: *Quae sulfurato nolit empta ramento Vatiniorum proxeneta fractorum.*

5. *Otiosae.* Qui plebeculae feriatae, Circo scenaeque vacanti et duas res anxie optanti, Panem et Circenses, cicer maceratum venditat.

6. *Madidum cicer.* Hoc est, crudum et aqua maceratum, quo facilius coquatur.

7. *Quod custos.* Praestigiator qui collo et brachiis implicitas circumferebat viperas, quasi incantatas, ut innoxiae essent: vel adversus noxiarum ferarum morsus se medicamentis munierat sanaratve, ut theriacis et alexipharmacis quae venalia gestabat fidem faceret; eiusmodi vero homines dicteria scurrilia in quemvis iaciebant.

8. *Pueri.* Aut servi, aut filii; dicaces ut qui in tabernis negotiantur. — *Salariorum.* Salarii dicuntur qui salsamenta vendunt.

9. *Tomacula.* Farcimina quaedam quae nomen habent a frequenti incisione; nam τέμνω significat incido; ex porcorum abdomine, testiculis, et carnibus minute concisis fiebant.

11. *Non optimus Vrbicus.* Id est, Exodiorum et Attellanarum scriptor: erant autem hae Attellanae fabulae urbanissimis iocis refertae, quo risus excitaretur; et ideo auctores earum dicebantur Vrbici, quasi urbani. Poëta hoc loco non absolute dicit Caecilium assimilari Vrbico poëtae, sed non optimo; ut hodieque videmus apud nostrales aliqua exodia comoediarum urbanissima, et multi artificii; alia

Quod de Gadibus improbus magister:
Quod bucca est veteli loquax cinaedi.
Quare desine iam tibi videri,
Quod soli tibi, Caecili, videris:
Qui Galbam salibus tuis, et ipsum
Possis vincere Sextium Caballum.
Non cuicumque datum est habere nasum.
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille, sed caballus.

vero insulsa et ineptissima. Sic Ramiresius. — *Vrbicus poëta*. Intelligit histrionum quoddam genus et poëtarum, qui versus pessimos popello decantant in triviis, atque ita captant vulgi aures, quaestus gratia. Quibus tamen, quum inter multa illepide dicta excidant quaedam dicta facete, non optimo eorum comparandus est Caecilius, qui nihil urbani habet. Ed. P.

12. *Ramires de Prado* malit *improbis*, ut lib. V, epigr. 79; Iuv. sat. II, 162. — *Quod de Gadibus*. Gades urbs et insula est in extrema Hispania, ad meridiem, ad freti Gaditani angustias, *Cadix*. Hic parum pudicae quaedam saltationes vigebant ac docebantur a magistris in varias regiones inde prodeuntibus.

13. Alii legunt *dicax cinaedi*. — *Vetuli*. Si ad profligatissimam cinaedorum impudentiam, eamdemque loquacissimam accedit senectus, aetas loquacissima, fit importunissima garrulitas.

15. *D'Orleans* legit *Gabam*.—*Galbam*. Stolidus ille Caecilius Galbam et Sextium Caballum a se superari posse existimabat. Fuit Galba Caesaris Augusti scurra, qui in Maecenatis gratiam doctus erat vigilanti stertere naso. Iuv. sat. V, v. 4. Fuit quoque Sextius Caballus scurra insignis, qui sub Vespasiano eiusque filiis floruit; Raderus tamen Sestium Gallum vere dici putat, de quo Suetonius cap. 42 Tiberii.

18. *Habere nasum*. Hoc est, argute iocari: derisionis enim sedes est nasus, epigr. 4 supra.

20. *Sed caballus*. Non est Sextius Caballus, ille facetus et urbanus, sed caballus, quadrupes bellua, dimidia tantum nominis parte dignus.

43. — DE PORCIA VXORE BRVTI.

Coniugis audisset fatum quum Porcia Bruti,

1. *Porcia*. Filia Catonis Vticensis, uxor Bruti, qui pugnans contra Augustum occubuit in campis Philippicis in Thessalia; cuius morte audita, Porcia vitam finiit haustis carbonibus accensis.

Et subtracta sibi quaereret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas.
I nunc, et ferrum, turba molesta, nega!

3. *Negari*. Impediri. Catonis morituri celebratur illa vox: *an necesse paulisper spiritu represso aut capite ad parietem illiso emori licere?*

4. *Vos docuisse*. Quum se graviter Cato ferro vulnerasset, impeditus fuit ab amicis ne se omnino conficeret, passusque est ab iis vulnus obligari, ac somni cupiditate simulata, quum eosdem abire compulisset, solutis quibus obligatum erat vulnus vinculis, inserta per illud manu, viscera sibi et vitam avulsit.

44. — IN MANCINVM, AVARVM CONVIVATOREM.

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et positum est nobis nil here, praeter aprum:
Non quae de tardis servantur vitibus uvae,
Dulcibus aut certant quae melimela favis:
Non pyra, quae lenta pendent religata genista,
Aut imitata breves punica mala rosas.

2. *Here*. Vocabulum vetus pro *heri*: hesterna die.

3. *De tardis vitibus*. Propterea quod uvae in vitibus asservabantur fere usque ad putationem vitium. Lib. III, epigr. 58, v. 8: *Hic post novembres, imminente iam bruma, Seras putator horridus refert uvas*. Nam id erat proprium vitium putandarum tempus. Collige ex hoc versu famelicum hoc convivium hiberno tempore fuisse; nam enumerantur fructus qui servari solent. *Ramires*.

4. *Melimela*. Sunt poma quaedam exigua, quae a melleo sapore μελίμηλα (μέλι, *miel*; μῆλον, *pomme*) sunt vocata. Nonnulli ea putant esse poma quae gallice dicuntur. *Pommes de Paradis*.

5. Sunt qui pro *lenta* legant *longa*. — *Lenta*. Flexibili. — *Pendent*. In cella. — *Genista*, *Genêt*, fruticis genus molle et sequax, ut salix et spartum, unde fiunt nodi ac retinacula.

6. Gronovius ex optima membr. Thuan. legit *punica grana*, probante Heinsio ad Ovid. Met. X, 736. Punicum malum granatum est. — *Imitata breves*. Flos mali punici exiguae rosae similis est, inclusus primum cortice duriori, mox in calices sese aperiens.....etc.... Ergo non intelligas punica mala brevitate temporis imitari rosas, sed figura potius et colore. Sic

Rustica lactantes nec misit fiscina metas,
Nec de Picenis venit oliva cadis.
Nudus aper; sed et hic minimus, qualisque necari
A non armato pumilione potest.
Et nihil inde datum est; tantum spectavimus omnes.
Ponere aprum nobis sic et arena solet.
Ponatur tibi nullus aper post talia facta:
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

Ramiresius. Raderus autem, teate Plinio lib. XVI, cap. 44, arbitratur non aliam ob causam dictum punica mala imitari breves rosas, quam quod malum punicum sit brevis aevi in genere arborum, ut rosa florum. — *Rustica lactantes*, etc. Nec e calatho rustico, in quo servabantur aut formam accipiebant, extracti, in mensam allati fuere casei lacte stillantes, ad similitudinem metae circensis, id eat inversi turbinis seu pyramidis coagulati. Vid. lib. III, epigr. 58, v. 35. Ed. P.

8. *Picenis*. Ager Picenus est in Italia, ad oram maris Adriatici; hodie *la Marche d'Ancóne*. Ibi olivae nobilissimae.

9. *Nudus aper*. Sine aliis obsoniis.

10. *A non armato pumilione*. Quem homuncio nanus, etiam exarmatus, sua manu sola occidere posset. Ed. P.

11. *Inde*. Ex apro.

12. *Ponere aprum*. Hoc est, exhibere. Ponere significat etiam cibos apponere, unde lusus Poëtae.

14. *Sed tu ponaris*. Hoc est, apponaris, aut potius obiiciaris discerpendus ab eo apro, a quo dilaniatus fuit Charidemus quidam iussu Domitiani, de quo Suetonius in Domitiano: sic sordida tua poenas det avaritia.

45. — AD STELLAM.

Lascivos leporum cursus, lususque leonum,
Quod maior nobis charta, minorque gerit,
Et bis idem facimus: nimium si, Stella, videtur
Hoc tibi; bis leporem tu quoque pone mihi.

2. *Maior minorque*. Pro quacumque charta ponitur; vel intellige Martialem misisse Stellae longum epigr. 105, cum unn ex epigr. 7, 15, 23, 49, etc. quae omnia sunt brevia; inde dicitur charta maiorque minorque. — Martialem enim de eo argumento duo tantum epigr. composuisse, eo tempore quo epigr. praesens *ad Stellam* fecit, coniiciendum est ex his verbis *bis idem facimus*. Ed. P.

4. *Pone mihi*. Ad coenam vocato : quod mihi non erit iniucundum.

46. — DE LIBRO SVO.

Edita ne brevibus pereat mihi carta libellis,
  Dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

1. *Edita ne.* Ne membrana vacua et inutilis supersit, nullis scriptis carminibus (gallice : ne derelinquantur paginae *en blanc*), imitabor Homerum, qui saepius idem repetit, maxime vero τὸν δ' ἀπαμειβόμενος, quod Virgilius interpretatus, *Quem contra.* Ita ego saepius recurro ad leonem et leporem.

47. — AD HEDYLVM.

Quum dicis propero, fac si facis, Hedyle, languet
  Protinus, et cessat debilitata Venus.
Exspectare iube: velocius ibo retentus.
  Hedyle, si properas, dic mihi, ne properem.

1. *Fac si facis.* Formula elegans, et vox impatientiae adversus lentos in opere quocumque. Seneca de beneficiis lib. II, cap. 5 : *Inde illae voces quas ingenuus dolor exprimit : Fac si quid facis ; et , Nihil est tanti ; Male mihi iam neges ; ubi in taedium adductus animus incipit beneficium odisse , dum exspectat.* Gronov. — *Hedyle.* Ita scribendum bene docuerunt Gruterus et Scriverius. Est enim Ἡδύλος, quo nomine Poëta epigrammatum scriptor bis laudatur ab Athenaeo. Apud Martialem est mollis ac pathici nomen fictum, ut hic et lib. IX, epigr. 57. Idem. — *Hedyle, languet Protinus. Hedyle,* vel *Aedile ,* legendum vult P. S. non esse se stupidum, qui ad Veneris metam blandis verbis instigetur ; verum equum satis sua sponte currentem , nisi intempestive interpelletur. Gruterus, hic metamorphosin quamdam se gloriatur effecisse, non consulto Mercurio aut Venere, et ex foemina virum exhibuisse nobis, sed cinaedum ; nam *Aedylus* pro cinaedo taxatur lib. IV, epigr. 52.

3. *Velocius ibo retentus.* Ovidius, Met. III : *Sic ego torrentem , qua nil obstabat eunti, Lenius et modico strepitu decurrere vidi : At quacunque trabes obstructaque saxa tenebant, Spumeus et fervens et ab obice saevior ibat.* Gronovius.

48. — DE DIAVLO MEDICO.

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Quod vespillo facit, fecerat et medicus.

2. *Quod vespillo.* Hoc est, quum esset medicus nempe imperitus, efferebat aegrotos; hoc est, occidebat, ut nunc factus vespillo effert mortuos. Vid. epigr. 31 supra, et lib. VIII, ubi eadem fere sententia.

49. — DE LEONE ET LEPORE.

Rictibus his tauros non eripuere magistri,
Per quos praeda fugax itque reditque lepus:
Quodque magis mirum, velocior exit ab hoste,
Nec nihil a tanta nobilitate refert.
Tutior in sola non est quum currit arena,
Nec caveae tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morsus, lepus improbe, quaeris;
Ad quae confugias, ora leonis habes.

1. *Rictibus his.* Omnis custodum amphitheatralium conatus et industria non potuit tauros a leonum dente praestare tutos: tutus autem per se ipsum lepus, per rictus terribiles impune commeat et incolumis elabitur. Ed. P.

4. *Nobilitas* eleganter ponitur pro *leone nobili.* Contra *ignobiles ferae* dicuntur, quae non adeo generosae ac fortes. Curt. lib. III, cap. 8. — *Nec nihil.* Hoc est, aliquid: vires alacriores scil. atque animos accipit a leonis fortitudine. Alii legunt: *Quum nihil a tanta mobilitate refert*: nihil vulneris scilicet accipit in tanto cursu et recursu, ingressu et egressu. Minus bene. Vidi epigr. 7 sup. et multa alia.

5. *Sola arena.* In qua non sunt ferae.

6. *Caveae fide.* Cavea est locus in quo aluntur, continenturque ferae. Fidelis dicitur quia eas custodit, tutasque praebet.

7. *Improbe.* Lascive, ludibunde.

50. — LICINIANVM IN HISPANIAM PROFICISCENTEM AD VITAM RVSTICAM ET GENIALEM HORTATVR.

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostraeque laus Hispaniae,
Videbis altam, Liciniane, Bilbilim,
Aquis et armis nobilem,
Senemque Caunum nivibus, et fractis sacrum
Vadaveronem montibus;

1. *Celtiberis.* Celtiberi sunt Hispaniae Tarraconensis populi a Gallis circa Garumnam positis, qui Celtae vocabantur, oriundi, qui quum venissent ad Iberum Hispaniae flumen, ibique consedissent, addiderunt suo nomini nomen fluminis iuxta quod consederant; et Celtiberi sunt vocati. Nunc magna est pars Aragoniae et Castellae. — *Non tacende.* Clarissime, decus et columen Hispaniae. Vid. epigr 62 infra, v. 11.

3. *Altam Bilbilim.* Hispaniae Tarraconensis oppidum, Martialis et Liciniani patriam, cuius situs hodie ignoratur: pagum esse nunc apud *Catalayud* affirmat Ferrarius, nomine *Baubola*, seu *Bambola*. — Negat autem hispanus *Ramires de Prado*, quod *Catalayud* in piano sit, Bilbilis autem *alta* fuerit, id est, in monte sita. Vide de Liciniano, Plin. lib. IV, epist. 11; et de Bilbili, Plin. lib. XXXIX, cap. 14.

4. *Aquis et armis* non autem *equis* legendum censet *Ramires de Prado*, et intelligit Salonem infra v. 12. Vid. lib. IV, epigr. 55, et lib. XIV, epigr. 33. — *Aquis et armis.* Sic eum Ramiresio legimus, tum quod Bilbilitanorum equorum nulla usquam mentio; tum autem quod Salonis fluvii, qui Bilbilim alluit, aquae durando ferro ad cudenda arma nobilissimae; ut infra v. 12: *Salone, qui ferrum gelat.* Vid. quoque lib. IV, epigr. 55, et lib. XIV, epigr. 33. — Sane in itinerario Antonini fit mentio aquarum Bilbilitanarum quas inde patet fuisse inclytas aliqua dote; et Iustinus lib. XLIV, Bilbilim fluvium nominat, ferrum durantem, quem Barrerius in Salonem iuxta Bilbilim exonerari tradit; sed *Ramires* putat Iustinum Bilbilim appellasse Bilbilis fluvium, cuius nomen non curavit quaerere. — *Armis.* Bilbilitani caeteris Hispaniae populis praestabant in cudendis armis ferreis, in tingendis gladiis, et veterem adhuc famam retinere dicuntur.

5. *Senemque Caunum nivibus.* Albicantem nivibus induratis et senescentibus. Caunus est mons Aragoniae ad septemtrionem, versus Castellae veteris fines, prope Turiasonem urbem, sex leucis distans ab Ibero fluvio: nunc *Moncayo* dicitur. Caunum montem non procul a Bilbili tradit Mariana lib. I, cap. 3. Vid. Ferrarium, in suo lexico geographico. — *Et fractis sacrum.* Et montem Vadaveronem a reliquis montibus separatum; sacros esse montes putabant antiqui, ac multi cuipiam deo consecrati erant. Vocatur ista mons nunc *Vadavicor.* — Hieronymus Paulus lib. V de fluminibus

Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepidi innatabis lene Congedi vadum,
Mollesque Nympharum lacus;
Quibus remissum corpus astringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.
Praestabit illic ipsa figendas prope
Vobisca prandenti feras.
Aestus serenos aureo franges Tago,

et montibus Hispaniae: quidam, inquit, non temere montem Celtiberiae esse existimant ab aliis effractum et in insula positum quae nunc *Vadavicor* vocatur.

7. *Delicati*. Deliciis pleni, quippe quod arboribus, umbris et fontibus abundat. — *Botrodi*. Botrodus nemus Hispaniae Tarraconensis in Celtiberis ubi olim oppidum fuisse, nunc vicum apud Segobrigam urbem scribit Perottus ex Polyb. teste Ferrario.

8. *Pomona*. Dea hortorum et fructuum, a *pomis* dicta.

9. *Tepidi innatabis*. Natationi dabis operam in fluvio Congedo leniter fluente, ac solibus aestivis tepido. Vocatur hodie Congedus vel Cogedus, *Rio di Codes*, vel *Congedo*, et in Salonem, nunc *Xalon*, influit.

10. *Mollesque nympharum lacus*. Lacus enim Nymphis sacri: et Nympha quasi lympha. — *Molles* Non rapidi, sed leviter stagnantes; et omnis aqua mollis.

11. Iunt. et Colin. *astringes*. — *Remissum corpus*. Aquis enim Congedi, et lacubus Nympharum tepentibus corpus relaxatur, et pori aperiuntur. — *Astringas*. Etenim corporis meatus claudit aqua frigida; frigus omnia contrahit. — *Brevi Salone*. Id est, non profundo; fluvius est qui illabitur in Iberum, hodie *Xalon*. — *Brevi*, adverbium est, inquit Sipontinus, hoc est, statim.

12. *Qui ferrum gelat*. Vid. supra not. 4.

14. *Vobisca*. Sive, ut alii legunt, *Voberca*, *Voberta*. *Bobierca*, et *Bubierca* teste Varrerio, oppidum Hispaniae Tarraconensis, in finibus Celtiberorum ac regni Aragonii, inter Dilbilim ad boream 3, et Segontiam ad meridiem 13 leucis. Sic Ferrarius. Illic sane eiusdem nominis erat silva, in qua magna ferarum copia. — *Prandenti*. Hoc est, prandio accumbens venari poteris et ex mensa feras iaculis configere. Ed. P. — *Voberca prandenti feras*. Alii legunt *prendenti*, id est prendens venatione bestias, auctore Isidoro, Orig. X: *Quatuor sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, aleatores, prensores seu pressores*. Et ibi per prensores, seu pressores intelligunt qui agitant seu insequuntur feras. Virg. Georg. III, 413: *Ingentem clamore premes ad retia cervum*. Ed. P.

15. *Aestus serenos*. Calores aestivos, qui sereno caelo sunt maiores, mitigabis merso in aquis Tagi corpore, lectus et latens sub arboribus ad ri-

Obscurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit sitim,
Et Nemea, quae vincit nives.
At quum December canus, et bruma impotens
Aquilone rauco mugiet;
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuamque Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, et vernas apros,
Leporemque forti callidum rumpes equo:
Cervos relinques villico.
Vicina in ipsum sylva descendet focum
Infante cinctum sordido.
Vocabitur venator, et veniet tibi
Conviva clamatus prope:

pam consilis. — *Aureo franges Tago.* Tagus, *Tajo*, fluvius Hispaniae celeberrimus, oritur in Castella nova, et duabus infra Vlisipponem leucis Oceano miscetur; aureas arenas eum volvere omnes auctores et experientia nunc docet.

17. *Dircenna.* Fons Hispaniae gelidissimus, apud Bilbilim urbem, in Salonem fluvium labens.

18. *Et Nemea.* Sive Nutha; fons quoque gelidissimus.

19. *Canus.* Albus propter nives. — *Impotens.* Saeva praeter modum.

21. *Aprica.* Soli exposita. — *Tarraconis.* Est urbs clementi caelo subiecta, in ora Catalauniae, inter Barcinonem et Dertusam; nunc *Tarragone.*

22. *Tuamque Lacetaniam* in Palat. — *Laletaniam.* Laletani populi fuere Hispaniae Tarrac. inter Indigetes ad ortum et Cosetanos ad occasum, ubi nunc magna pars est Catalauniae, inter Gerundam et Tarraconem, et versus oram maris Mediterranei.

24. *Vernas apros.* Hoc est, illic natos.

25. *Rumpes.* Defatigabis ac tandem perimes.

26. *Cervos relinques.* Non comedendos, sed captandos: currendi celeritas, et difficultas capiendi mire delectant venatorem; utraque maior in leporina quam in cervina venatione.

27. *Descendet.* Quasi sponte sua ligna silvae focum agrestem instruent; facile domum portabuntur, quia in propinquo.

28. *Sordido.* Villici filio pannoso et squalidulo.

29. *Venabitur vocatus* legunt alii, i. e. conviva quem voles e viciniis. Vide lib. III, epigr. 58, v. 41. — *Venator.* Venationis tuae socius ad coenam invitabitur.

30. *Clamatus.* Non servo opus erit ad invitandum eum quem, ut pote vi-

Lunata nusquam pellis, et nusquam toga,
Olidaeque vestes murice:
Procul horridus Liburnus, et querulus cliens,
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus somnum reus:
Sed mane totum dormies.
Mercetur alius grande et insanum sophos:
Miserere tu felicium;

cinum, ipse voce tua poteris e propinquo appellare in coenam.

31. *Lunata nusquam pellis.* Id est, non aderunt nobiles Romani, quibus moris erat Lunae formam in calceis gestare ut significarent se ab Evandro genus suum repetere qui ipse a Luna ortum se dicebat; vel non aderunt nobiles, quibus in calceis lunulae formam gestare moris erat, litteram scilicet C, notam centenarii numeri patriciorum a Romulo institutorum. Vide et coniecturas Plutarch. Probl. 76. — *Nusquam toga.* Non togati anteambulones, clientes et caeteri sportularum salutationumque asseclae lib. X, epigr. 47, vers. 4; et epigr. 51.

32. *Olidaeque.* Hoc est, viri purpura induti: teter quippe odor proveniebat ex lotio quo temperabatur purpura. — Murex est pisciculus e cuius succo vel sanguine fit purpura.

33. *Procul horridus Liburnus.* Romae Liburni (species hominum ingenti statura, et robusto corpore insignita) ut sarcinatores, lecticarii, uno verbo quando viribus opus erat adhibebantur. Exinde in omnibus vicis, viisque urbis obvii fiebant, et hoc est quod Nostro grave videtur propter foeditatem habitus vultusque huius gentis, et propterea vitae rusticae, ubi hi Liburni non inveniuntur, delicias celebrat. Sic Iuvenalis III, 240: *vehetur Dives, Et ingenti curret super ora Liburno.* Cf. Ruperti hic, et Boettigeri *Sabina*, vers. gall. p. 375. Ed. P. — *Querulus cliens.* Frequentibus querelis patrono molestus, et saepius ab eo cibos, vestes, praesidium, etc. efflagitans.

34. *Imperia viduarum.* Viduae divites et orbae colebantur ab haeredipetis qui multas ab iis molestias devorare cogebantur. — Vel intellige viduas, mortuis viris omnia in familia administrantes, clientibus et libertis, etc. imperantes. — Arrogantius autem imperant feminae quam viri, ut ait Iuvenal. *Intolerabilius nihil est quam femina dives.* Ed. P.

35. *Rumpet*, qui tua sub galli cantum ostia pulsat. — *Pallidus*, anxius, caussaeque suae metuens.

37. In nonnullis vett. *sophōs.* — *Grande sophos.* Σοφῶς sapienter: frequentissima erat acclamatio eorum, qui recitantis scripta laudabant: *insanum sophos* vocat quod insanus homo ab insana plebe exspectabat.

38. *Miserere tu felicium.* Alii has acclamationes et plausum popularem magno pretio laboreque aucupentur: tu felices illos, revera miserrimos, et forensibus negotiis aeternum impli-

Veroque fruere non superbus gaudio,
  Dum Sura laudatur tuus.
Non impudenter vita, quod reliquum est, petit;
  Quum fama, quod satis est, habet.

citos existima dignos commiseratione, Ed. P.

39. *Veroque fruere.* Verum gaudium appellat Martialis vitam genialem, a labore atque ab omni cura immunem. — *Non superbus.* Non ambitiosus, non levis populi aura inflatus.

40. *Dum Sura laudatur tuus.* Hunc Suram suorum versuum laudatorem, et in Aventino monte ad Dianae templum habitantem nominat lib. VI, epigr. 54, v. 13; cuius quidem, causarum patroni, et Romae in foro versati, fit mentio apud Aelium Spart. in Hadriano.

41. Alii pro *petit* legunt *perit.* — *Non impudenter.* Iure merito otium partes sibi vindicat, quum fama suas implevit; atque ita laudat Licinianum, qui famam adeptus sibi iam vacare debebat, non ignavus et segnis iudicandus.

51. — IOCVS EX HOMERO IN COCVM.

Si tibi Mistyllus cocus, Aemiliane, vocatur:
  Dicetur quare non Taratalla mihi?

1. *Si tibi Mistyllus.* Iocus est in Aemilianum, qui Mistyllum vocaverat cocum, non alia forte de causa quam quod apud Homerum legerat μίστυλλόν τ' ἄρα τἆλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν; *secabant sane et alia* (*ferula*) *in frusta, et verubus figebant;* nec erat potior ratio cur primum carminis verbum usurpasset, quam sequentia, quae sunt τ' ἄρα τἆλλα. Attamen Aemilianus videtur fuisse argutus homo, qui quoties vocabat cocum suum, *Mistylle,* utebatur voce imperante verbi μιστύλλω, hoc est, seco, quo facetus esset iocus, ut quoties vocaret cocum, imperaret etiam ut scinderet opsonia. Similis est iocus apud Patronium. *Vides,* inquit, *illum qui opsonium carpit? Carpus vocatur, itaque quotiescumque Trimalcio dicit Carpe, eodem verbo et vocat et imperat,* quod faciebat et Aemilianus.

52. — AD LEPOREM.

Non facit ad saevos cervix, nisi prima, leones.

1. *Non facit.* Non convenit leoni nisi caput taurorum, aprorum, etc. Vid. epigr. 23 supra. — *Prima.* Id est, primarum et nobilium ferarum.

Quid fugis hos dentes, ambitiose lepus!
Scilicet a magnis ad te descendere tauris,
Et, quae non cernunt, frangere colla velint?
Desperanda tibi est ingentis gloria fati:
Non potes hoc tenuis praeda sub hoste mori.

2. *Ambitiose.* Qui ambis gloriam pereundi a leone. Sic vulpes leoni, apud Fontanium lib. VII, tab. 41

Vous leur fites, seigneur,
En les croquant, beaucoup d'honneur.

Ed. P.

4. *Non cernunt.* Propter exiguitatem.

5. *Ingentis fati.* Hoc est, mortis: vinci quippe a fortibus nonnulla laus est. Sic Ovid. lib. V Metamorph. 191: *Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras, a tanto cecidisse viro.*

53. — QVINTIANVM FACIT ASSERTOREM.*

Commendo tibi, Quintiane, nostros:
Nostros dicere si tamen libellos
Possim, quos recitat tuus Poëta:
Si de servitio gravi queruntur,
Assertor venias, satisque praestes,

* Artificiosum epigramma est, et totum allegoricum; nam persistit ab initio ad finem in metaphora desumpta ab assertione et vindicta libertatis; rogatque Quintianum, ut plagiarium poëtam absque dubio Fidentinum, plagii reum faciat, quod versus Martialis liberos iam et a domino manumissos compingat in servitutem.

2. *Nostros dicere si tamen libellos Possim, quos recitat tuus Poëta.* Haec correctio non eo pertinet quo putat Raderus, quod subrepta iure quidem nostra sint, re autem et usu, furis; sed ad malam Fidentini recitationem, qua bonos et pulchros Martialis versus, ita male legendo deformaret, ut vix idem auctor suos agnosceret, ut dictum est supra epigr. 39: *Sed male quum recitas, incipit esse tuus.*

3. *Tuus.* Id est, quasi tibi servus, seu familiaris.

4. *Si de servitio, etc.* Si mei libelli queruntur se in servitutem redigi a Fidentino, quum sint liberi, tu eos defende, esse liberos assere, ac vindica; immo da praedes quibus illis cautum sit.

5. *Assertor venias.* Notum est servum non posse de liberali causa agere sine assertore; et quemvis assertorem esse posse, qui in libertatis favorem si semel causa cecidisset, iterum ac tertio poterat de eadem agere (L. I, C. de assertore tollendo). Et hae actiones *assertiones perfusoriae* vocaban-

Et, quum se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manuque missos.
Hoc si terque quaterque clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

tur, auctore Iac. Cuiacio, ad L. XIII, *de excusationibus*. Assertionem secundam appellat secundam actionem in causa liberali, ad quam prima ut praeiudicium adsumitur. Et quum hae assertiones ter quaterve fierent, ideo dixit: *Hoc si terque quaterque clamitaris*.

7. *Dicas esse meos*. Hic formulam litis vindiciarum lepide insinuat Noster. In antiquo enim iure Romano, rei vindicatio nonnisi praesenti re fieri poterat. Sic quum de servo ageretur in liberali causa, actor, seu qui se dominum esse praedicabat, coram praetore, festucam tenebat, deinde hominem apprehendebat, et ita dicebat: HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO SECVNDVM SVAM CAVSAM, SICVT DIXI, ECCE TIBI VINDICTAM IMPOSVI; et *simul* homini festucam imponebat. Adversarius vero seu assertor libertatis dicebat contra hunc hominem esse sui iuris, seu quia se ingenuum profitebatur, seu quia manumissus fuerat a domino, et deinde festucam identidem homini imponebat. Tunc praetor seu ipse de causa cognoscebat, seu potius iudicem constituebat qui de facto cognosceret. Cf. GAI. Comm. IV, § 16 et sqq. ED. P. — *Manuque missos*. Eamdem allegoriam hominis liberi, qui iniuste detinetur in servitute, persequitur hoc sensu: Versus meos manumisi, id est, edidi in lucem: nec plagiarius debet eos detinere, tanquam sui essent.

9. *Plagiario*. In iure romano Plagiarius vocabatur is qui servos seu mancipia aliena sollicitat, celat, supprimit, L. LII, § 12, D. *de furtis*. Plagiarius quoque habetur, qui liberum hominem sciens dolo malo vendit, emit, donat, celat, in vinculis habet. De his criminibus, qui generali nomine plagium vocantur, lata fuit LEX FABIA *de plagiariis*, incerto Vrbis anno. Haec sancivit, ut humiliores de hoc crimine convicti, aut in metallum damnarentur, aut in crucem tollerentur, et honestiores, adempta dimidia parte bonorum, in perpetuum relegarentur. Conf. Paul. Sent. Recep. V, 30 (B). ED. P. — *Impones*. Acclamatione tua plagiarius Poëta pudore victus cedet, et versus a me manumissos sinet ea libertate frui, qua illos curavi donandos. ED. P.

54. — AD FIDENTINVM, PLAGIARIVM. *

Vna est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura;
Quae tua traducit manifesto carmina furto.
Sic interpositus villo contaminat uncto
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus:

* Eumdem Fidentinum, quem iam (epigr. 39 et 43 supra) perstrinxit, nunc et insectatur; qui subreptis Nostri carminibus quaedam addebat de suo, furti, ut putabat, dissimulator, sed re vera proditor et index, quum deridendi eius versus non manifestius secernendi paterent inter caeteros Martialis, quam corvus inter cycnos, inter togas violaceas vestis gallica, testa fictilis crystallina inter vasa, et pica inter luscinias. Vid. lib. X, epigr. 100. Ed. P.

1. *Tua*. Est pagina a te composita inter meos epigrammaton libellos, quos recitas ut tuos.

2. *Signata*. Sed illa pagina, celandi furti causa interposita, tam inepte et illepide scripta est, ut quem habeat auctorem declaret signetque evidenter. Ed. P.

3. Turnebus, Advers. lib. 13, cap. 24 legendum esse censet *crimina*. — *Traducit*. Trans urbem aut per arenam ducebantur sontes, ut essent omnibus spectaculo et ludibrio. Inde verbum *traduco* saepe sumitur pro *irrideo, ridendum propino, palam accuso*. — *Manifesto carmina furto*. Furtum apud Romanos duplex erat, manifestum et non manifestum. Manifestum dicebant illud esse quod dum fit deprehenditur, vel quod eo loco deprehenditur ubi fit, vel etiam donec perferret eo quo fur destinasset, vel denique quando eam rem fur tenens visus fuerit. Huic sententiae, quae tamen postea non obtinuit, alludit Noster quum dicit Fidentinum furto manifesto reum esse, quia epigrammata Martialis tanquam sua publice recitaverat et inde rem furtivam tenens visus fuerat. Non manifestum furtum erat, quum sic fur non deprehenderetur. Poena furti manifesti ex lege XII Tabularum capitalis erat; nec manifesti poena dupli. Cf. Gai. Comm. III, § 184. Ed. P.

4. Vnguine splendorem *villo* conciliabant, atque ita Tyrianthina adulterata venditabant. — *Villo contaminat uncto*. Bardocucullus erat vestis Gallica crassioris fili, villis sordida longis atque oleo unctis. Bardi, Gallorum cantores et poëtae, hac veste utebantur: habebat illa quoddam capitis tegmen qui cucullus a forma vocabatur, nam proprie cucullus est papyraceum involucrum, quo pigmentarii utontur. Vt igitur sui villi uncti sordibus inquinare potuisset romanas togas vestis illa, sic sordebant versus Fidentini inter versus Martialis.

5. *Vrbicus*. Romana. — *Lingonicus*. Lingones sunt Galliae populi. Vid. lib. XIV, epigr. 128. — *Tyranthina*. Vestes erant violaceae, quarum color e

Sic Aretinae violant crystallina testae:
Sic niger, in ripis errat quum forte Caystri,
Inter Ledaeos ridetur corvus olores:
Sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,
Improba Cecropias offendit pica querelas.
Indice non opus est nostris, nec vindice libris:
Stat contra, dicitque tibi tua pagina, Fur es.

purpura et viola factus (τύριος, Tyrius; ἴον, viola; ἄνθος, flos).

7. *Caystri*. Cayster fluvius Ioniae, ex Phrygia magna oriens, ac inter Ephesum et Colophonem in mare decurrens: illic magna olorum copia. Nunc vocatur *Chiay*.

8. *Ledaeos olores*. Quoniam Iupiter sub forma cycni Ledam compressit.

9. *Fervet Atthide*. Attica, subaudi *alite*, significatur Philomela, Pandionis regis Atheniensium filia: Cecropia dicitur, id est Atheniensis, e Cecrope, rege primo Atheniensium. Eius cantus querelae appellantur, quia videtur adhuc queri de iniuria sibi a Tereo rege illata. Ovidius, Met. VI, 412.

10. Alii legunt *effundit*. Nostram lectionem optime restituit Scriverius; sed Gruterus mallet *offundit*. — *Offendit*. Moleste interstrepit.

11. *Indice*. Hoc est, accusatore; tui enim versus meis coniuncti indicant te furem. *Index* dicitur qui crimen aliquod indicat. — *Nec vindice*, qui eos asseret in libertatem. Vid. praecedens epigramma.

12. *Stat contra*. Metaphora desumpta a subselliis iudiciorum ubi patroni adversi sedebant, accusator contra defensorem; et quando dicebat accusator stabat: stare igitur contra, est surrexisse accusatorem vel defensorem ad dicendum. Sic Ramiresius, ex Ciceronis oratione pro Sexto Roscio Amer. — *Fur es*; plagiarius scilicet.

55. — AD FVSCVM.

Si quid, Fusce, vacas adhuc amari,
Nam sunt hinc tibi, sunt et hinc amici;
Vnum, si superest, locum rogamus;
Nec me, quod tibi sum novus, recuses:

1. *Si quid, Fusce, etc.* Hoc est, Si novo amico locus sit apud te. Fuit Cornelius Fuscus praefectus cohortium praetorianarum, sub Domitiano, magnae apud principem auctoritatis.

Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantum inspice, qui novus paratur,
An possit fieri vetus sodalis.

5. *Omnes hoc.* Quia scilicet novi fuerunt, ut ego, eo tempore quo primum eos in familiaritatem tuam recepisti. Ed. P.

56. — AD FRONTONEM, DE VOTO VITAE SVAE.

Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiae, Fronto, togaeque decus,
Hoc petit, esse sui, nec magni, ruris arator;
Sordidaque in parvis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus Ave,
Cui licet exuviis nemoris rurisque beati
Ante focum plenas explicuisse plagas?

2. *Fronto.* Fuit hic Fronto, iuxta Raderi coniecturam, cum Traiano postea imperatore consul, in cuius consulatu periit Domitianus: vir quum multis rebus praeclare gestis, tum singulari in eruditos et literatos amore clarus, cuius meminit Iuven. Sat. I, v. 15.

4. Barthius legit *Sobriaque.* — *Sordidaque.* Sine cultu et venustate urbana; sic Virgilius, eclog. II, 29: *O tantum libeat mecum tibi sordida rura, Atque humiles habitare casas, et figere cervos!*

5. *Quisquam picta.* Sensus est: nemo, cui obtigit modicus fundus, in quo possit praeda a se venando capta genialiter vivere, dummodo mente sana sit, velit superbas divitum colere fores, salutator matutinus. Ed. P. *Picta frigora.* Per metalepsim pro *atria divitum* ad frigiditatem incrustata marmore Laconico, natura quidem variegato, sed et arte insuper picto, teste Plin. lib. XXXV, cap. 1. In his clientes mane ambulabant, expectantes intromitti salutatum, et deducere amicum magnum anteambulones. — *Spartani saxi.* Marmor nobile quod instar herbarum virebat, ut clarum ex aliquot Statii locis.

6. *Et matutinum.* Ironice dictum de communibus istis amicis, ab alio ad alium quotidie verbum *Ave* transferentibus, et patronos osculando vexantibus. Ed. P.

8. *Explicuisse plagas.* Evacuare ante focum casses et retia, praedis plena.

Et piscem tremula salientem ducere seta,
  Flavaque de rubro promere mella cado?
Pinguis inaequales onerat cui villica mensas,
  Et sua non emptus praeparat ova cinis?
Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto:
  Vivat et urbanis albus in officiis.

9. *Salientem.* Palpitantem. — *Seta.* Linea piscatoria quae saepe fit e setis equinis.

11. *Inaequales.* Tenuioris fortunae homines mensas inaequalibus quandoque pedibus fultas habebant. Ovid. Met. VIII, *Mensae sed erat pes tertius impar; Testa parem fecit.*

12. *Non emptus.* Id est, lignum ex proprio nemore desumptum. Ligna caro pretio emebantur Romae.

14. Pro *albus in officiis*, ed. Iunt. *emptus in off.* — *Albus*. Id est, toga alba indutus inter anteambulonum et niveorum Quiritum officia: aut cretatus et candidatus in comitiis. Sic Lipsius Elect. lib. I, cap. 13. Vel denique (vid lib. X, epigr. 12, v. 9) candida facie, nec fuscatus sole rustico.

57. — AD CAVPONEM.

Continuis vexata madet vindemia nimbis.
  Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum.

2. In edd. *Non potes, ut cuperes*, quod Musambertio magis placet. Vid. lib. IX, epigr. 99. — *Vt cupias.* Sensus est: Etiamsi cupias bonus et fidus esse, tamen nequis. Sic argute cauponum perfidiam notat Poëta, minime cupientium merum vendere, sed contra vino aquam admiscentium: quod a Romania transiit ad nostrae aetatis caupones vitium. Ed. P.

58. — AD FLACCVM.

Qualem, Flacce, velim quaeris, nolimve puellam?
  Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.
Illud quod medium est, atque inter utrumque probamus.
  Nec volo, quod cruciat; nec volo, quod satiat.

4. *Quod cruciat.* Difficilis enim morositas parit odium. — *Quod satiat.* Facilior copia fastidium parit.

59. — DE PVERI PRETIO.

Millia pro puero centum me mango poposcit:
  Risi ego; sed Phoebus protinus illa dedit.
Hoc dolet, et queritur de me mea mentula mecum,
  Laudaturque meam Phoebus in invidiam.
Sed sestertiolum donavit mentula Phoebo
  Bis decies: hoc da tu mihi, pluris emam.

1. *Millia centum* H. S. Nostrae monetae 781 libr. — *Mango.* Puerorum scilicet negotiator, quos in Venerem frangebat.

4. *Meam in invidiam.* Vsque adeo ut illi invideam.

5. *Sed sestertiolum.* Quippe Phoebus draucus rem fecerat mentula, iuxta sententiam Iuven. Sat. I, 40: *Vnciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem: Partes quisque suas ad mensuram inguinis haeres Accipiat.*

6. *Bis decies.* 15625 libr. nostrae monetae. — *Tu mihi.* Rursus hic fatetur Martialis, quod iam epigr. 24 supra dixit, non naturae largam liberalitatem se expertum: unde Cottae displicebat.

60. — AD FLACCVM DE SPORTVLA.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum:
  Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli:
  Tam male quum coenem, cur bene, Flacce, lavor?

1. *Dat Baiana.* Potentiores suis clientibus dabant sportulam, quae erat vimineus calathus, quo primum opsonia, postea vero pecunia data est; unde sportula frequenter pro cibo vel pecunia usurpatur. Noster autem Poëta forte Baias comes tunc ierat Flacci, a quo quum perexiguam sportellam accepisset, conqueritur. *Baiae*, vulgo *Baia*, oppidum Campaniae ad sinum Baianum inter Puteolos et Cumas. — *Quadrantes centum.* 25 asses. Quadrans erat quarta pars romani assis.

2. *Quid facit.* Exiguam sportulam centum quadrantum famem appellat, quia non satisbat esurientem. Lib. III, epigr. 7, v. 4.

3. *Redde Lupi.* Quum tam male coenet, male quoque lavari optat in balneis obscuris, qualis erant Lupi et Grylli, mercenariorum balneatorum. Vid. lib. II, epigr. 14, v. 12. Lupi balnea ventis infestabantur.

4. Beverlandi MS. *laver.* — *Tam male.* Nam male coenanti thermae vel suavissimae non placent. Vid, lib. III, epigr. 12, v. 3,

61. — DE LEPORE ET LEONE.

Intres ampla licet torvi lepus ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
Quod ruet in tergum, vel quos procumbet in armos,
Alta iuvencorum vulnera figet ubi?
Quid frustra nemorum dominum regemque fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera.

3. *Quod ruet.* Tu nullum habes prope tergum, nullos armos in quos ruat leo, praedas minores dedignatus. — *Armos.* Armi sunt in pecudibus, qui in hominibus humeri.

4. *Iuvencorum.* Iuvencis a se inferri solita.

6. Barthius legit, *Non nisi deiecta;* quod non improbant viri docti.

62. — AD LICINIANVM, SCRIPTORES VNDE.

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus,

1. *Syllabas.* Versus scilicet: syllabis constant pedes, quibus constant versus. Vel intellige versus hendecasyllabos, seu Phaleucos (sic appellatos a nomine eorum inventoris) quorum in Catullo magnus numerus. — *Docti vatis.* Catullus, quem vocat quoque doctum Tibullus lib. III, eleg. VII, natus est Veronae, anno ab Vrbe condita 667.

2. *Marone.* Virgilius natus est in vico, qui Andes vocabatur, non procul ab urbe Mantua, anno ab urbe condita 684.

3. Legitur etiam *Aponi*, quod verum putat Cagnerius. Aponus autem fons est praenobilis, unde tota regio Patavina illustrata est; in cuius laudem Claudian. et Cassiodor. plenis quasi velis sese effuderunt. — *Censetur.* Laudatur, aestimatur. Censeri dicebantur qui profitebantur apud censorem nomen suum, genus, tribum, liberos, maxime vero et rem familiarem, quae latina census dicitur. Equites censebantur quadringentis millibus HS. Proletarii capite censeri dicebantur, quia nihil praeter se ipsos in censum referebant. Quum igitur alicuius bona significare vellent Romani, dicebant: Hic censetur quadringentis, sexcentis, etc. hinc ortus est elegantissimus dicendi modus, *censeri pulchritudine, censeri virtute;* sic Apona censetur Livio, historicorum principe, qui sub Augusto et Tiberio

Stellaque, nec Flacco minus.
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus;
Nasone Peligni sonant.
Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent iocosae Canio suo Gades;
Emerita Deciano meo.
Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
Nec me tacebit Bilbilis.

floruit et ex cuius 142 libris, supersunt tantum 35. — *Apona.* Aponus, *Abano*, vicus cum fonte et balneis in agro Patavino, unde T. Livius ortus dicitur, a Patavio quinque mill. pass.

4. *Stella.* Huius opera non exstant. — *Flacco.* Qui scripsit octo libros Argonauticon, quos Vespasiano dedicavit.

6. Nonnulli legunt *gaudet imbrifer.* Ed. Iunt. penes edit. P. in margine habet: *Apollodore tibi papyrifer Nilus*; quae lectio forte reponenda, si aliquo bono codice confirmaretur. *Papyrifer Nilus, linifer Nilus, etc.* passim leguntur apud Poëtas; *imbrifer Nilus* nullibi, credo, nisi apud hodiernum Martialem. — *Apollodoro.* Nobili poëtae comico, Alexandrino, Menandri aemulo. — *Imbrifer Nilus.* Qui inundatione sua, vice imbrium, qui in Aegypto rari, fungitur in terra irriganda.

6. *Peligni.* Populi Italiae, ubi erat Sulmo, patria Ovidii, a quo commendatur, regio, nunc *Valva*. Ovid. de Ponto lib. IV, epist. 14, 49: *Gens mea Peligni, regione domestica Sulmo.*

7. *Duosque, etc.* Patrem rhetorem et declamatorem; filium philosophum et tragicum. — *Lucanum.* Senecae philosophi ex fratre nepos fuit; perire iussus a Nerone, cui propter aemulationem artis poëticae invisus erat, sibi venas incidit.

8. *Corduba.* Vrbs Hispaniae; hodie *Cordoue.*

9. *Iocosae Gades.* Hispaniae populi ad fretum Gaditanum, choreis et saltationibus mire dediti. Vulgo *Cadix.*

10. *Emerita.* Vrbs Lusitaniae, hodie *Merida.*

12. *Bilbilis.* Vrbs in Celtiberia, Martialis et Liciniani patria, de qua mentio incidit supra epigr. 50, v. 3. Videat lector quae ad hunc locum adnotavimus, et varias eruditorum de hac urbe sententias ibi inter se comparet, Eo. P.

63. — DE LAEVINA CASTA, ET AD BAIAS ADVLTERA.

Casta, nec antiquis cedens Laevina Sabinis,
  Et quamvis tetrico tristior ipsa viro,
Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,
  Et dum Baianis saepe fovetur aquis,
Incidit in flammas, iuvenemque secuta, relicto
  Coniuge, Penelope venit, abît Helene.

1. *Sabinis.* Quarum mores sancti et incorrupti erant. Iuven. sat. VI, v. 163: *Intactior omni Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.*

2. *Tetrico tristior.* Alienior a iocis et deliciis quam maritus ipse, severus homo et austerus.

3. *Lucrino, etc....* Id est, utitur publicis balneis in lacu Lucrino, Avernoque et Baiis. Lacus Lucrinus inter Puteolos et Baias, olim erat celebris, sed terrae motu, anno 1638, absorptus est, restat tantum lutosa palus, quae vocatur *mare morto.* — *Averno.* Avernus lacus, Cumis Baiisque proximus appellatur hodie *Lago d'Averno*, vel *di Tripergola.*

4. *Baianis.* « Quae diversorium vitiorum esse coeperunt. » Seneca, epist. 51.

5. *Incidit in flammas.* Per antithesim opponit thermarum aquis flammas amoris inhonesti.

6. *Penelope venit.* Id est, casta: *abiit Helene*, hoc est, adultera. Harum historia satis nota est.

64. — AD CELEREM.

Vt recitem tibi nostra rogas Epigrammata. Nolo.
  Non audire, Celer, sed recitare cupis.

2. *Sed recitare.* Inde occasionem arripere tuorum mutua vice recitandorum; vel mea carmina retinere memoris, aliis ut tua recitaturus. Prior sensus magis mihi placet. Ed. P.

65. — AD FABVLLAM SVI LAVDATRICEM.*

Bella es; novimus: et puella; verum est:
Et dives; quis enim potest negare?

* In hoc epigrammate Fabullam quamdam deridet venustate quidem et divitiis insignem, sed quas a natura vel fortuna acceperat dotes, se superbe laudando, obscurantem. Ed. Par.

2. Videtur Rutgersio scribendum: *Quis et id potest negare?*

Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec dives, neque bella, nec puella es.

3. *Sed dum te.* Modestis enim et verecundia commendantur puellae. Plinius Iunior lib. I, epist. 8: *Etenim si alienae quoque laudes parum aequis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut de suis disserentis.*

4. *Nec dives.* Idem Plinius ibid. *Quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit.* Ed. P.

66. — AD CAECILIANVM, DE GENERE ET DECLINATIONE FICVS.

Quum dixi *ficus*, rides quasi barbara verba,
Et dici *ficos*, Caeciliane, iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Caeciliane, tuos.

1. *Ficus.* Ficus, ûs, quartae declinationis, est fructus; *Ficus, i*, secundae autem, est morbus (Vid. lib. IV, epigr. 52; lib. VII, epigr. 71; lib. XII, epigr. 33). Igitur, ait Martialis, quum ego vocem hanc *ficus* (accus. plur.) posui in quarta declinatione, me rides, quasi loquar barbare parumve latine; visque dici *ficos*, quasi vox *ficus* (fructus) esset secundae declinationis: ego vero tibi respondeo, vocem illam *ficus*, quum significat fructum, recte dici in quarta declinatione; quum autem significat ulcus turpe quo laboras, esse secundae. Dicemus ergo, ficus arboreas, et tuos ficos.

4. *Ficos tuos.* Morbum seu vitium podicis, quandoque ex paedicatione ortum, quum intumescit caro, et instar ficus excrescit. — *Tuos.* Hoc morbo laborabat Caecilianus. Ed. P.

67. — AD FVREM DE LIBRO SVO.*

Erras, meorum fur avare librorum,

* Invehitur in plagiarium, carmina à Martiale edita ementem a bibliopola, et recitantem ut sua; eumque monet, ut emat ab ipso poëta versus nondum vulgatos, nec bibliopolae traditos, si sua furta velit non deprehendi. Ed. P.

1. *Fur avare.* Avarus est qui famam poëticam, pretii rem inaesti-

Fieri poëtam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constet, et tomus vilis.
Non sex paratur aut decem sophos nummis.
Secreta quaere carmina, et rudes curas,
Quas novit unus, scrinioque signatas
Custodit ipse virginis pater chartae,

mabilis, pretio contendit sibi vindicare vilissimo. En. P.

2. Gronovius legit: *posse qui putas tanto, Scriptura quanti constat.* — *Tanti .... Scriptura quanti.* Qui vis haberi poëta, emendo sex aut decem nummis unum exemplar meorum versuum, et ut tuum legendo. Ed. P.

3. *Scriptura.* Labor librarii transcribentis. — *Tomus.* A verbo τέμνω, *scindo:* id est, operis longioris, in partes secti, pars quaedam; quae quidem si in spiram involveretur, poterat aeque vocari tomus et volumen: sed contra non omne volumen erat tomus; sex enim Persii satyras in unum volumen redigas, non erit tomus, quia opus integrum. — *Vilis,* parvi pretii.

4. *Sophos.* Acclamatio erat eorum qui recitantibus applauderent. Vid. sup. epigr. 4, v. 7; et epigr. 50, v. 37. — *Nummis.* Sestertiis. Sestertius nummus valet asses Gallicae monetae duos; ita fuit appellatus quasi semistertius, quia valebat asses tres dempto semisse, sive duos et semissem. Exprimi solebat duabus L. L. cum S. nempe (duae *librae* sive asses et *semis*). Postea duae L. L. iunctae sunt, et facta est littera H, unde obtinuit usus ut illa nota, HS, sestertius significaretur. Sestertium, neutri generis, valet mille sestertios, masculini.

5. *Secreta.* In scrinio (quod ut vox *secretas* a verbo *secerno* venit) adhuc recondita. — *Rudes curas.* Carmina non edita. Rude est, quod nondum usu attritum est: metaphora ducitur a nummis, qui, recens cusi, apparent rudes et asperi, usu deteruntur ac laevigantur.

6. *Quas novit unus.* Hic incipit lepidam metaphoram a similitudine filiae virginis, nondum passae virum, et chartae virginis, nondum lectorem passae, ductam. Hanc solus auctor, illam solus pater novit; ut filia virgo abditur a parentibus, sic charta a poëta in scrinio; altera legentis manu, altera viri duro mento nondum trita est. Ed. P. — *Scrinioque signatas.* Romani, sicut antiquiores populi, exteriores codicum tabulas, loris, aliisque ligamentorum speciebus munire solebant ad constringenda volumina. Saepius tamen, uti illis mos erat fere in omnibus vitae negotiis, imo vilioribus, annulis signatoriis illos signabant, ita ut apud eos *signare libros* nihil aliud esset quam *claudere libros;* eo quod ubi epistolae codicillique signabantur, id indicium erat illos clausos esse, haud secus ac e contrario *resignare* aliquando generatim significavit *aperire, dissolvere.* Atque sic Horatius, Epist. I, 13, v. 2: *Augusto reddes signata volumina, Vinni.* Ed. P. — Scrinia erant plutei, armaria, loculi in quibus acta, libelli, commentarii, et literaria monumenta asservabantur, Plin. VII, 25. Ed. P.

7. *Virginis.* Iunius vult virginem

Quae trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest liber notus.
Sed pumicata fronte si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus, atque membrana,
Mercare: tales habeo; nec sciet quisquam.
Aliena quisquis recitat, et petit famam,
Non emere librum, sed silentium debet.

chartam esse, ex qua nultum transcriptum est exemplar; edita enim exemplaria quasi partus sunt codicis manu poëtae scripti. Ed. P.

8. *Quae trita duro*, etc. Sic Salmasius explicat hunc locum: Quum legerent chartarum volumina Romani, partem adhuc involutam mento subiiciebant, primorem vero partem subinde explicantes, ambabus tenebant manibus, legebantque: sic mento attrita, pilosa quadam lanugine horrebat charta, ut fit apud nos in libris vetulis saepe ac diu manu lectoris evolutis. — Potest quoque intelligi hic locus de basiis quae captat libellus.

10. *Sed pumicata fronte*. Libri olim radebantur, circumcidebantur, itemque pumice laevigabantur. Ante inventam circumcisionem (*la rognure*) libros fuisse *pumicatos*, hoc est pumice politos, testatur Isidorus, VI, 2. Pumex enim (*la pierre ponce*) erat lapis cavernosus quo corpora laevigabant Veteres, teste Ovidio I. de Arte Amandi: *Ne tua mordaci pumice crura teras.* Deinde in aliis etiam rebus ac cum primis in libris poliendis, pumices usurparunt, teste Plinio, XXXVI, 21. Speciatim frontes pumice poliebantur; quod testatur Ovidius, Trist. I, eleg. 1: *Nec fragili geminae poliantur pumice frontes, Hirsutus sparsis ut videare comis.* Conf. pereruditissima Ch. Gott. Schwarzii dissertatio II, *de ornamentis librorum*, p. 80, Lips. 1756, in-4. Ed. P.

11. *Nec umbilicis cultus* Id est, bacillis cedrinis vel buxeis super quos membranae involverentur: quibus in volumen complicatis, in medio utrimque apparebat lignum, et ideo dicebatur similitudine quadam *umbilicus*: et quum is non assueretur membranis, nisi et opere iam absoluto, hinc natum proverbium, *ad umbilicum perducere*, id est, *absolvere* librum. Vmbilicis autem affigi solebant capitula cornea, ossea, vel eburnea, ornatus causa, quae plerumque coloribus pingebantur et vocabantur cornua. Ita Ramiresius. — *Atque membrana.* Membrana bicolor a Persio dicitur, quia introrsum candida erat (qua parte scribebatur), extrorsum autem croceo vel purpureo colore imbuta.

12. Heraldus ex codd. scribendum putat: *Mercare tales; habeo; nec sciet quisquam.* Melissus, et postea Ant. de Rooy, conj. *Mercare tales adeo;* cuius meminit etiam Heraldus; *adeo* pro *propterea*, ut saepius; vel vim explendi habet. Pro *sciet* tamen idem Ant. malit *sciat*, h. e. cura quibuscumque potueris modis, ne quisquam resciscat. — *Tales habeo*, nondum editos, quos tu emas.

14. *Sed silentium.* Dare auctori ut sileat, permittatque te sua recitare pro tuis, non librum autem a bibliopola vulgatum emere.

68. — AD CHOERILVM.

Liber homo es nimium, dicis mihi, Choerile, semper.
  In te qui dicit, Choerile, liber homo est.

1. *Liber homo es nimium.* Id est, nimium dicacis animi, qui nemini parcis.

1. 2. *Ceryle* in Beverl. MS. *Liber homo est?* per interrogationem, in risum, placet Musambertio et Th. Marcilio.

2. *Liber homo est.* Hoc est, sine negotiis (gallice, *désœuvré*), qui tempus terit in salibus aspergendis super vile tuum et obscurum caput. Vid. epigr. 61, lib. V; et 62, lib. XII, Ed. P. — Vel sic intellige: Qui in te dicit, homo est liber, id est, ingenuus, cuius est libere dicere quae sentiat. Iocus est in ambiguitate vocabuli *liber*.

69. — DE RVFO.

Quicquid agit Rufus, nihil est nisi Naevia Rufo.
  Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Coenat, propinat, poscit, negat, innuit; una est
  Naevia: si non sit Naevia, mutus erit.
Scriberet hesterna patri quum luce salutem;
  Naevia lux, inquit, Naevia, lumen, ave.
Haec legit, et ridet demisso Naevia vultu.
  Naevia non una est: quid, vir inepte, furis?

1. *Ruffus*... et *Ruffo* in vett. nonn.

2. *Si tacet.* Insanum quippe suum erga Naeviam amorem gestu significabat.

3. Iuntina nostra in margine scriptum habet, *annuit: una est:* et hanc veram esse lectionem quovis pignore contenderem.

8. *Naevia non una est.* Ludit in ambiguitate verbi *una:* supra enim dixerat *una est Naevia*, id est, de Naevia sola loquitur Rufus; deinde ait, *non una est*, quia duplex est, uxor duorum: habebat enim adulterum cuius et uxor dicebatur; nam adulterium unius matrimonium vocabatur, ut ait Seneca de Beneficiis, lib. III, cap. 16: *Infrunita et antiquata est, quae nesciat matrimonium vocari unius adulterium.* Vide lib. III, epigr. 92.

8. *Furis.* Quasi castam insano prosequeris amore. Ed. P.

70. — AD MAXIMVM.

Coepit, Maxime, Pana quae solebat,
Nunc ostendere Canium, Terentos.

2. *Nunc ostendere Canium*. Pan et Satyri risu perpetuo lasciviunt: quum ergo ridentem Canium Poëtam deridere velit, ait, non ostendi amplius statuam Panos in Terento, ridentis habitu illic formatam; sed Canium, qui aeque rideret ac Pan. Lib. III, epigr. 20. Canius erat festivus poëta Gaditanus. — *Terentos*. Erat locus in campo Martio, ubi ara subterranea Ditis et Proserpinae, a Romanis antiquitus constituta, et alta humo sic occultata, ut paucis nota esset. Terentus autem est appellatus, quia terebat seu occultabat istam aram, vel quia Tiberinis aquis, ad cuius ripam erat, atterebatur.

71. — AD LIBRVM. *

Vade salutatum; pro me liber ire iuberis
Ad Proculi nitidos officiose lares.
Quaeris iter? dicam: vicinum Castora canae
Transibis Vestae, virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes Pallatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.
Nec te detineat miri radiata Colossi,

* Caio Iulio Proculo se excusat quod non ad eum salutandum mane veniat, mittendo librum, in quo scribendo ita fuit occupatus, ut salutatum ire non posset. Ed. P.

1. *Vade salutatum*. Martialis domus erat ad Pilam Tiburtinam, ut ipse testatur, in septima regione Vrbis, *Sed Tiburtinae sum proximus accola pilae*; Proculi vero domus erat in Palatio, regione decima, ad laevam templi deum Matris. Mediam viam hic describit Martialis.

2. *Officiose*. Haec salutatio togata, inter officiorum genera. — *Lares*, Dii sunt domestici qui in aedibus privatim colebantur, sumpti pro domo ipsa.

3. *Castora*. Templum Castoris et Pollucis, quod in foro erat. — *Canae Vestae*. Vesta vocatur Cana, quia Saturni, deorum antiquissimi, filia erat, et Cybeles. — *Virgineam*. Domum Vestalium.

5. *Clivo*. Monte Palatino.

6. *Aurea qua summi* marg. Iunl. ap. Edit. P. — *Imago*. Statua equestris Domitiani.

Quae Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyaei,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.
Protinus a laeva clari tibi fronte Penates,
Atriaque excelsae sunt adeunda domus.
Hanc pete; ne metuas fastus, limenque superbum:
Nulla magis toto ianua poste patet;
Nec propior quam Phoebus amat, doctaeque sorores.
Si dicet, Quare non tamen ipse venit?
Sic licet excuses, Quia qualiacumque leguntur

8. *Rhodium opus.* Colossum intellige, 60 cubitorum, inter septem orbis miracula recensitum. Sunt qui, ut hunc locum, sic libri Spectaculorum versum interpretentur de statua Domitiani, quam egregiis versibus descripsit Statius.

9. *Lyaei.* Ita vocatur Bacchus, a λύω, *solvo*, quia curas solvit.

10. *Tholus.* Camera aedificii, in fastigiatum acumen desinens, in qua trabes coëunt et conveniunt, ibidem scutum affixum a quo dona suspenduntur. Sumitur aliquando ea vox pro omni aedificio cuius fastigium est rotundum. — *Picto Corybante.* Erant Corybantes sacerdotes Cybeles: eorum multae imagines pictae cernebantur in eius templo. Dicti sunt a voce graeca κορύπτειν, quae significat caput saltando iactare, quia illi sacerdotes velut insano furore correpti saltitabant, vel a voce κόρυς, *galea*, quod galero quodam, instar galeae facto, uterentur. Corybantes feruntur fuisse infantia Iovis custodes.

11. Quidam V. D. legendum censet, *clari sub fonte*, et Gronovii lectionem *clari tibi fronte* damnat. »Protinus, inquit Gronovius, a laeva adeundi tibi Penates fronte clari, hoc est, illustria antepagmenta habentes.» — *Penates.* Proprie dii domestici, ita dicti quia in penitiori domo colebantur. Pro tota domo sumuntur. — *A laeva .... fronte*; id est, a laeva parte templi Cybeles, Proculi domum invenies. — Alia alii intelligunt: ad laevam templi (subaud. *partem*), invenies penates *claros fronte*, id est, illustria antepagmata habentes.

12. *Excelsae domus.* Domus sui Proculi.

14. *Magis patet.* Ob domini affabilis humanitatem.

15. *Nec propior.* Nec ulla domus Phoebo musisque gratior.

16. *Ipse.* Martialis.

17. *Scilicet* legunt Pulmannus aliique nonnulli. — *Quia qualiacumque.* Quia non fuisset illi otium scribendi haec, qualiacumque sint, epigrammata, si salutandi officiis vacasset. Eiusdem est argumenti epigramm. 109 infra: *Sed tibi non multum est unum si praesto togatum: Multum est hunc unum si mihi, Galle, nego. Ipse salutabo decima, vel serius, hora: Mane tibi pro me dicat* ARKAE *liber.* Et lib. XI, epigr. 24: *Dum te prosequor, et domum reduco, Aurem dum*

Ista, salutator scribere non potuit.

tibi praesto garrienti, Et quidquid loqueris facisque laudo, Quot versus poterant, Labulle, nasci? Hoc damnum tibi non videtur esse, etc. Ed. P.

72. — AD SOMNVM.

Naevia sex cyathis, septem Iustina bibatur;
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

1. *Naevia sex.* Veteres solebant tot haurire cyathos, quot literas includebant amicae, vel amici, vel imperatoris nomina. Naevia sex habebat literas propter diphthongum *ae*, quae duabus aequivalet; sex ergo cyathos exhauriendos esse dicit Poëta, in honorem Naeviae.

3. *Omnis ab.* Sic enim amicae nomen coniectandum relinquebant, ubi exhaurirent tot cyathos, quot essent litarae in eius nomine. Quum cyathus exiguus esset haustus, ait Ramiresius de Prado fuisse pocula sex cyathorum, nomine *semisses*, quinque, nomine *quincunces*, *etc.*, quae postulabant Veteres, unoque haustu bibebant, prout nomen sex, quinque, etc. etc., literas complecteretur. — *Falerno.* Optimum Campaniae vinum.

4. *Tu mihi, Somne.* Alludit ad veterem morem, quo ad somnum conciliandum poscebatur ultimum poculum, Mercurio tanquam somni praesidi consecratum; pocula autem apud Graecos sacra erant tria; primum Διὸς σωτῆρος, *Iovis servatoris*; secundum ἀγαθοῦ δαίμονος, *boni daemonis*; tertium Ἑρμοῦ, *Mercurii*, quod ultimum hauriebatur in eius honorem.

73. — AD FIDENTINVM.

Nostris versibus esse te Poëtam,
Fidentine, putas, cupisque credi?
Sic dentata sibi videtur Aegle,

2. *Fidentine.* Hunc plagiarium iam pupugit supra epigr. 30, 39, 53 et 54, et forsan epigr. 67, in quo furem de quo loquitur esse Fidentinum non insulse conici potest. Ed. P.

Emptis ossibus, Indicoque cornu:
Sic, quae nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hac et tu ratione, qua Poëta es,
Calvus quum fueris, eris comatus.

4. *Emptis ossibus.* Factitios dentes, ut nos, Veteres auro vinciebant. Inde quum cautum esset lege decemvirali ne cadaver sepeliretur auro addito, decemviri aurum quo dentes vinciuntur, exceperunt. Vid. Cic. de Legibus, lib. II, in fine. — *Indicoque cornu.* Hoc est, ebore, quo significat dentes eboreos. Elephas potissimum in India nascitur.

5. Ed. Iunt. anno 1512, *calente moro.* — *Cadente.* Quum morum cadit, maturum, et ideo nigerrimum est. Ed. P.

6. *Cerussata.* Cerussa genus est pigmenti quo illinitur vultus ad candorem conciliandum. Plin. lib. 35, cap. 6. — *Sibi placet.* Sibi candida videtur.

8. *Eris comatus.* Emptis nempe aut surreptis capillis. Notum adagium, *calvus comatus*, id est, homo qui fraude aliqua videri vult quod non est: sic amptis aut surreptis versibus vult videri poëta ille Fidentinus.

74. — AD CAECILIANVM.

Nullus in urbe fuit tota, qui tangere vellet
Vxorem gratis, Caeciliane, tuam,
Dum licuit: sed nunc positis custodibus, ingens
Turba fututorum est: ingeniosus homo es.

3. *Positis nunc custodibus.* Nitimur enim in vetitum omnes, *cupimusque negata*, ut ait Ovidius, eleg. 4, lib. III Amorum, v. 17.

4. *Ingeniosus homo es.* Qui callido artificio efficere potuisti, ut uxor deformis peteretur; dentesque excussisti amatoribus, incustoditam prius negligentibus. Vel etiam ingeniosus homo es, quia sic augendae tuae rei familiaris viam invenisti, muneribus scilicet nunc allatis ab amatoribus, qui contra ab uxore pretium antea accipiebant, nec eam tangebant gratis.

75. — AD PAVLLAM.

Moechus erat: poteras tamen hoc tu, Paulla, negare.
Ecce vir est: numquid, Paulla, negare potes?

1. *Moechus*, *etc.* Increbuit suspicio consuetudinis tuae cum moecho dum viveret prior maritus, postquam vero illo elato nupsisti suspecto illi moecho, fecisti suspicioni fidem, rem propemodum fassa. Vide epigr. 22, lib. VI: *Non nubis*, *Proculina*, *sed fateris.*

76. — DE LINO.

Dimidium donare Lino, quam credere totum,
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

2. *Mavult perdere dimidium.* Quum enim mutuum non redderet Linus, qui totum credidisset, totum perdidisset nolens; qui vero dimidium mavult eidem donare, perdit tantum alterum dimidium volens. Sic melior est eius conditio. Ed. P.

77. — AD FLACCVM.*

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes et alumne Laris,
Pierios differ cantusque chorosque sororum:

* Valerium Flaccum, octo librorum Argonauticorum scriptor, hortatur, ut, relicta poësi quae parum quaestuosa est, ad forensem se conferat eloquentiam, quae valde lucrosa. Ed. P.

1. *Pretium non vile.* Dignus sane ea amicitia, qua res tuas curo, tuaeque consulo semper utilitati, ut nunc consulo, quum tibi persuadeam musas esse relinquendas. Ed. P.

2. *Antenorei spes et alumne Laris.* Civis Patavinus. Troianus Antenor (Virg. Aeneid. lib. I) Paduam urbem, vel Patavium condidit, sic appellatam quia est ad Padum. — *Laris.* Lares qui saepius pro aedibus, hic pro urbe sumuntur.

3. *Pierios differ cantus*, *cantusque sororum* citat Langius ex ed. Pulmanni. — *Differ.* Suspende in aliud tempus, quum praesens necessitas postulet, ut rem facias.

Aes dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis a Phoebo? nummos habet arca Minervae:
Haec sapit, haec omnes foenerat una Deos.
Quid possent hederae Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.

4. *Ex istis nulla puella.* Nulla musa.

5. *Quod petis a Phoebo, nummos* in quibusdam; *Quid petis a Phoebo, nummos* legendum censet Gronovius; Ita certe Schrevelius. — *Quid petis a Phoebo?* Quid opes exspectas ab Apolline? ipse pauper est; quid erunt eius alumni clientesque? At Minerva magnas habet in arca sua divitias, quas causidicis largiatur suis cultoribus.

6. *Haec super haec omnes, etc.*, in marg. ed. Iunt. penes edit. P., unde forsan proba lectio elici possit, *Haec super hos omnes, etc.*, id est, Minerva foenerat, et supplet divitias praeter omnes hos deos, Apollinem scilicet et musas. At vide var. notas. — *Haec sapit.* Qui ditissimus est, idem sapientissimus; vid. Horat. lib. II, sat. 3, 74: *Omnis enim res, Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris Divitiis parent, quas qui contraxerit, ille Clarus erit, fortis, iustus .:.. Sapiensne? etiam! et rex, Et quidquid volet.* — Sic quoque Boilaeus noster, epist. 5, 94:

Dans mes coffres tout pleins de rares qualités,
J'ai cent mille vertus en louis bien comptés. Ed. P.

— *Foenerat.* Tantas habet opes, ut mutuam dare pecuniam possit Diis omnibus, egentibus scilicet, et aes alienum contrahere coactis. Ed. P. — Alii intelligunt; Arca Minervae tribuit omnes deos, id est, quidquid separatim conferunt caeteri dii, una simul confert, potentiam, pulchritudinem, ingenium, etc.

7. *Quid possunt hederae* Ald. Iunt. Colin. aliae vett. — *Quid possent hederae Bacchi dare?* Poëtae, qui sunt in tutela Bacchi, coronabantur hedera, quae huic deo sacra erat; Virg. Eclog. VII. — Sterilis autem est hedera; at olea baccas profert quarum pondere ramos depressos habet; hoc est, friget poësis, fervet ac ditescit forum. Est Phaedri Apologus, lib. III, fab. XVII, in quo Palladem collaudat Iupiter, quod caeteris diis steriles ad gloriae speciem eligentibus arbores, illa olivam propter fructum elegisset; inde vera scilicet sapientiae dea, nam lucri odorem sapere, vera est sapientia.

8. *Varias* epitheton olivarum; unde et *bicolor bacca* oliva dicitur Ovidio Metam. VIII, 664. An autem, pro *nigra*, legendum *pigra?* vel quia oleae tarde crescunt; vid. Varr. de Re Rust. I, 41, et Virg. Georg. II, 3; vel quia arbores non inepte *pigrae* dici queunt, quum, ramis fructuum pondere gravatis, non tam faciles motant cacumina. An scripsit forte, *Inclinat vario pondere pigra comas?* Haud temere tamen τὸ *nigra* reiecerim: tum, quia explicari potest *umbrosa*; oleae certe et umbrae gratia serebantur (Plin. N. H. XV, 18): tum vero, quia *nigra* pro *viridi* accipi potest. Ovid. Fast. IV, 139. *Ant. de Rooy.* — *Varias comas.* Quia vi-

Praeter aquas Helicon, et serta, lyrasque dearum
  Nil habet, et magnum sed perinane sophos.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permesside nuda?
  Romanum propius, divitiusque forum est.
Illic aera sonant: at circum pulpita nostra,
  Et steriles cathedras, basia sola crepant.

rides una parte, altera candidiores sunt.

9. *Helicon*. Boeotiae est mons, Phocidi vicinus, non procul a Parnasso, qui et ipse Apollini sacer est et Musis.

10. Alii *semper inane*. — *Sophos*. Acclamatio erat qua recitantes poëtae excipiebantur, sed nihil emolumenti accipiebant. Vide epigr. 4, supra, v. 7.

11. Alii *Permessidos unda*, vel *Permesside lympha, Permesside unda*. Lectionem nostram ex optimis codicibus dederunt Gruterus et Scriverius. — *Cirrha*. Vnus est e verticibus Parnassi; alter Nysa dicitur. — *Permesside*. Permessis fluvius ex Helicone dilabitur.

12. *Romanum*, etc. Forum Romanum, idemque vetus dictum, erat omnium antiquissimum; additum aliud deinde a Caesare fuit, Iulium nuncupatum, ac deinde Palladium, quum Domitianus illud instaurasset; tertium ab Augusto. Accessit quartum Nervae quod transitorium dicebatur. Additum denique Traiani forum, sive Vlpium. — *Propius* quam Cirrha et Helicon, qui sunt procul, in Graecia. — *Divitius*. Verbum antiquum. *Ditius* in usu frequentiori est.

13. Ianus Guilielmius Verisim. lib. III, cap. 19, ex quodam cod. legit *ad Circum et pulpita nostra*; recenset enim loca poëtis veluti consecrata, *Circum*, in quo ludi fiebant et spectabantur fabulae; *pulpita*, e quibus recitabantur poëmata; *cathedras* grammaticorum, e quibus explicabantur. — *Illic aera sonant*. In foro nempe, ubi pecuniam accipiunt causidici.

14. *Et steriles cathedras*. Nullum emolumentum afferentes. Iuv. Sat. VII, 203: *Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae*. — *Basia sola*. Sciendum est olim non solum iis qui scripta sua publice recitarunt ab auditoribus varie acclamatum, sed eos pariter ac libros ipsos, tunc si placuissent, amplexu atque basiis exceptos esse. Ed. P.

78. — DE CHARINO.*

Pulchre valet Charinus, et tamen pallet.
Parce bibit Charinus, et tamen pallet.

* Enumerat Martialis omnia quae ad corpus colorandum sunt accommodata; integram valetudinem; parcum potum, nam qui large bibunt, solent hydropisi vel alio morbo pallere; bonam concoctionem, nam crudi pal-

Bene concoquit Charinus, et tamen pallet.
Sole utitur Charinus, et tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, et tamen pallet.
Cunnum Charinus lingit, et tamen pallet.

lidi sunt; solis usum, qui colorabat, unde colorarii dicebantur, qui cutem curabant ad solem; uncturam corporis, sive oleo ad solem, sive etiam fuco, quem quasi decolorant ac pallidum reddunt morbidi: haec omnia quum experiretur Charinus, pallebat tamen, quia turpi vitio laborabat, quod notat ultimo versu poëta.

6. *Et tamen.* Ironice, pro *et ideo.*

79. DE FESTO. *

Indignas premeret pestis quum tabida fauces,
Inque ipsos vultus serperet atra lues;
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos
Decrevit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame:
Sanctam Romana vitam sed morte peregit,
Dimisitque animam nobiliore via.

* Festum quemdam, Domitiani imperatoris amicum, laudat, quod foedissimo morbi genere correptus ferro sibi necem consciverit.

1. *Indignas.* Affectas morbo immerito, a quo viri virtus eas vindicare debuisset. Ed. P. — *Pestis tabida. Mentagra* vel *Lichen*, scabies quaedam, quae a mento in collum pectusque serpit.

3. *Siccis genis.* Oculis non lacrymantibus magnanimam testatus fortitudinem. Ed. P.

4. *Stygios adire lacus.* Sponte mori.

5. Ianus Guilielmus legendum putat *palluit*, ut apud Virg. Aen. VIII, 709, de Cleopatra veneno peritura: *pallentem morte futura.* Hoc improbat Musamb. contra Ramires. legens: *Nec tamen obscoeno pia polluit ora veneno.* — *Obscuro.* Quod arcana vi nocet, imisque in praecordiis clam saevit. — *Polluit.* Veneno exstincti colorem referunt lividum.

7. *Romana morte.* Sed gladio vitam abrupit, quod mortis genus Lucretiae, Catoni, Bruto, etc. placuit.

8. Edd. vett., *nobiliore rogo:* Ramires *nobiliore loco.* Codex Heraldi, *nob. vita. Nobiliore modo* fortasse reponendum putat Wakefield. in Sylv. crit. part. IV, § 169. — *Nobiliore via*, i. e. vulnere facto, honesta igitur et

Hanc mortem fatis magni praeferre Catonis
  Fama potest: huius Caesar amicus erat.

ampla porta, non autem foedo meatu quem aperiebat mentagra, emisit animam.

10. *Huius Caesar:* se enim interemit Cato metu aut odio Caesaris; at vero Domitianus Imp. huius Festi amicus fuit. Maioris est animi, vitam relinquere beatam. Ed. P.

80. — AD ATTALVM, ARDELIONEM.

Semper agis causas, et res agis, Attale, semper:
  Est, non est quod agas, Attale, semper agis.
Si res et causae desunt, agis, Attale, mulas.
  Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Perstringit Noster unum ex istis Ardelionibus, quos sic describit Phaedrus lib. II, Fab. 5: *Est Ardelionum quaedam Romae natio Trepide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens, Sibi molesta et aliis odiosissima.* Ed. P.

4. *Agas animam.* Id est, pereas. Lusus epigrammatis est in ambiguitate verbi *ago*, quod significat facere, *ante se ducere, expellere*, etc. Similiter lusit Seneca, epist. 24; *quid egeris tunc apparebit, quum animam ages.*

81. — AD CANVM. *

Sportula, Cane, tibi suprema nocte petita est.
  Occidit, puto, te, Cane, quod una fuit.

* Avarum quemdam Canum deridet qui nocte ipsa qua mortuus est, sportulis vacaverat postulandis: inde ait poëta eum moerore confectum, quod unam tantum accepisset.

1. *Sportula.* Olim dabatur clientibus coena recta; eam Nero in sportulam mutaverat, hoc est in cibis qui e patroni mensa mittebantur in *sporta*, sive *calatho*, ad clientes in atrio exspectantes: denique pro *sportula* et cibis, data est pecunia, nempe centum quadrantes. Domitianus, antiquato Neronis edicto, revocavit coenas rectas, et sportulam sustulit. Vid. lib. III, epigr. 7 et 14, etc. — *Vna fuit.* Quod avaro luctuosissimum.

82. — AD SOSIBIANVM.

E servo scis te genitum, blandeque fateris,
Quum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

1. Musambertius conj. *E serva scis te genitum*, probante Heraldo. — *E servo.* Sosibianus ex adulterio nobilis matronae cum servo natus erat, et illius matronae virum, cuius fillus putabatur, *dominum* blandiendo vocitabat: Recte facis, inquit vates; tu ex illius servo natus es: verna es igitur eiusdem, non filius. — Quod nempe mater adultera ex servo suscepisset Sosibianum: vel forte melius legendum *E serva*; quum enim *partus ventrem sequatur*, ex serva et patrefamilias natus Sosibianus servus est, et patrem habet eumdem et dominum. Vid. epigr. 85 iosfra: *Vxorem habendam non putat Quirinalis, Quum vult habere filios et invenit Quo possit istud more; futuit ancillas, Domumque et agros implet equitibus vernis. Paterfamilias verus est Quirinalis.*

83. — DE REGVLO.

Haec, quae pulvere dissipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet absoluta casu!
Tectis nam modo Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesseratque;
Victa est pondere quum suo repente;
Et postquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantae, Regule, post metum querelae,

1. *Pulvere dissipata.* Cum ingenti pulvere collapsa.

3. *Absoluta casu.* Hic casus fuisset mors Heguli; quae quum universam hominum invidiam excitasset, non fuisset expers eriminis easus; inde dicit porticum absolutam *casu*, quasi dicat absolutam *crimine*. Eo. P. — Vel, quam felici casu innocens, et ideo absoluta, iacet!

8. *Securo damno.* Suo damno et periculo tantum.

9. *Tantae post metum querelae.* Postquam liberati sumus metu damni quod ingentes querelas excitasset fortunam incusantium, negantiumque providentiam. Sic epigr. 13, supra, v. 9: *Nimirum timuit nostras Fortuna querelas, Quae par tam magnae non erat invidiae.* Eo. P.

Quis curam neget esse te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

84. — DE MANNEIA.

Os et labra tibi lingit, Manneia, catellus:
Non miror, merdas si libet esse cani.

1. *Os et labra.* Ora et labia Manneiae foetida fuisse notat, canes quippe lambendis immunditiis' delectantur, quae tetro odore non superant foeditatem tui oris. Iuven. sat. 10: *Bona tota feruntur Ad Phialen; tantum artificis valet halitus oris!* Edd. vett. *Manuella.*

2. *Esse.* Edere.

85. — DE QVIRINALI. *

Vxorem habendam non putat Quirinalis,
Quum vult habere filios; et invenit
Quo possit istud more: futuit ancillas,
Domumque, et agros implet equitibus vernis.
Pater familiae verus est Quirinalis.

* Salse notat Quirinalem equitem Romanum, qui caelebs quum esset, innumeros ex ancillis suscipiebat liberos.

3. *Istud.* Habere filios, nec tamen uxorem ducere. — *More.* Id est, ratione sibi in morem conversa. Ed. P.

4. *Et agros.* Libidinem notat Quirinalis, qui non solum domesticas ancillas et urbanas, sed etiam villicas inibat, ex quibus magnum proventum habebat puerorum. — *Equitibus vernis.* Verna servus est domi natus; *equitibus* autem dicit, quia Quirinalis eques erat. Hybridae vocabantur qui ex viro et foemina non eiusdem conditionis sic nascebantur.

5. Alii *Paterfamilias.* — *Pater familiae.* Pater familiae vel paterfamilias est, qui nullius potestati subditus, in sua potestate filios et servos habet. Hoc blando nomine, debitae in servos mansuetudinis dominus quasi admonebatur. Vid. Senec. epist. 47. Sed hic verum dicit poëta patrem familiae Quirinalem, quod eius familia ab ipso esset genita.

86. — IN PRAECONEM STOLIDE FACETVM. *

Venderet excultos colles quum praeco facetus,
Atque suburbani iugera pulchra soli:
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
Vendere: nihil debet; foenerat immo magis.
Quae ratio est igitur? servos ubi perdidit omnes,
Et pecus, et fructus, non amat inde locum.
Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet
Omnia? sic Mario noxius haeret ager.

* Inducitur praeco quidam, qui dum vult officiosus sen facetus videri in excusando Mario fundum vendente, ne quis eum inopia et aeris alieni gravitate id facere existimet, fingit Marium servos et pecora in eo fundo amisisse, ideoque vendere: nec intelligit inde fugari omnes emptores, agrum pestileutem sibi parare minime cupientes. Ed. P.

— *De Mario* in multis, quod mutavimus. *De praecone* lemma est in codd. Bodl.

1. *Facetus*. De facetiis et dicacitate praeconum multa veterum testimonia.

3. Editio Iuntina nostra anni 1512, ascriptum habet margini: *Errat, ait, si quis Mario putat ista necesse Vendere*; et haec lectio forte reponenda est, ut versus claudatur melius.

4. *Foenerat*. Immo aliis mutuam dat pecuniam, nedum ab iis accipiat.

5. *Servos ubi*. Forsan falso, ut ex verbis *excultos* et *pulchra* coniici potest, subiecit causam praeco stolidus seu malitiosus, qua emptores omnes ab emendo deterruit. Ed. P.

6. *Non amat*. Phaedrus lib. I, fab. 8: *Nemo libenter recolit, qui laesit, locum.*

8. *Noxius*. Non quia pestilens, quod effinxerat forte praeco: sed quod non posset se liberare aere alieno Marius, quum eum non venderet. Ed. P. — *Haeret*. Remanet in eius dominio, non venditur. Ed. P

87. — VICINVS NON VICINVS.*

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.

* Alii legunt *De Novio micropsycho* (*μικρὸς, petit; ψυχὴ, âme*), et intelligunt de Novio *homine avari animi et pusilli ingenii*, qui vicinos nunquam invitabat: alii *De Novio microspico* (*μικρὸς, petit, rare*; speccio *je vois*)

Quis non invideat mihi, putetque
Horis omnibus esse me beatum,
Iuncto cui liceat frui sodale?
Tam longe est mihi, quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non convivere, nec videre saltem,
Non audire licet: nec urbe tota
Quisquam est tam prope, tam proculque nobis.
Migrandum est mihi longius, vel illi.
Vicinus Novio, vel inquilinus
Sit, si quis Novium videre non vult.

et intelligunt *hominem raro apparentem et in suis aedibus reconditum*, *etc.* Ed. P. Beverlandus legit (Μικροσκόπῳ) *microscopo:* et sic conj. Vossius.

5. *Iuncto.* In iunctis aedibus habitante.

6. *Terentianus.* Qui tunc erat praefectus Aegypto, cuius Syene urbs, sub tropico Cancri ad Nilum sita, quae hodie ab aliis appellatur *Guegere,* ab aliis *China,* ab aliis vero *Asna:* romani imperii tunc terminus. Quidam putarunt hunc Terentianum fuisse politissimum illum de re metrica scriptorem, qui hodieque exstat; quod negat Ramires. de Prado, quod ille Maurus fuerit natione, libertus forte alicuius Terentiani. Hic autem eques, saltem romanus, ex familia Terentia in aliam per adoptionem translatus, quod apparet ex eius nominis terminatione: sic enim eorum qui adoptabantur nomen detorquebatur: Publius Cornelius Scipio, qui ex familia Aemilia in Corneliam adoptatus est, nomen Aemilianum sumpsit.

11. *Migrandum est.* Praesentem enim nunquam video; forte et absentes mutuo vel occurremus, vel nos videbimus.

12. *Inquilinus.* Qui nempe in Novii aedibus conductis habitet. Gallice, *locataire.* Quo quis enim Novio propior, eo remotior. Ed. P.

88. — AD FESCENNIAM POTRICEM.*

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,

* Fescenniam irridat quod hesternum vini foetorem voratis pastillis dissimulare contenderet; quo remedio gravior odor prodebatur. Vid. lib. V epigr. 4.

1. *Ne gravis.* In primis iuris romani

Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes ientacula: sed nihil obstant,
Extremo ructus quum venit a barathro.
Quid quod olet gravius mistum diapasmate virus,
Atque duplex animae longius exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprensaque furta
Iam tollas, et sis ebria simpliciter.

temporibus, quatuor erant uxoris divortio repudiandae causae: furtum, adulterium, infanticidium, et vini usus, qui tam severe romanis feminis erat interdictus, ut vinum bibisse illis pro capitali crimine esset. Hinc oscula cognatorum quibus earum abstinentia explorabatur. Ed. P.

2. *Pastillos Cosmi.* Pastillos a Cosmo myropola confectos. Pastilli sunt massulae rotundae planaeque, a *pane* diminutive dictae, quod parvi panis formam referant; quas ex pulvisculis odoratis conflatas vorabat Fescennia, ut halitus suaveoleret. Ed. P.

3. *Ista linunt dentes.* Emendant oris extremi foetorem, non autem tetrum odorem qui a ructante stomacho, tanquam a barathro, venit. — *Ientacula.* Isti pastilli a te ieiuna sumpti. Non ientabant nisi pueri, aegri aut luxuriosi.

4. *Quid quod olet.* Anima, sive halitus, vini et pastillorum odore mixtus, longius propagatur, duratque diutius, et simul olet foedius. — *Diapasmate.* Diapasmata proprie dicuntur ea quae siccis odoribus constant sine oleo aut alio liquore, ut pulvis quem Cyprium vocabant qui crinibus inspergebatur, a voce διαπάσσω, *inspergo.* Vid. Plin. lib. XXI, cap. 19, ubi mentio de diapasmate ex rosis aridis confecto. Hic sumitur pro odore pastillorum. — *Virus.* Halitus gravis.

7. *Deprensaque furta.* Vitium quod cum cura tegitur, furtum appellatur a Poëta.

8. In Iunt. 1512 margini adscriptum: *sic ebria semper eris.* — *Ebria simpliciter.* Candide, et sine fallaciarum involucris.

89 — EPITAPHIVM ALCIMI PVERI. *

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus;

* Alcimus servus erat, seu puer Martialis, in ipso aetatis flore raptus, quem in agro Labicano sepelierat.

2. Ant. *De Rooy* praetulerit *velet*, ex consueta bene defunctis precandi formula. — *Labicana humus.* Via Labicana ducit a porta Esquilina ad Labicum mediterraneum Latii pa-

Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
  Quae cineri vanus dat ruitura labor;
Sed fragiles buxos, et opacas palmitis umbras,
  Quaeque virent lacrymis roscida prata meis.
Accipe, care puer, nostri monumenta laboris:
  Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
Quum mihi supremos Lachesis perneverit annos,
  Non aliter cineres mando iacere meos.

gum; hodie *Strada di Valmontone*. — Sepulchra iuxta vias publicas poni moris erat, ut praetereuntes admonerentur mortalitatis. — *Levi cespite*. Hoc est, non superbo tumulo; vel potius alludit ad formulam antiquam *S. T. T. L.* hoc est, *sit tibi terra levis*.

3. *Non Phario*. Non pyramides, obeliscos, at statuas, quibus tumulos ornabant Aegyptii. Vide lib. Spect. epigr. 1: *Barbara pyramidum, etc.* Pharos colonia et oppidum Aegypti, in exigua insula prope Alexandriam. In ea insula erat ingens turris, Pharus quoque dicta, quae navigantibus iter commonstraret ac portum. — Alii legunt *Pario*. Paros insula est Aegei maris, ubi marmor insigne. — *Nutantia*. Aedificia altissima videntur nutare.

5. *Sed fragiles buxos*. Sepulchra designabantur in agris, et in fronte ponebatur scriptio, quae contineret latitudinem et longitudinem soli sepulchro destinati, quod spatium soli sacrum erat. (Vid. Horst. lib. I, sat. 8, v. 10). In hoc spatio erigebantur obelisci, vel ponebantur arbores ad decorationem loci: tum potissimum illae quae perpetuam retinent viriditatem, buxi, lauri, cupressi; hoc felicibus umbris convenire credebatur, floresque ideo serebantur, qui diutius durabant.

6. *Prata*. Cespitem, meis lacrymis quasi guttulis rorigeris humidulum. Ed. P. Alii *humida*.

7. In edd. vett. *monumenta doloris*. — *Monumenta laboris*. Buxos, cespitem, et simul carmina.

8. *Hic tibi perpetuo*. Id de perpetuitate suorum carminum augurator Poëta, ut dixit lib. X, epigr. 2, vs. 11: *At chartis nec furta nocent, nec saecula prosunt; Solaque non norunt haec monumenta mori*.

9. *Lachesis*. Vna e Parcis, quae humanae vitae stamen net: tres numerantur, Clotho, Lachesis et Atropos.

10. *Non aliter cineres*. Hoc est, tumulum meum versibus egregii poëtae ornari tantum cupio cespitemque amicorum lacrymis irrigari: hoc mihi, quam pretiosissimum mausoleum, pretiosius. Ed. P.

90. — AD CINNAM. *

Garris in aurem semper omnibus, Cinna;
Garris et illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras:
Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas.
Adeone penitus sedit hic tibi morbus,
Vt saepe in aurem, Cinna, Caesarem laudes?

* Cinnae morbum carpit, omnibus in aurem clanculum immurmurantis, quasi mysterii quidpiam diceret. Ed. P.

2. *Teste quod.* Clam dicis, quod audiente vulgo profari licet, quasi aliquis apud nos ad aurem diceret: *il fait beau temps.* Ed. P.

5. *Morbus.* Pertinax secretae taciturnitatis affectatio. Gallice, *tic.* Ed. P.

6. *Vt saepe.* Sic epigramma in laudem Caesaris convertit Poëta, innuens nihil esse quod Iustius palam ait proferendum, quam laudes Caesaris. Ed. P. — Fortasse, ut putat Raderus, obtrectatorem carpit, de Caesare maligne loquentem, quum de eo in aurem loqueretur. Natum autem videtur hoc epigramma e ioco Scauri, quo Iunium Othonem Rhetorem tecto et auspicioso dicendi genere usum taxavit, inquiens, *acta illum in aurem alterius legere*, quae publica quidem sunt, vulgoque legi oportet.

91. — AD BASSAM TRIBADEM.

Quod nunquam maribus cinctam te, Bassa, videbam,
Quodque tibi moechum fabula nulla dabat;
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexus, non adeunte viro;

1. In multis *iunctam.* — *Quod nunquam, etc.* Bassam tribadem facete carpit confessione erroris sui, quod existimasset castissimam esse feminam, quia nunquam ullus eam vir adiret, sed semper cum feminis esset: postea vero compertum est, tribadem esse. *Ramires.*

2. *Fabula.* Rumor publicus. Seneca controv. lib. II, 7: *Duxi uxorem mature; semper dilexi; ad omnem me tutum fabulam praestiti.*

3. *Omnis et officium* vett. nonnull.

4. In Iuntina nostra margini adscriptum est: *non adeunda viro.*

Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis:
  At tu (proh facinus!) Bassa, fututor eras.
Inter se geminos audes committere cunnos,
  Metiturque virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum thebano aenigmate monstrum:
  Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium.

5. *Lucretia nobis.* Casta ut Lucretia absente viro.

6. *Fututor eras*, Τριβὰς, ὀλίσβου opera usa. — *Fututor.* Est auxesis in nomine *fututor* adiuncto feminae, quam fututricem par erat appellare; sed data hoc opera factum, ut turpitudinem eius magis notaret; estque hoc tribadibus peculiariter tributum a Martiale, ut de iis *futuere* dici possit. *Ramires.*

7. *Inter se geminos audet* Langius.

9. *Commenta es dignum, etc.* Metalepsis: id est, dignum aenigma thebano monstro: cui proponendo opus sit Sphinge; et solvendo, pariter sit opus Oedipo. Ed. P.

92. — AD LELIVM OBTRECTATOREM.

Quum tua non edas, carpis mea carmina, Laeli.
  Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

1. *Edas.* In lucem scilicet.

2. *Vel ede tua.* Quae vicissim carpere possim, ex lege talionis. Sic videbimus, an irreprehensibilia carmina componat ille alieni carminis assiduus reprehensor. Ed. P.

93. — AD MAMVRIANVM.

Saepe mihi queritur non siccis Cestus ocellis,
  Tangi se digito, Mamuriane, tuo.
Non opus est digito: totum tibi Ceston habeto,

1. *Cestus ocellis.* Acerbe invehitur in Mamurianum pauperem, qui puerum Cestum de stupro appellabat subinde. — *Cestus.* Puer Poëtae.

2. *Digito tuo.* Digito obscoeno per obscoena ipsum ad stuprum pelliciente, et se paratum paediconem ostentante.

3. *Totum Ceston.* Id est, non solum concedo, quod digito sollicitas, sed totum et integrum puerum.

Si deest nil aliud, Mamuriane, tibi.
Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati,
Nec curtus Chiones, Antiopesve calix:
Cerea si pendet lumbis, et trita lacerna,
Dimidiusque nates Gallica palla tegit;
Pasceris et nigrae solo nidore culinae,
Et bibis immundam cum cane pronus aquam:
Non culum (neque enim est culus, qui non cacat olim)
Sed fodiam digito, qui superest, oculum.
Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum.
Denique paedica, Mamuriane, satur.

5. *Sed si nec focus est.* Est parasceve ad epiphonema contentum ultimo versu epigrammatis, et describit summam Mamuriani egestatem. Tum *focus* signum erat locupletis domus, ut lib. X, epigram. 47, v. 4, inter beatae vitae adiuncta focum perennem enumerat.

6. *Nec curtus, etc.* Si nec ad bibendum tibi sit ruptus calix, vel quali utuntur Chione, Antiope, caeteraeque meretrices etiam ad obscoenas lotiones lib. II, epigr. 50.

7. *Cerea, etc.* Decolor, non candida, a tritura flavescens: vel, sebo et sudore quasi incerata.

8. *Dimidiusque, etc.* Οἱ γὰρ Κέλται ἀντὶ χιτώνων σχιστοὺς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων καὶ γλουτῶν. Strabo.

10. *Cum cane.* Vt canis. Modo dixit Poëta infelici Mamuriano non esse calicem quo bibat. Ed. P.

12. *Sed, etc* Consueta res olim, in ira, in rixa, digito oculum eruere. — *Qui superest, etc.* Luscum innuit Mamurianum; ludit per paronomasiam in verbis *culum* et *oculum*. Vide lib. III, epigr. 92: illa minandi formula, *Oculos tibi effodiam*, Plauto solemnis.

14. *Denique, etc.* Non aegre ferrem. *Atqui si id faceres satur tantum*, Catull. carm. XXI, unde desumptum videtur hoc epigramma.

94. — DE AQVINO ET FABRICIO.*

Fabricio iunctus fido requiescit Aquinus,

* Aquinum et Fabricium, nobile par amicorum, de quibus apud Polybium est mentio, dignitatis per vitam, sepulchri post mortem communi consortio gaudentes, laudat Martialis. Ed. P.

1. *Iunctus.* In vicino vel eodem tumulo conditus.

Qui prior Elysias gaudet adisse domos.
Ara duplex primi testatur munera pili:
Plus tamen est, titulo quod breviore legis:
Functu uterque sacro laudatae foedere vitae,
Famaque quod raro novit, amicus erat.

2. Vett. nonn. *abisse*. — *Gaudet*. Amico superstite laetus; sic supra, epigr. 37, v. 4: *Quod pro fratre mori vellet uterque prior*. Ed. P.

3. *Ara duplex*. Primipili custodes erant militaris vexilli, quod nihil aliud erat quam arula inaurata imposita summae perticae, infra quam aram imago Imperatoris pendebat: supra autem aquilae effigies visebatur arae imminens; ergo arula duplex, vel excitata prope tumulum, vel insculpta cippo, emblema erat eorum dignitatis. — Alii intelligunt aras, ut mos erat Romanis, excitatas fuisse prope tumulum, quibus erat inscriptum eos fuisse primipilos. — *Primi munera pili*. Pilum erat hasta brevior, telum Romanis usitatum. — *Primi pili*. Primipilus erat centurio primus inter decem centuriones triariorum. Obediebant illi sexaginta centuriae, id est, tota legio: Dionys. IX; aquilae praeerat. Huius potestatis ea ratio fuit, quia quum essent in legione tria militum genera, denis singula centurionibus instituta, *Hastati*, *Principes*, *Triarii*, et caeteris omnibus Triarii, aetate, usu, fortitudine praestarent, eo fiebat, ut primus centurio Triariorum, non modo reliquis novem Triariorum centurionibus, verum etiam reliquis Hastatorum et Principum centurionibus imperare posset. Verum id perquam raro factum opinari licitum est, quippe quum in praeliis separatim singuli ordines, Hastati, Principes, Triarii, pugnarent. Quod si Hastati et Principes loco moti, fusique ab hostibus fuissent, tunc Triarii, fugientibus exceptis, renovata pugna, hostes invadebant, eosque Hastati et Principes, modo victi, sequebantur. Ita permixtis ordinibus, unum esse oportebat, cuius voluntati et imperio milites omnes parerent; is autem primus centurio, id est, *Primipilus* fuit, qui quum aquilae praeesset, at inter centuriones Triariorum primum locum obtineret, iure omnibus reliquorum quoque ordinum centurionibus imperabat. Ed. P.

4. *Plus tamen est*. Sensus est: Magnum est quidem eos fuisse primipilos; maius autem eos, licet dignitatis aemulos, fuisse amicos. Huic titulo *Primipilares erant*, antepono hunc titulum breviorem in utriusque epitaphio memoratum; *amicus erat*. Ed. Par.

5. Alii *iunctus*. Cod. Arondell.: *laudatae pondere vitae*. — *Functus*. Hoc distichon inscriptum legebatur in tumulo. — *Sacro laudatae foedere*. Vitam egerunt virtute et bonis moribus commendatam. Videntur enim, qui sic vivunt, cum virtute foedus pepigisse. *Ramiresius*.

6. In eodem cod. *raros*; unde Gronov. *Famaque qua raros novit, etc.* — *Quod raro novit*. Rara enim inter dignitatis aemulos concordia. Ed. P.

95. — AD AEGLEN FELLATRICEM.

Cantasti male, dum fututa es, Aegle.
Iam cantas bene; basianda non es.

1. *Cantasti male.* Huic meretrici, quamdiu iuvenis sui copiam fecit, venustam quidem formam esse, vocem autem insuavem, fama ferebat. Deinde quum provectior aetate ad fellandum vocaretur, qui eam vocabant, turpitudinem suam dissimulaturi iactabant se eam vocis causa vocare.

96. — AD HELIVM, RABVLAM.*

Quod clamas semper, quod agentibus obstrepis, Heli,
Non facis hoc gratis: accipis, ut taceas.

* *Ad Aelium* inscriptio est in codice Thuaneo.

2. *Accipis ut taceas.* Omnes causidici accipiunt, ut loquantur; quum autem Helium propter imperitiam nemo patronum adsciseeret, ille agentibus magna voce obstrepebat, ut tantis clamoribus tandem obtusi litigantes sibi pecuniam, sicut latranti cani offam, iacerent, *ut taceret.* Ed. P.

97. — AD SCAZONTEM, DE FELLATORE.*

Si non molestum est, teque non piget, Scazon,
Nostro, rogamus, pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic, ut audiat solus.

* Hoc epigrammate unum insectatur ex istis (quos iam carpsit epigr. 25 supra), sapientiae affectatoribus ambitiosis, qui, ut Iuven. II, 3 verbo utar, *Curios simulant et Bacchanalia vivunt.* Ed. P.

1. *Si non molestum est, teque non piget.* Versus scazon iambo caetera similis, hoc uno dispar quod sextum pedem habeat spondaeum, quintum iambum; unde claudicare videtur, et appellatur scazon (a verbo σκάζω, *claudico*), vel etiam scoliambus (a σκολιός, *tortuosus*, et ἴαμβος *iambus*); idcirco dicit Martialis *Si non molestum est, etc....* Qui enim claudus, idem ad eundum piger versus, ex domo Martialis ad Materni domum aegre molietur iter. Ed. P.

2. *Materno.* Amico, cui mittit hoc epigramma.

3. *Dicas in aurem.* Clam, velut my-

Amator ille tristium lacernarum,
Et Baeticatus, atque leucophaeatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes;
Nativa laudet, habeat et liceat semper
Fuscos colores, galbanos habet mores.
Rogabis, unde suspicer virum mollem.

sterium Cereris; et lepide poëta iubet, ut in aurem dicat, quum ipse publico versu vulget per orbem.

4. *Amator ille.* Aliquis Materno notus, quem alii Cinnam, alii Galbam, nonnulli Fuscum vocant; quidam et ipsum Maternum, ut infra dicemus, vs. 14. — *Tristium lacernarum.* Erat lacerna vestis crassior, quae togae plerumque superimponebatur, aliquando separatim sumebatur; a militibus primum usurpata in castris, et armis superiniecta; post in urbem inducta.—Hic igitur de quo loquitur Martialis, lacernis tristibus, id est, subfusci coloris utebatur, viros severos imitaturus, quos pudebat induere colores feminis proprios, et luxu consecratos. Ed. P.

5. *Baeticatus.* Qui utitur vestibus lana hispaniensi contextis. In Hispania, praesertim in Baetica, quae nunc est Andalusia et pars regni Granatensis, a fluvio Baeti, hodie *Guadalquivir*, sic appellata), nascebantur oves, quarum vellere, native fusco et subrutilo, fiebant vestes pullae, quas severitatis iste almulator tinctis vestibus anteponebat. Ed. P. — *Leucophaeatus.* Qui vestes gerit leucophaei coloris, ex albo et nigro conflati; gallice, *gris brun* (a λευκὸς, *albus*, et φαιὸς, *pullus.*)

6. *Coccinatos.* Delicatiores lautioresque habebantur, non tamen molles et effeminati, nisi huius sapientiae affectatoris sententia, qui vestibus utebantur cocco tinctis. Coccus est granum sumptum ex arbuscula quadam, quo rubeus color admodum vividus conficitur.

7. *Amethystinas.* Violacei coloris vestes (sic dictas a gemma amethysto, cuius color vinum pallidum, aut sanguinem dilutum refert), mulieribus censet relinquendas.

8. In multis *laudat*; Lipsius Elect. lib. I, cap. 13, legit *laudet*, quod placet Ramiresio. — *Nativa, etc.* Quamvis nativas, id est, natura, non arte tinctas vestes laudet, Baeticatas nimirum, coloresque vestium habeat fuscos et viles, mores tamen habet, qui non decent hominem fuscis indutum, id est, severum; sed qui potius decent indutum galbanis, id est, effeminatum. Ed. P.

9. *Galbanos*; galbanus sive galbinus, aut galbeus, aut galbaneus, est color subalbus et pallidus, qualis apparet in Galbano, quod est visci aut resinae geous in Syria frequens; eo vestium colore maxime feminae utebantur.—Volunt aliqui notatum his verbis clam imperatorem Galbam, imprimis effeminatum.

10. In multis *Rogabit.* — *Mollem.* Quid hoc verbo intelligat Martialis vid. lib. II, epigramm. 84, et lib. III, epigr. 72. *Ramires.*

Vna lavamur: aspicit nihil sursum;
Sed spectat oculis devorantibus draucos:
Nec otiosis mentulas videt labris.
Quaeris, quis hic sit? excidit mihi nomen.

12. Ianus Guilielm. Verisimil. lib. III, cap. 19, emendat: *Despectat oculis, etc.* Eadem medicina forte facienda epigr. 64, libri XI: *Spectas ros, Philomuse, quum lavamur*: et legendum *Despectas*, quum idem sit argumentum utriusque epigrammatis.

13. *Nec otiosis.* Labris undantibus et prae desiderio saliva fluentibus. Sic Iuven. Sat. IX, v. 31: *Spumante labello.* Gallice, *l'eau lui vient à la bouche.* Vid. Sup. epigramm. 24. *Ramires.*

14. *Excidit mihi nomen.* Quem insectetur non nominat Martialis, ut dlait in epistola libri primi, et multis alils in locis: *se salva infimarum quoque personarum reverentia ludere.* — Sunt tamen qui putent eum ludere in ambiguitate verbi *excidit*; et ideo nomen quod non ex eius memoria, sed eius calamo *excidit* inprudenti, quaerunt in hoc epigammate, ac credunt latere sub verbis *Fuscos*, *Galbanos*, *Coccinatos*; et ideo Fuscum, vel Galbam, vel Cinnam quemdam carpi a Nostro. Sunt et qui credant Maternum ipsum; quod parum verisimile ex lib. X, epigramm. 38, v. 1 et 2. Forsan non idem Maternus est. Ed. P.

98. — AD NAEVOLVM CAVSIDICVM.

Quum clamant omnes, loqueris tu, Naevole, tantum,
Et te patronum causidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes: Naevole, dic aliquid.

1. *Quum clamant.* Tantum loqueris quum omnium clamoribus circumstrepentibus, non intelligi vel audiri potes. Qualis sis orator, nemo sic iudicabit: ecce iam silentio facto, ostende quam disertus *sis* patronus; quod si non feceris, te propter imperitiam tacere fateberis.

99. — AD FLACCVM.

Litigat, et podagra Diodorus, Flacce, laborat.
Sed nil patrono porrigit: haec chiragra est.

2. *Chiragra est.* Podagra morbus est pedum, chiragra vero manuum: quum patrono nihil daret Diodorus, non podagra illum, sed chiragra laborare dicit Poëta, quae ei manum contrahat, nec sinat eam protendi ad nummos numerandos, quod meruerat dicendo patronus. Ed. P.

100. — AD CALENVM AVARVM. *

Non plenum modo vicies habebas;
Sed tam prodigus, atque liberalis,
Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit vota Deus, precesque nostras;
Atque intra, puto, septimas kalendas
Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
At tu sic, quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abisti
In tantam miser esuritionem,
Vt convivia sumptuosiora,
Toto quae semel apparas in anno,
Nigrae sordibus explices monetae;
Et septem veteres tui solades
Constemus tibi plumbea selibra.

* Hoc epigrammate et multis aliis (vid. infra epigr. 104, lib. IV, epigr. 51, et lib. VI, epigr. 79) illos deridet, qui in re tenuissima laeti liberalesque sunt; ubi antem comparavere divitias, amittunt, ut cerdo ille nostri Fontanii, gaudia et somnos, in tristem sordidamque avaritiam versi. Etenim: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Ed. P.

1. *Plenum vicies.* Id est, non omnino vicies centena millia sestertium: post adverbia decies, vicies, et caetera eiusmodi, subintellige *centena millia.*

6. *Intra septimas.* Septem menses: kalendae enim significant primum mensis diem.

7. *Mortes.* Mortuorum haereditates.

10. *Tantam.* Tam avarus, tam sordidus et famelicus esse coepisti.

12. *Semel.* Forsan natali die, qui a veteribus genialiter celebrari solebat. Ed. P.

13. *Nigrae monetae.* Aereae nempe, quod Calenus iste aurum aut argentum in conviviis impendere nollet: porro aerea moneta videtur pretium vilissimorum eiborum, quos apponeret suis amicis. — *Explices.* Explicare convivium, id est instruere mensam explicatis et appositis cibis.

15. *Plumbea selibra.* Monetam plumbeam in usu fuisse apud Romanos negant Interpretes; sed hanc pro vilissima usurpat Poëta lib. X, epigr. 74, vers. 4. Quoties plumbeam monetam vocat Martialis, vilia, instar plumbi, aerea numismata intelligit. *Gron.*

Quid dignum meritis precemur istis?
Optemus tibi millies, Calene.
Hoc si contigerit, fame peribis.

17. Alii *optamus*.
18. *Hoc si contigerit*. Ex eo quod Calenus centies adeptus, in summam esuritionem abierit, lepide colligit Poëta fame illum periturum, si millies consequatur. Sic acute Ovidius: *Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae*. — *Fame peribis*. In poenam tuae avaritiae.

101. — DE AFRA VETVLA.

Mammas atque tatas habet Afra: sed ipsa tatarum
Dicit et mammarum maxima mamma potest.

1. *Mammas*. Afra, quo iunior videretur, personas utriusque sexus seniores, vel coaevas, vel etiam iuniores, mammarum nomine, quo pueri matrem, et tatarum, quo pueri patrem appellant, blandiendo per iocum salutabat, quum ipsa adeo vetula esset, ut omnium abavia videri posset. Hinc illam perpiont Noster deridendam. Ed. P.

102. — DE DEMETRII SERVI MORTE. *

Illa manus quondam studiorum fida meorum,
Et felix domino, notaque Caesaribus,
Destituit primos viridis Demetrius annos:

* *Demetrii servi* amanuensis, et a Martiale libertate, antequam moreretur, donati funus immaturum deflet tristis dominus. Ed. P.

1. *Illa manus*. Per metonymiam, pro, *servus ille amanuensis, seu librarius*, epigrammatum meorum transcriptor conscius. Ed. P.

2. *Felix*. Vtilis.—*Domino*. Martiali. — *Notaque Caesaribus*. Tito et Domitiano, qui epigrammata manu Demetrii scripta accipiebant a Martiale. Ed. P.

3. *Destituit*. Vitam vix inchoatam reliquit, aetate florenti et viridi. Ed. P. — In plerisque *virides*. Cagnerius legendum censet *viridis*: hoc est, adhuc virens, ut Proserpina puella apud Claudianum. Ausonius: *viridi Traianus in aevo*. Idem sentit Gruterus; dicit enim, si *virides* retinuerimus concurrent duo epitheta.

Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Vreret implicitum quum scelerata lues,
Cavimus, et domini ius omne remisimus aegro:
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua praemia, meque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

4. *Quarta tribus lustris.* Lustrum est spatium annorum quinque, quo finito censores lustrabant urbem et recensebant civium nomina, fortunas, etc. *Addita messis.* Sic undeviginti annos natus erat Demetrius.

5. *Famulus.* Non libertate donatus. Sensus est: cavimus, prohibuimus, ne servi nomen retineret in extremo morbo.

7. *Domini ius omne.* Hoc ius dominicale in servos terribile et horrendum fuit olim apud Romanos; namque vitae et necis, torquendique fuit. Nihil proprium sibi possidere poterat servos, ne vitam quidem; uxorem, parentes cognatosque habere ei non licebat; denique vendere eum, vel in numerum vilioris conditionis servorum redigere fas domino erat. Postea vero quam Romanorum mores emolliti fuerunt, pessima haetenus servorum conditio melior evasit. Sub Antoninis imperatoribus ne eos pro lubito occiderent domini prohibitum fuit, sed tantum semper, etiamque sub Christianis imperatoribus, castigare eos licitum sine ulla restrictione fuit. Ed. P.

8. *Munere debuerat* tentabat Ant. *de Rooy*; quod verbum et intruderet Ovid. Trist. IV, 8, 14: *Haec mea sic quondam peragi speraverat aetas: Hos ego sic annos ponere debueram*, pro *dignus eram*.

9. *Sua praemia.* Libertatem quam fideli sua opera meruerat, Poëtae laborem utiliter adiuvando. Ed. P.

103. — AD LYCORIM.

Qui pinxit Venerem tuam, Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Minervae.

2. *Blanditus est Minervae.* Venere scilicet deformiter picta, cum qua olim de forma contendit Minerva. Pictores autem Minervae clientes sunt. Lycorim sane deformem carpit Poëta, quam male picta Venus eius iussu Veneribus suis non ornabat.

104. — AD SCAEVOLAM *

Si dederint Superi decies mihi millia centum,
Dicebas nondum, Scaevola, iustus eques;
Qualiter o vivam, quam large, quamque beate!
Riserunt faciles, et tribuere Dei.
Sordidior multo post hoc toga, paenula peior:
Calceus est sarta terque quaterque cute;
Deque decem plures semper servantur olivae:
Explicat et coenas unica mensa duas;
Et Veientani bibitur faex crassa rubelli;
Asse cicer tepidum constat, et asse Venus.

* Vt Calenum, epigr. 100 supra, Caecilianum infra, lib. IV, epigr. 51, et Lupum, lib. VI, epigr. 79, nuoc Scaevnlam deridet, qui promittebat se laute victurum si divitias consequeretur, consequutus autem sordide vivebat. Eo. P.

1. *Decies mihi millia centum.* Sestertia scilicet.

2. Edd. vett. *factus eques.* — *Nondum Scaevola, iustus eques.* Nondum iustam assequutus quadringentorum sestertiorum summam, ad censum equestrem; nec ideo omnibus equitum privilegiis usus, quorum uoum erat sedere in quatuordecim ordinibus, lege Roscia; lib. IV, epigr. 67, vers. 4: *Vt posset domino plaudere iustus eques.*

4. *Riserunt faciles.* Seu quia sordidam Scaevolae, divitis faeti, praevidebant avaritiam; seu quia risus benignitatis et concessionis est signum. Risu enim annuere et consentire videmur.

5. *Toga.* Imponebatur tunicae idque fere in urbe; ut paenula rure, aut per imbrem; erat enim paenula villosa vestis et crassa.

7. *Deque decem, etc.* De olivis decem quas convivis apponis in coena, maior pars, quae non minus sex continet, in diem sequentem reportatur reservaturque. Eo. P.

8. Ant. de Rooy conj. *Explicat et mensas unica mensa duas,* non insuavi eiusdem vocis repetitione. Saepius *mensa* et *coena* fuere permutata. — *Explicat et coenas, etc.* Mensa est proprie quod gallice vocamus *un service*, ut patet ex comparatione versus 723, Virg. Aeneid. lib. I, cum versu 736 eiusdem libri. Sic Ovidius de Nuce: *Poma cadunt mensis non interdicta secundis.* Hic igitur sensus est, fercula quae vix uni mensae sufficerent, duabus coenis tibi sufficiunt, quum partem eorum, postero die apponendam, non tangi sinas. Eo. P.

9. *Et Veientani.* Vinum Veientanum pessimum erat: rubellum dicitur ab uvis rubentibus. Veii urbs est, Veientes gens hodie *Marteniano*: est aliis, *Civita Castellana.*

10. *Asse Venus.* Lib. II, epigr. 33:

In ius, o fallax atque inficiator, eamus:
Aut vive, aut decies, Scaevola, redde Deis.

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

11. *Inficiator.* Sordidam enim vitam ducens Scaevola decies a Diis se accepisse inficiahatur, et negabat debere se quod promiserat, scilicet se laute victurum. Ed. P.

12. *Vive.* Genialiter ac opipare.

105. — DE SPECTACVLO.*

Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbaeque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quod lupata cervi,
Quod fraenis Libyci domantur ursi,

* Quod Iam multiplici versu contrectavit argumentum, tandem absolvit, scilicet leporum lusus cum leonibus. Ed. P.

1. Heins. emendat, *iuga deligata collo.* Litterae *c* et *g* saepissime permutantur in antiquis codicibus. Sic mutantur *coniugia* et *convicia inter*, et *inger*, etc. — *Picto.* Variis enim maculis distincti sunt pardi. — *Iuga delicata.* Mollia, elegantia, sericis ornamentis ad delicias compacta et ornata; quae quidem facile rumperent pardi, nisi, ut ait Poëta ultimo versu, nossent cui servirent, et imperatoris numen tremabundi venerarentur. Ed. P.

2. *Improbaeque.* Quidquid nimium est, et modum normamque excedit, *improbum* Latinis dicitur; sic *improbus labor* Virgilio, nimis magnus et immodicus. Suetonius *improbius natum* hominem dixit, qui procerae staturae fuit et iustam excedentis. Sic *improbiora labra*, Velio Grammatico, sunt enormia et ultra iustum modum protensa. Sic *improbus color*, pro purpureo, utpote qui excellit et eminet, et super caeteros omnes colores vividus et fulgens, et quasi superbus et caeteros colores infra se positos praegravaoa; sic *improba tegmina pedum*, Valerin Flaccn, de calceis purpureis. Hinc coniice quid per *improbas tigres* intelligat, feritate scil. et saevitia excellentes. *Salmas.*

Indulgent patientiam. Ramiresius sic hunc locum accipit: *Indulgere*, dicit, est dare vel facere aliquid tua voluntate, quod alias poteras negare, si velles. Sic hae tigres, quum possent in flagellatores insurgere et flagella non pati, sua voluntate et reverentia Caesariani numinis, eam patientiam indulgebaot flagello.

4. *Lupata.* Fraena sunt aspera et inaequalia, a lupinis dentibus dicta qui inaequales sunt, et quorum ideo morsus acerrimus.

5. Alii *Quod freno.*

Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quod trahunt bisontes,
Et molles dare iussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro:
Quis spectacula non putet Deorum?
Haec transit tamen, ut minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et securior est in ore praeda;
Laxos cui dare perviosque rictus
Gaudent, et timidos tenere dentes,
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis quum modo venerint iuvencis.
Haec clementia non paratur arte,
Sed norunt cui serviant leones.

6. *Calydon*. Oppidum Aetoliae, hodie *Ayton*, ubi Meleager, Atalanta et delecta iuventotis Graecae manu adiutus, interemit aprum ingentis magnitudinis; vid. lib. Spect. epigr. 15, v. 1 et 2.

7. *Capistris*. Capistrum est lignum quod inseritur equorum collo, dum aratro iunguntur, aut vinculum quo illorum os obstringitur, ne gramen carpant.

8. *Esseda*. Sunt currus Britannici, vel etiam Gallici. — *Bisontes*. Bison fera est, cervi figura, de qua mentio lib. Spect. epigr. 23, vs. 4. — *Turpes* vocat, quia deformes. Vid. Virg. Georg. lib. IV, v. 395. Ed. P.

10. *Nigro bellua non negat* in cod. Arondell. Vid. Gronovium in var. not. de verbo *negare* simpliciter ac sine casu, *non parere* significante. — *Nigro bellua*, etc. Elephantum intellige, quem nigri Aethiopes regunt.

12. *Haec transit*. Sensus est: haec omnia superat leporum lusus per rictus leonum.

13. *Humiles*. Quasi leonibus indignos.

14. *Leporum timor*. Eleganter pro *lepores timidi*.

19. *Frangere*, id est, occidere.

20. *Venerint*. In arenam. — *Stratis iuvencis*. Leones pudet interimere lepores, quum modo iuvencos interemerint.

22. *Cui serviant*. Caesari scil. Domitiano, cuius clementiam, numine eius afflati, referunt; lib. Spect. ep. 17: *Crede mihi, numen sentit et ille tuum*. Et epigr. 32: *Numen habet Caesar; sacra est vis*, etc.

106. — AD OVIDIVM.

In Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosa mores nomenque senecta;
Et, quicquid voluit, testa vocatur anus.

1. Quaedam exemplaria habent *arvis.* — *In Nomentanis.* In Nomentano agro, non procul ab urbe, vineam habebat Poëta, cuius vinum recens quidem insuave, at vetus contendebat cum vino generosissimo. Nomentanum est Latii oppidum; nunc vulgo *Lamentana.*

3. *Mores.* Ingratum saporem.

4. *Quidquid voluit.* Vbi vetustate decoctum maturuit merum Nomentanum, Falerni, Caleni, Massici vini nomen, addito consulis antiquissimi nomine, amphoris inscribi potest. Vid. lib. XIII, epigr. 117. Ed. P.

107. — AD RVFVM. *

Interponis aquam subinde, Rufe,
Et si cogeris a sodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni.
Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Naevia, sobriasque mavis
Certae nequitias fututionis?

* Eumdem Rufum de quo mentio supra epigramm. 69, secum caenantem et parce bibentem, interrogat Martialis an id faciat vires suas reservaturus in noctem a Naevia promissam; quod ubi non esse comperit, hortatur ut vino dolorem obruat. Ed. Par.

1. *Interponis aquam.* Quum merum existimetur Veneris enervare vires, dilutum autem accendere, bibenti hoc Rufo promissam a Naevia noctem suspicatur poëta: quod tamen non erat. Ed. P.

3. *Vnciam.* Duodecimam partem sextarii, id est, unum cyathum. Sextarius enim dividebatur in cyathos XII, ut as duodecim in uncias: estque hic poculorum ordo: Sextarius continet cyathos duodecim; Deunx continet undecim; dextans, decem; dodrans, novem; bes, octo; septunx, septem; semis, sex; quincunx, quinque; triens, quatuor; quadrans, tres; sextans, duos. — *Falerni.* Falernum vinum erat optimum, in Campania, regione Italiae, natum.

Suspiras, retices, gemis: negavit.
Crebros ergo bibas licet trientes,
Et durum iugules mero pudorem.
Quid parcis tibi, Rufe? dormiendum est.

7. *Negavit.* Est hic Poëtae coniectura, qua divinat repulsam Rufi ex eius suspiriis, reticentia, et gemitu. — *Negavit.* Enim vero illa Naevia, quam, si gauderet, si fleret, si taceret, loquebatur Rufus, non una erat tamen, ut ait Noster, supra ep. 69, v. 8. Ed. P.

9. In quibusdam *dolorem.* Vincas scil. vino desiderium, molestiam, et tristitiam contractam ea repulsa. —*Et iugules mero.* Scyphi quippe nati sunt in usum laetitiae. — *Pudorem.* Quae lectio est in antiquis codicibus: pudor enim dicitur ob aliquam rem sordidam timor, ut ait Sipontinus apud Robertum Stephanum in Thesauro Linguae Latinae, ubi adducuntur exempla ex Cicerone. Hoc sensu patet sententia huius versus; quippe Rufus timebat, ne intemperanter bibendo, suae famae suoque corpori noceret. Vel intellige potius *durum pudorem*, tristitiam duram ex pudore contractam, id est, ex ea nocte quam cogeris ducere castam vacuamque. Ed. P.

10. *Dormiendum est.* Tibi soli cubandum in vacuo toro. Sume itaque somni poculum, quoniam amica non ventura sit. Poculum enim Mercurii nomine conceptum sumebatur in conviviis ultimum ad conciliandum somnum, quum tria essent apud Graecos sacra pocula; 1.° Iovis Servatoris; 2.° Boni Daemonis; 3.° Mercurii qui somni praeses. Sic epigr. 72 supra: *Omnis ab infuso numeretur amica Falerno, Et quia nulla venit, tu mihi, somne, veni.*

108. — AD LVCIVM IVLIVM.*

Saepe mihi dicis, Luci clarissime Iuli,
Scribe aliquid magnum: desidiosus homo es.

* Martialem hortabatur Lucius Iulius, ut relictis nugis, altiores capesseret spiritus, carmina vel tragica, vel lyrica, vel etiam epica conditurus. Respondet Poëta: Si me locupletare vis ut Maecenas Virgilium, futurasque meas vigilias tam munifice remunerare, ut nullam aliam quam magnificos versus scribendi habeam curam, scribere paratus sum. Namque, ut ait Iuvenalis, Sat. VII:... *Satur est, quum dicit Horatius: Ohe! Quis locus ingenio, nisi quum se carmine solo Vexant, et dominis Cirrhae Nisaeque feruntur Pectora nostra duas non admittentia curas? Magnae mentis opus, nec de lodice paranda Attonitae, currus et equos faciesque Deorum Adspicere, et qualis Rutulum confundat Erinnys*, etc. etc. Ed. P.

Otia da nobis; sed qualia fecerat olim
  Maecenas Flacco Virgilioque suo:
Condere victuras tentem per saecula curas,
  Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt iuga ferre iuvenci:
  Pingue solum lassat, sed iuvat ipse labor.

3. *Otia da nobis*. Respondet Poëta alludens ad Virgilii eclogam primam, v. 6: *O Melibœe! Deus nobis haec otia fecit.* — *Qualia fecerat*. Maecenas locupletavit Horatium et Virgilium. Vid. lib. VIII, epigr. 56, v. 5: *Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.*

5. Alii legunt *chartas*. — *Curas*. Sic lib. III, epigramm. 20, v. 2: *Vtrumne chartis tradit ille victuris Legenda temporum acta Claudianorum?* Vnde legunt alii *chartas*; sed male. Ed. P.

6. *Et nomen flammis*. Rogi scil. et funeris, id est, superstes ero meae morti, seu, versus meos non peribunt, nempe si mihi otia dederis, etc. Vid. lib. X, epigr. 2, v. 7; vid. quoque Horatium, lib. III, od. ultim.

8. *Pingue solum*. Operosum sane est arare, maxime vero solum pingue; ac fructuosus ille labor placet agricolae; ita difficile quidem est versus non perituros scribere; sin autem merces inde speraretur, arduus ille labor Poëtae esset gratissimus. De significatione verbi *iuvat*, vid. quae diximus supra epigr. 13, vs. 11.

109. — AD GALLVM. *

Est tibi, sitque precor, multos crescatque per annos,
  Pulchra quidem, verum Transtiberina domus.
At mea Vipsanas spectant coenacula laurus:

* Excusat se Gallo quod non mane ad eum salutandum eat, librumque mittit, vicariam operam praestaturum; quum tam longo intervallo separetur Galli domus a domo sua, ut matutinum tempus, ad res agendas aptissimum, sibi pereat, salutatum eunti. Vid. supra epigr. 71. Ed. P.

2. *Verum Transtiberina*. Id est, remotissima; regio Transtiberina, quasi separata a corpore civitatis, a Iudaeis et faece populi frequentabatur. Vid. epigr. 42, supr. v. 3. Ed. P.

3. *At mea Vipsanias* per συνίζησιν legit Ant. *de Rooy*, et infra lib. IV, epigr. 18, *Vipsaniis*. Siquidem M. Agrippa constanti lectione non *Vipsanus*, sed *Vipsanius* dicitur. — *At mea Vipsanas*. Marcus Vipsanius Agrippa, quem ad summos honores evexit Augustus, generumque habuit, aedificavit templum in ho-

Factus in hac ego sum iam regione senex.
Migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem:
Es tanti, vel si longius illa foret.
Sed tibi non multum est, unum si praesto togatum:
Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.
Ipse salutabo decima vel serius hora:
Mane tibi pro me dicat AVERE liber.

norem omnium deorum, quod appellavit *Pantheum*; porticumque addidit lauris obumbratam, quam prope habitabal Martialis. — *Laurus* secundae et quartae declinationis est. — *Coenacula.* Pars aedium ubi coenabatur, *coenaculum* dicla est; erat fere in superiori domo, quae pars superior quum pauperibus inquilinis vulgo locaretur, *coenaculum* sumitur pro vili domuncula. Iuven. Sat. X: *Rarus venit in coenacula miles.* — Non antum boc loco nos docel Martialis se, utpote poëtam, in parvis aedibus habitare, sed infra confirmat, epigr. 118, v. 7: *Et scalis habito tribus, sed altis.* Eo. P.—De coenaculis multa mentio, digest. til. de his qui effuderunl, vel deiecerunt.

5. *Migrandum est.* Migrare proprie est alio ad habitandum ire; ergo sensus est: mibi conducenda est domuncula in regione alia urbis, luae vicina. Vel forsan intelliges, el ex versu sequenti, ubi addit poëta, *vel si longius illa foret*, couiicerem alterum sensum, scil. migratio quaedam est, et quasi in peregrinam regionem longum iter, ex domo mea usque ad luam ire te salutatum.

6. *Est tanti vel si longius aula foret* cilat Langius ex edd. Pulmanni. — *Es tanti.* Diguus es sane cuius causa lam importunum laborem libenler suscipiam. Ed. P.

7. *Sed tibi non multum est.* Sine incommodo luo unus inter tot clienles toga ad te bonorandum indutos, abesse potest; sed non sine magno incommodo meo adesse possum, et tempus inaniter lerere, Musis consecrandum. Ed. P.

9. Legitur in veteri quodam codice apud Ramires. de Prado: *decima te saepius hora.* — *Hora decima.* Tertia ante noctem, bora coenae. Ab ortu solis horae numerabantur. De horis dicemus, lib. IV, epigramm. 8.

10. Pulmannus: *dicet aveto liber.* — *Avere.* Verbum solemne matutinae salutationis. Lib. I, epigr. 56, v. 6: *Et matutinum portat ineptus Ave.*

110. — DE CATELLA PVBLII ET PICTVRA EIVSDEM. *

Issa est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbae.
Issa est blandior omnibus puellis.
Issa est carior Indicis lapillis.
Issa est deliciae catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiamque gaudiumque.
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Vt suspiria nulla sentiantur.
Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit ulla:
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi monet, et rogat lavari.
Castae tantus inest pudor catellae:

* Vt Catullus passerem, Stella columbam, Statius psittacum, sic Martialis catellam Publii Issam celebrat. Ed. P.

1. *Nequior*. Lascivis blanditiis passeris Lesbiae vincit nequitias. Ed. P.

2. *Purior osculo*. In hoc versu et praecedenti Ramiresius artificium poëtae subolet; scilicet eum voluisse tacite insinuare hoc epigramma poëmatio Catulli, de passere Lesbiae, et poëmatio Stellae de columba amicae eius, esse anteponendum. Vide ep. 8 supra, de columba eiusdem Stellae.

7. *Sentit tristitiam*. Sentit tristitiam nempe et gaudium quibus afficitur Publius; non intempestiva festivitate obstrepit dolenti; gaudenti lasciva congratulatur.

8. Franciscus Modius legit ex veteri codice Weidneri: *Collo nexa*, etc. et sic est in Ald. Iunt. Colin. aliis vett. — *Collo nixa cubat*. Collo domini seu gremio innixa dormit.

9. *Suspiria*, etc. Respirationes, quae si crassiores sint et vehementiores, ronchi appellantur.

10. *Ventris* exonerandi.

11. *Pallia*. Erant sive tororum operimenta, ut contendit Raderus, vel vestes quas in lecto Romani induebant. Palliorum usum a Graecis acceperant. — *Non fefellit*. In palliis hospitalem nacta sedem, videtur cum iis quasi pacta esse, ne hospitalitatis iure abuteretur, illa inquinando; datam igitur fidem servat catella, nec pallia fallit. Ed. P.

12. *Suscitat*. Leviter tangit hunc cuius dormit in gremio. Ed. P.

Ignorat Venerem: nec invenimus
Dignum tam tenera virum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam,
Vt sit tam similis sibi nec Issa.
Issam denique pone cum tabella:
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

18. *Pictam Publius, etc.* Ald. Iunt. Colin. Gryph. etc.

20. *Vt sit tam similis.* Hyperbolice dictum.

111. — AD VELOCEM.

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis.

1. *Scribere me quereris.* Praecedenti elegantissimo epigrammati, quod longius videbatur, recte subiicit hoc distichum, quo irridet Velocem quemdam qui nihil prorsus scribebat.

112. — AD REGVLVM.

Quum tibi sit sophiae par fama, et cura Deorum,
Ingenio pietas nec minor ipsa tuo;

1. Scriverius legit: *par cura et fama laborum*, probante Gronovio; quem vide inter var. not. *laborum* quoque Pulmannus. — *Quum tibi sit.* Regulo, de quo mentio est in epigr. 13 et 83 supra, de quo alia est Plinii quam Martialis opinio (vid. lib. II, epist. ult. et lib. VI, epist. 2), miserat Noster librum epigrammatum, et thuris simul libellum. Dona, tam opulento viro humiliora, excusat eorumdem convenientia; quum enim aeque eruditus sit ac religiosus Regulus, qui saepe legit, libris, qui saepe sacrificatur, thure indiget. Ed. P.

2. Gruterus e duobus scriptis: *nec minor ipsa suo*, probante eodem Gronovio. Haec lectio notatur etiam ex codicibus Palat. et Bodl. Sic quoque Pulmannus. — *Ingenio pietas, etc.*

Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
Et qui miratur, Regule, thura dari.

Idem est omnino, sed aliis vestitus verbis sensus, qui iam in praecedenti versu legebatur. Ed. P.

3. *Ignorat, etc.* Qui miratur librum et thus a me tibi mitti, pro xeniis forte, is stolidus est, nec convenientia singulis virtutibus munera scit eligere. — Ne munera mittamus supervacanea, ut feminae arma, rustico libros, praecipit Seneca. Ed. P.

113. — IN PRISCVM.

Quum te non nossem, dominum regemque vocabam:
Quum bene te novi, iam mihi Priscus eris.

1. *Dum te non noram* margo Iunt. apud Editorem P., et recte forsan.

2. *Iam mihi Priscus eris.* Solebant veteres, ut sit Seneca, epist. 3, quoties homini ignoto occurrerent, eum dominum aut regem appellare: sic Priscum appellavit Martialis, ratus eum nobilem divitemque virum esse: sed quis esset ubi intellexit, *Priscum* tantum, sine ulla dignitatis nota, appellavit. — Forsan est alter sensus verbi *novi*; scilicet, aliquid ab illo sperans Martialis pecuniae vel beneficii, regem et dominum vocando ei adulabatur; sed postquam novit hominem esse sordidum et avarum, coepit eum contemnere, nec eius clientem se praebere. Vid. lib. II, epigr. 68, v. 2. Ed. P.

114. — AD LECTOREM, VBI LIBRI SVI VENALES.

Quaecumque lusi iuvenis et puer quondam,
Apinasque nostras, quas nec ipse iam novi,

2. *Apinas.* Id est, nugas meas. Ait Plinius, lib. III, cap. 2, Apinas et Tricas fuisse urbiculas duas in Latio quas Diomedes evertit tam parvo labore, ut earum nomen abierit in proverbium usurpari solitum de rebus nullius pretii et momenti. Similis est origo verbi gallici *Bicoque.* Lib. XIV, epigr. 1, v. 7: *Sunt apinae tricaeque, et si quid vilius istis.* — *Nec ipse iam novi.* Adeo multae sunt et a tempore tam longo scriptae, nec memoris dignae.

Male collocare si bonas voles horas,
Et invidebis otio tuo, lector,
A Valeriano Pollio potes Quinto,
Per quem perire non licet meis nugis.

5. *A Valeriano*, scilic. bibliopola.
6. *Perire non licet.* Quia illas colligit, et in lucem edit vendendas.

115. — AD FAVSTINVM. *

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
 Foenius, et breve rus, udaque prata tenet.
Condidit hic natae cineres, nomenque sacravit,
 Quod legis, Antullae, dignior ipse legi.
Et Stygias aequum fuerat patrem isse sub umbras:

* Immaturam deflet mortem Antullae puellae, cuius pater Foenius Telesphorus vicinus erat Faustini, ad quem hoc scribit epigramma. Faustious in agro Tiburtioo habitabat. Eo. P.

2. *Vdaque prata.* Forsan humida lacrymis; vid. sup. epigr. 89, v. 6. Eo. P. — *Tenet.* Possidet.

3. *Nomenque sacravit.* Solebant Romani tumulo praefigere has litteras D. M. S. id est, Dis Maoibus Sacrum; paulo Inferius inscribebatur H. S. E. *Hic situs est* ..... et addebatur nomen sepulti, cum aliquo elogio. — Sic locus fiebat *res nullius*, id est, ad oemioem pertioere poterat. Vid. Iostit. lib. II, tit. 1. Eo. P.

4. Grooov. eonj. *voverat ipse legi.* — *Dignior ipse legi.* Dignior cuius nomen io tumulo legeretur. Pater eoim, aetate maturior, debuisset ante filiam mori: quum secus accideret, dicebaot Romani hoc fieri *turbato ordine naturae*, vel *fatis male iudicantibus*. Vid. legem 45, Digest. de iooff. testameot. Tamque approbata erat apud Veteres haec opioio, ut (quod io nostris theatris videretur porteotosum) in Alcest. Euripid. filius cootra patrem graviter irascatur, quod pro se mori recuset, quamvis aetate maturior. Eo. P.

5. In Anglicano esse testatur Iunius, *pater iret ut umbras*; hinc Gruter. *iret ad umbras*: Ianus Rutgersius, *ad Stygias aequum fuerat pater isset ut umbras*; et sic erat io codice Heraldi. P. Scriverius, Scaligerum sequutus, *Et Stygias aequus fuerat pater ire sub umbras*; ut sit hellenismus, πατὴρ δίκαιος ἦν ἰέναι: *pater isse sub umbras* in cod. Palat. hoc est, fereos nomen patris filia adhuc superstite. Heraldus cooj. *aequus fuerat pater isse*, i. e. ἄξιος εἰς ᾅδου καταβῆναι, ut sit purus putus hellenismus; vel,

Sed quia non licuit, vivat, ut ossa colat.

Et Stygias acquum fuerat prior isset ad umbras.

6. *Quod quia non licuit* Pulmannus. in multis *vivit;* Palat. habet *vivat;* imprecatur enim vitam longam, ut, agrum colens, subinde impingat in ossa filiae. — *Sed quia non licuit, vivat.* Mori debuit pro filia, si bene iudicassent fata; illa iam perempta, nil interest eum mori; interest potius vivere, ut pium Manibus praestet honorem. Ed. P.

116. — IN PROCILLVM.

Quaedam me cupit, invide Procille,
Loto candidior puella cycno,
Argento, nive, lilio, ligustro:
Iam suspendia saeva cogitabis.
Sed quamdam volo nocte nigriorem,
Formica, pice, graculo, cicada:
Si novi bene te, Procille, vives.

1. *Quaedam, etc.* Irridet Procillum quemdam invidum, quum dicat se cupi a puella candidissima, sed amare aliam nigerrimam. Audito illo priori, summam capiebat Procillus molestiam, ita ut prae moerore se esset suspensurus; audito vero posteriori respiravit. — *Invide Procille.* Producitur syllaba ultima τοῦ *invide* ob duplicem sequentem consonantem, vel potius quod sit imperativum verbi *invide.* Ed. P.

7. *Vives.* Id est, non suspendes te, quum me nigrae puellae amore perditum videas; etenim prae invidia moriturus erat ille Procillus, si didicisset Martialem amari a formosissima puella, quam vicissim redamasset: haec quippe est natura invidorum ut alterius felicitatem doleant, malo autem laetentur; vivit igitur Procillus, quod Martialis in hanc miseriam nigerrimae amicae sit delapsus.

117. — DE AGRO IN ANTVLLAE EIVSQVE FAMILIAE SEPVLCRVM SEPOSITO.

Hoc nemus aeterno cinerum sacravit honore

1. Codex Palatinus exhibet, *sacravit honori.* — *Hoc nemus.* Lucum solebant Veteres addere tumulis, religionis causa. — *Sacravit.* Religiosum fecit, extra hominum commercium posuit, filiae cineres ibi con-

Foenius, et culti iugera pauca soli.
Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro:
Hoc erit Antullae mixtus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo ne speret, agellum:
Perpetuo dominis serviet iste suis.

dendo, suosque et uxoris iubendo condendos. Ed. P.

3. *Cito.* Vid. epigramma 115 supra, vs. 4.

4. *Hoc erit.* Apud omnes populos, semper quoddam fuit pietatis opus ac religionis, quos amicitiae necessitudo viventes iunxerat, eos sepulcri communitate coniungere mortuos. Sic reservanda universae familiae conditoria, ut nunc curant populi recentes, veteres curabant. Ed. P.

6. *Perpetuo dominis, etc.* Ager enim sepulcro destinatus sacer erat, nec alienari poterat, immo nec aliquando sequebatur haeredes. *H. EXT. N. S.* i. e. haeredes externos ne sequatur. Horat. I, Sat. 8: *Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum, Pantolabo scurrae, Nomentanoque nepoti: Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat; haeredes monumentum ne sequeretur.*

118. — IN LVPERCVM.

Occurris quoties, Luperce, nobis,
Vis mittam puerum, subinde dicis,
Cui tradas Epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam?
Non est, quod puerum, Luperce, vexes.
Longum est, si velit ad Pyrum venire,

Lupercus quidam avarus subinde Martialem interrogabat, an vellet mitti ad se puerum cui traderet libellum epigrammaton mutuo, quem lectum remitteret statim. Excusat Martialis longum intervallum a Luperci sede ad suam domum, et indicat ubi hi libelli sint venales.

3. *Tradas.* Commodes. Ed. P.

5. *Vexes.* Longa via fatiges. Ed. P.

6. *Ad Pyrum.* Nomen regionis in qua habitabat Martialis; alii tabernam putant cuius insigne erat Pyrus, et ad quam habitabat Martialis. — Alii legunt *ad pilam*, ut libro V, epigr. 22, vs. 3: *Sed Tiburtinae sum proximus accola pilae.*

Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quaeris, propius petas licebit:
Argi nempe soles subire letum.
Contra Caesaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc et inde totis,
Omnes ut cito perlegas Poëtas.
Illinc me pete; me roges Atrectum:
Hoc nomen dominus gerit tabernae.
De primo dabit, alterove nido,
Rasum pumice, purpuraque cultum,
Denariis tibi quinque Martialem.
Tanti non es, ais? sapis, Luperce.

7. *Et scalis habito.* Hoc est, in coenaculo alto, in tertia contignatione, prope tegulas. Vid. epigr. 119 supra, vs. 3. — *Sed altis.* Hanc particulam *sed*, non mollientem, sed augentem saepe usurpat Noster, ut licet videre lib. II, epigr. 41, vs. 7; et lib. IX, epigramm. 42, vs. 3.

9. *Argi letum.* Tmesis est seu divisio: *Argiletum* est regio urbis, ubi habitabat bibliopola Atrectus.

10. *Caesaris.* Iulius Caesar aream ingentem emit in Vrbe, in qua forum exstruxit.

11. *Scriptis postibus.* In quibus nempe inscripta erant librorum venalium nomina, ut hodie apud nos. — *Poëtas.* Poëtarum omnium nomina uno intuitu videas.

13. *Me roges Atrectum.* Hoc est, me petas a bibliopola Atrecto. — Alii legunt *ne roges*, et intelligunt: ne sit opus rogare alios nomen bibliopolae; Atrectus vocatur.

15. *De primo dabit*, etc. Erant capsae in pluteis bibliothecarum distinctae numeris, quas metaphorice *nidos* vocabant; ordine autem praecedebant libri pretiosiores aut novitate commendati: itaque ut ostenderet suorum libellorum apud Atrectum aestimationem, de primo vel secundo daturum dixit: quos enim parvi faciebant, in ultimis nidis ponebant; patet hoc ex lib. VII, epigr. 17, v. 5: *Hos nido licet inseras vel imo, Septem quos tibi misimus libellos.*

18. *Tanti non es.* Hoc est, tui libri non valent quinque denariis. — *Sapis.* Non tam laudat Lupercum, quam sordes eius et avaritiam irridet. Vid. lib. IV, epigr. 72, in quo Quintum huic Luperco simillimum eodem modo carpit. Ed. P.

119. — AD CAECILIANVM.

Cui legisse satis non est Epigrammata centum,
Nil illi satis est, Caeciliane, mali.

1. *Cui legisse.* Longiorem hunc librum modeste excusat, et Caeciliano petenti plura epigrammata respondet ex mente Callimachi apud Athenaeum, lib. III, cap. 1: *Magnum librum magno malo parem esse.* Numerum autem perfectum ponit 100, quum sint 119.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER II.

MARTIALIS DECIANO SUO S.[1]

Quid nobis,[2] inquis, cum epistola? parumne tibi praestamus,[3] si legimus epigrammata? quid hic porro dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video[4] quare tragoedi epistolam accipiant,[5] quibus pro se loqui non licet. Epigrammata Curione[6] non egent,

1. Epistolam libro praefixurus Martialis Decianum inducit stoicum philosophum (quem lib. I, epigr. 9, 25 et 40, carissimum esse amicum significavit et infra significabit) mirantem quod utatur epistola; quam ille dicit esse lectori molestam, inutilem poëtae, nugis istis indecenter graviorem, et inefficacem ad defendendum Martialem contra Zoilos: Deciani admonitu motus, epistolam breviter claudit. Ed. P.

2. *Quid nobis, etc.* Haec omnia usque ad *reclamant* ex persona Deciani.

3. *Parumne tibi praestamus.* Epigrammata tua legenti duplicem molestumque laborem afferes, si legendam addideris epistolam. Ed. P.

4. *Video quare.* Intelligo cur actores tragoediarum utantur epistola (gallice quasi *prologue, préface*), nempe quia ipsi pro se et per se loqui non possunt; possunt epigrammata, quorum singulum quodque instar esse epistolae nihil vetat.

5. *Accipiant.* Tragoedi et comoedi, sese populo vel principi commendaturi, vel eosdem monituri quidpiam, utebantur epistola quam Curio, id est, praeco, e theatro recitabat. Nam inter fabularum scenicarum leges haec est sanctissima, ne actores quidpiam loquantur quod ad ipsam actionem non spectet, in quo saepe Plautus peccat.

6. *Curione.* Curio proprie est dux curiae; hic significat praeconem: populum Romanum divisit Romulus in tres partes, quas tribus appellavit, tribus singulas in decem curias: tribubus tribunos, curiis curiones, decuriis decuriones praefecit. Sacra sibi propria singulae curiae habebant,

et contenta sunt sua, id est, mala lingua.[1] In quacumque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, et togam saltanti[2] inducere personae. Denique videas,[3] an te delectet contra retiarium[4] ferula. Ego inter illos sedeo,[5] qui protinus reclamant. Puto me hercule,[6] De-

accensos et praecones suos, qui vocabantur quoque curiones. Ed. P.

1. *Mala lingua.* Hoc est, mordaci et libera. — *Epistolam faciunt.* Id est, mentem suam ubique aperire potest epigrammatum scriptor.

2. Legitur et: *in toga saltantem inducere personam*; Ald. Iunt. Colin. Gryph. Iunian. Lang. Pulman. Delph. etc. habent, *et togam saltanti inducere personae*; et sic codd. Cagnaeii; hoc quare Grutero displicuerit quaerit Scriverius. Codd. Gruteri *saltanti* testantur; cod. Scriv. *saltantem*. — *Et togam saltanti.* Gravitatis et dignitatis causa cives romani utebantur toga, qua ridiculum pantomimum indui non convenisset. Idcirco Poëta, lib. VI, epigr. 24, irridet quemdam Carisianum, qui Saturnalium tempore togatus ambulabat, dum alii, positis togis, syntheses inducrent. — Sensus est: Noli versiculis tuis ludicris seriam epistolam praefigere, hoc enim indecorum videtur. Ed. P.

3. *Denique videris*, in aliis.

4. *Contra retiarium ferula.* Id est, inquit Lipsius Saturnalium sermonum lib. I, cap. 15, *Rudis contra tridentem*; rudis autem gladius erat e ligno; retiarius vero tridente ferreo utebatur. Iuv. Sat. VIII, 202: *Movet ecce tridentem.* Idem Lipsius Saturnalium sermonum lib. II, cap. 8. Tridens enim sive fuscina illi, pro gladio. Domitius existimat proverbium hoc dici in eos qui infirmo praesidio contra maxime instructum pugnabant: sic contra obtrectatores epistola defendere se non debuit Martialis, sed epigrammate, quo vehementior erat. Sensus est igitur: Cave ne idem facias ac mirmillo qui contra retiarium bene armatum uteretur ligneo barillo, et debili ferula: hic *ferulae* meminit quia gladiatores recens auctorati, sive mercede, ut depugnarent, conducti, ante quam ferro et solitis armis accingerentur, vapulare solebant ferulis per iocum ab aliis gladiatoribus, quasi pro auspicio, et ut plagis assuescerent. — *Retiarium.* Inter gladiatores duo maxime genera erant insignia: alteri *retiarii* vocabantur, quia rete gerebant, quo involverent caput adversarii; et fuscinam seu tridentem, quo illum reticulo involutum perimerent; alteri *mirmillones* dicebantur, quorum arma erant ensis longior, etc.

5. *Ego inter illos sedeo*, etc. Sicut spectatores confidentiam illius mirmillonis ac temeritatem statim reclamando condemnarent, ita ego te condemno, et quum videro te vinci ab tuis obtrectatoribus tenui duntaxat epistolio munitum, non te tutabor, immo illis me adiungam et favebo. Quum uterlibet gladiatorum ab adversario male mulctaretur, exclamabat populus, urgebatque victum, his verbis victorem accendendo: *Occide, ure, verbera!*

6. *Puto.* Respondet Martialis.

ciane, verum dicis. Quid, si scias,[7] cum qua, et quam longa epistola negotium fueras habiturus? Itaque, quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi pervenient.

7. *Quid, si scias.* Longiorem tibi volui epistolam facere, et quidem si scires quanta eam voluerim esse longitudine, tum etiam magis haec taliaque diceres, nec sane diceres sine iure tuo.

I. — AD LIBRVM SVVM.

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre:
  Sed quis te ferret perlegeretque, liber?
At nunc succincti quae sint bona disce libelli.
  Hoc primum est, brevior quod mihi charta perit.
Deinde, quod haec una peraget librarius hora,
  Nec tantum nugis serviet iste meis.
Tertia res haec est, quod, si cui forte legeris,
  Sis licet usque malus, non odiosus eris.
Te conviva leget mixto quincunce: sed ante,
  Incipiat positus quam tepuisse calix.
Esse tibi tanta cautus brevitate videris?

Excusat huius libri brevitatem qui nonaginta et tria tantum habet epigrammata; et brevioris libelli commoda enumerat; ultimo conqueritur hunc vel ita brevem quibusdam visum iri longiorem.

1. *Ferre.* Priori versu *continere*, sequente *pati* seu *tolerare* significat.

3. *Succincti.* Brevis. Proprie succinctus dicitur is cuius vestes sunt altius praecinctae; quo in habitu expeditiores sumus, et ad omnia facienda promptiores.

4. *Brevior quod mihi charta perit.* Minus insumo et perdo chartae.

5. *Deinde, etc.* Librarius citius transcribet haec, ut melioribus vacet exscribendis.

7. *Si cui.* Si quis est a quo legaris.

9. *Mixto.* Etenim aqua calida vinum diluebant Antiqui. Quincunx autem quinque cyathos continet. *Sed ante.* — Liber meus legetur antequam vinum aqua calida fervens reducatur ad teporem.

11. *Cautus.* Cautus is est, qui praemunitus ad quodvis damnum futurum, ne sibi laedat, est.

Hei mihi, quam multis sic quoque longus eris!

12. *Hei quam multis* in codice Palatino: unde Gruterus censet rescribendum: *Eheu quam multis, etc.*

2. — AD CAESAREM DOMITIANVM.*

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet;
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine, Caesar, eras.
Frater Idumaeos meruit cum patre triumphos:
Quae datur ex Cattis laurea, tota tua est.

* Laudem Domitiani bellicam non semel canit poëta, eumque saepe vocat Germanicum. Ed. P.

1. *Creta.* Insula est posita e regione maris Aegei; hodie *Candie.* Cretenses, quia Mithridati faverant, anno ab Vrbe condita 687, debellavit Metellus, insulamque igni et ferro per triennium vastatam in provinciae formam redegit; inde *Creticus* est appellatus. — *Maius.* Primum bellum Punicum exarsit anno ab Vrbe condita 489, et a Q. Lutatio Catulo confectum est. Secundum anno 536, quod post annos 17 peregit Scipio Africanus maior; tertium anno 605 coeptum, annis quatuor absolvit Publius Scipio Aemilianus, vel Africanus minor: cuius maius quam Metelli nomen est, quum, Carthagine deleta, non unam tantum insulam, sed tertiam orbis partem romano subegerit imperio, et urbis Reginae aemulam sustulerit.

3. *Nobilius.* Domitianus, iuvenis admodum, expeditionem suscepit in Germaniam, teste Suetonio (Domit. cap. 2), neque necessariam neque utilem; ex qua appellationem Germanici ab eo sumptam, nobiliorem dicit poëta, quia Germani mollibus Cretensibus discinctisque Afris sunt bellicosiores; tum quoque quod Domitianus, paene puer, nec, ut Metellus et Scipio, aetate provectior, eam est promeritus; simul denique quod solus victoriam adeptus sit, non, ut frater eius Titus, adiuvante Vespasiano. Vid. Tacit. histor. lib IV. Ed. P.

5. *Frater, etc.* Titus Hierosolymam evertit anno Christi 70; at hoc bellum Vespasianus inchoaverat, et valde promoverat. — *Idumaeos.* Idumaea, regio Palaestinae, inter Arabiam Petraeam et Aegyptum, a qua Iudaei dicti sunt Idumaei.

6. *Cattis*, populis Germaniae ad Rhenum, hodie *la Hesse.* — *Datur laurea.* Vel Domitiano victori, vel potius Iovi Capitolino. Sueton. in Domitiano: *De Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi retulit.* Sil. Italicus, lib. XV, *Laurumque superbam In gre-*

mio Iovis excisis deponere Poenis. Plinius, lib. XV, cap. ult. *Fasces imperatorum decoras. Ex his in gremio Iovis Opt. Max. deponitur, quoties laetitiam nova victoria attulit.* Parta enim victoria, fasces ipsi lauro decorabantur. Atque huc pertinent *fasces laureati*, et *lictores laureati*. Herald.

3. — AD SEXTVM.

Sexte, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

1. *Nil debes.* Qui solvendo non est, nihil debet, quod scilicet nihil auferri possit ab eo qui nihil habeat. Lib. IX, epigr. 103: *Quot tibi non possum solvere, Phoebe, meum est.*

2. *Debet, etc.* Non reddituro credere, non est credere, sed dare. Ed. Par.

4. — IN AMMIANVM.

O quam blandus es, Ammiane, matri!
Quam blanda est tibi mater, Ammiane!
Fratrem te vocat, et soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Quare non iuvat hoc, quod estis, esse?
Lusum creditis hoc, iocumque? non est.
Matrem, quae cupit esse se sororem,
Nec matrem iuvat esse, nec sororem.

3. *Fratrem te vocat.* Fratris et sororis nomine turpitudo tegebatur.

4. *Tangunt.* Grata sunt.

7. *Sororem.* In penultimo versu amicam interpretare; in ultimo intellige proprie, hoc sensu: Nollet esse mater, nec soror, sed uxor.

5. — AD DECIANVM.

Ne valeam, si non totis, Deciane, diebus,
Et tecum totis noctibus esse velim.
Sed duo sunt, quae nos distinguunt, millia passuum:
Quatuor haec fiunt, quum rediturus eam.
Saepi domi non es: quum sis quoque, saepe negaris:
Vel tantum causis, vel tibi saepe vacas.
Te tamen ut videam, duo millia non piget ire:
Vt te non videam, quatuor ire piget.

3 Beverlandi MS. *quae nos disiungunt*, et recte forsan. — *Quae nos distinguunt*. Quae domum meam a tua disiunguot. Ed. P.

5. *Saepe negaris*. Vid. lib. V, epigramm. 22: *Illud adhuc gravius quod te, post mille labores, Paule, negat lasso ianitor esse domi*. Gallice, *Consigner sa porte*. Ed. P.

6. *Tantum causis*. Clientum causis. — *Tibi saepe vacas*. Tuis studiis, vel balneis, coenis, seu valetudini curandae.

6. — AD SEVERVM.

I nunc, edere me iube libellos.
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκώλιον, Severe,
Et longas trahis oscitationes.

Queritur Martialis de fastidio Severi, qui singula ipsius epigrammata, antequam ederentur, assidue laudabat, suisque inscribebat in pugillaribus; mox eadem in librum collecta et edita langnenter oscillanterque legebat. Vide libro V, ep. 80, ad eumdem Severum. Ed. P.

1. *I nunc*. Formula indignantis et insultantis, qua incusat Severum fastidiose legentem quae ipse edenda censuerat. Ed. P.

3. Pulmannus, Langius, Iunius, Delph. etc. legunt ἐσχατοκωλικόν, i. e. *ultimam paginam libelli*. — *Spectas ἐσχατοκώλιον*. Vltimam libri partem (ἔσχατος, *ultimus*; κῶλον, *membrum, pars*). Sensus est: Vix una aut altera pagina lecta, fastidii signa iam ostendis. Nam subinde finem libri spectare impatientia et nimium properantis est.

4. *Oscitationes*. Lassi et somniculosi hominis signum est repandiculans oscitatio.

Haec sunt, quae relegente me solebas
Rapta exscribere, sed Vitellianis.
Haec sunt singula, quae sinu ferebas
Per convivia cuncta, per theatra.
Haec sunt, aut meliora si qua nescis.
Quid prodest mihi tam macer libellus,
Nullo crassior ut sit umbilico,
Si tota tibi triduo legatur?
Numquam deliciae supiniores.
Lassus tam cito deficis viator,
Et quum currere debeas Bovillas,

5. *Relegente*, semel ac iterum tibi cupido *me* legente, antequam ederentur; vel attente composita versante, saepiusque relegente, ut quas incuria fuderat maculas emendarem. Ed. P.

6. *Raptim scribere* Colin. teste Cagnerio. — *Rapta*. Tanta festinatione ut ea rapere videreris. Ed. P. — *Sed Vitellianis*. De illa particula *sed*, vide quae diximus lib. I, epigr. 118, v. 7. Ed. P. — Vitelliani erant pugillares, quibus res amatoriae et lascivae scribebantur. Vid. lib. XIV, epigr. 8. Forsan sic appellati quia inventi aut usurpati a Vitellio imperatore deliciarum amantissimo.

7. *Haec sunt*. Singula epigrammata magni faciebat Severus: in unum vero librum redacta fastidiebat; quod absurdum videtur. — *Sinu ferebas*. Quod ibi proprie dicitur, alias metaphorice sumitur pro *carum habere*. Vid. lib. III, epigr. 5, vs 7. Ed. P.

8. *Per convivia* Vbi nempe recitabantur; lib. VII, epigramma 76, versu 2.

9. *Si qua nescis*. Si tamen quaedam sunt epigrammata, quae nondum legeris, ea sunt, iis quae audisti, meliora.

10. *Quid prodest, etc.* Quid ergo me iuvat, quod curavi ut hic meus liber esset minimae molis et ponderis? Quod ei nullos addidi umbilicos qui, si essent appositi, foret crassior et ponderosior; si totum triduum ponis in eo legendo, quem hora una posses perlegere? Erant in libris umbilici, clavi quidam aerei aut argentei, bullae, ornamenta in modum umbilici facta, quibus extremae libri paginae ornabantur; de illis mentio incidit lib. IV, epigr. 67.

13. *Nusquam* in quibusdam vett. teste Heraldo. — *Numquam, etc.* Qui delectatur, is alacritate quadam se gaudere testatur: nescio an tu legendo meo libello delecteris; sed non verisimile videtur, quum tam oscitanter segniterque tuis fruaris deliciis. Ed. P.

15. *Bovillas*. Vrbs est in Latio. Quasi *boum villa*; ibi enim boves colligebantur ducendi in Vrbem. Plinius, lib. III, cap. 5. Hodie *Babuca*.

Interiungere quaeris ad Camoenas.
I nunc, edere me iube libellos.

16. *Interiungere.* Significat iumenta solvere a iugo. Lib. III, epigr. 67: *Exarsitque dies, et hora lassos Interiungit equos meridiana.* Seneca, *de Tranquillitate Vitae*: « Quidam interiunxerunt, et in pomeridianas operas aliquid levioris operae distulerunt. » Sensus est: non uno decursu perlegis tenuem librum, sed haeres et subsistis in itinere. — *Camoenas.* Templum Camoenarum erat Bovillas inter et Vrbem, ad portam trigeminam. Sensus est: eos imitaris, qui quum possint cursu uno nec interrupto brevem inter Romam et Bovillas viam conficere, ad templum Camoenarum sistunt, quasi defessi.

7. — IN ATTALVM.

Declamas belle; causas agis, Attale, belle;
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos, epigrammata belle;
Bellus grammaticus, bellus es astrologus.
Et belle cantas, et saltas, Attale, belle.
Bellus es arte lyrae, bellus es arte pilae.
Nil bene quum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

1. *Declamas.* Declamatio est domestica exercitatio et umbratilis, quo in genere pueri apud magistros exercentur. Notum discrimen inter declamatorem et oratorem: orator veras causas, declamator fictas agebat.

3. *Mimos.* Poëmata ridicula, in quibus solus risus quaerebatur.

8. *Magnus es ardelio.* Proverbialiter appellantur ardeliones, qui circa omnia volitant, nullibi pedem figunt, et in nihil agendo toti occupati sunt. Hoc nomen alii deducunt ab *ardore* et impetu tentantis multa, nihil vero perficientis; alii ab *ardeola* ave, quae saepissime diu alas quatiens, in aëre veluti pendet, nec loco movetur. Ardeliones lepide carpit Phaedrus lib. II, fab. 4.

8. — AD LECTOREM.

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis,
  Sive obscura nimis, sive latina parum;
Non meus est error: nocuit librarius illis,
  Dum properat versus annumerare tibi.
Quod si non illum, sed me peccasse putabis;
  Tunc ego te credam cordis habere nihil.
Ista tamen mala sunt. Quasi nos manifesta negemus!
  Haec mala sunt; sed tu non meliora facis.

3. *Librarius.* Poëtae versus, quos in taberna venderet bibliopola, transcribebant librarii, et prae nimia festinatione menda plura faciebant, versus quippe aliquando integros praeteribant, aut loco mutabant. Est et alter sensus; Raderus existimat librarium hunc sua propera festinatione adeo Martialem ursisse, ut ipse nimis properaret, sicque multa, non dato ad emendandum spatio obscura et parum latina inculcaret; quem sensum omnino reiicit Ramiresius, tum quia non diceret Martialis, *non meus est error*; tum quia librarii servi erant bibliopolarum, poëtarum carmina in multa exemplaria transcribentes; ergo non librarius, sed bibliopola poëtam urgere poterat. Iudicet lector.

6. *Cordis habere nihil.* Esse parum candidum et male cordatum, me peccante peiorem.

7. *Ista tamen.* Instat lector: Sed tui versus mali sunt, nec librarii vitio, sed tuo. — *Quasi nos manifesta.* Respondet Poëta, malos quidem esse suos versus, sed ab ipsis censoribus elegantiores non componi. Simili modo se defendit Martialis contra Velocem, lib. I, 3: *Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa. Ipse nihil scribis; tu breviora facis.* Ed. P.

8. *Haec mala sunt.* Simili modestia sua multis in locis deprimit carmina. Sic lib. I, 114: *Quaecumque lusi iuvenis et puer quondam, Apinasque nostras quas nec ipse iam novi, Male collocare si bonas voles horas, Et invidebis otio tuo, lector,* etc. Eodem libro, epigr. 119: *Cui legisse satis non est epigrammata centum, Nil illi satis est, Caeciliane, mali.* Lib. II, epigr. 1, at 8: *Sic licet, usque malus, non odiosus eris.* Lib. IV, epigr. 10, v. 5: *Comitetur punica librum Spongia, muneribus convenit illa meis.* — *Non meliora facis.* Non absimili sensu versus ille gallicus notissimus:

La critique est aisée, et l'art est difficile.
Ed. P.

9. — DE NAEVIA.

Scripsi, rescripsit nil Naevia, non dabit ergo.
Sed puto, quod scripsi, legerat: ergo dabit.

1. Alii: *nil dabit ergo*, vel *non dabit ergo? — Non dabit.* Sui copiam.

2. *Legerit* vett. nonn., probante Heraldo. — *Legerat.* Epistolas enim ab amatore missas quum legit puella, se non inexorabilem fore indicat. Ovid. Art. Am. lib. I: *Legerit et nolit rescribere: cogere noli: Tu modo blanditias fac legat usque tuas. Quae voluit legisse, volet rescribere lectis. Per numeros venient ista gradusque suos.*.

10. — IN POSTHVMVM.

Basia dimidio quod das mihi, Posthume, labro,
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.
Vis dare maius adhuc, et inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum, Posthume, dimidium.

1. Aliae, *quae das.*

2. *Dimidium.* Sic quartam osculi partem habebo tantum, qua ero contentus, immo beatus nulla.

3. *Vis dare.* Lege versum sequentem, et videbis hoc maius quod *daturus* sit Posthumus, esse *non dare* oscula, sed sibi habere. Ed. P.

4. *Dimidium.* Dimidium dimidii, osculi quartam partem. Cur misellam hanc osculi particulam recuset noster, Ipse docet infra, epigr. 12: *Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper: Posthume, non bene olet, qui bene semper olet*: et inde epigr. 21: *Basia das aliis, aliis das, Posthume, dextram: Dicis: Vtrum mavis? elige: malo manum.* Vide quoque epigr. 12 et 21 infra. Ed. P.

11. — AD RVFVM DE SELIO COENIPETA.

Quod fronte Selium nubila vides, Rufe,

Vt Menogenem, lib. XII, epigramm. 84, sic Selium coenipetam, de quo infra erit mentio epigr. 14 et 27, deridet Martialis moerentem, quod domi coenare cogatur. Ed. P.

1. *Fronte nubila.* Tristitiae nube velut obducta. Ed. P.

Quod ambulator porticum terit serus;
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus;
Quod paene terram tangit indecens nasus;
Quod dextra pectus pulsat, et comam vellit;
Non ille amici fata luget, aut fratris:
Vterque natus vivit, et precor vivat:
Salva est et uxor, sarcinaeque, servique:
Nihil colonus, villicusque decoxit.
Moeroris igitur causa quae? domi coenat.

2. *Porticum.* Porticum Europes, in qua ambulabat mane Selius, a Romanis in campo Martio sese exercentibus invitationem sperans, in quam vespere redibat, ut ait Poëta, epigr. 14 infra, v. 15: *Si quis ibi serum carpat amicus iter.* Ed. P.

3. *Lugubre quiddam, etc.* In vultu suo Selius, tacendo prae se fert lugubre quiddam: vultus piger dicitur, quia inest in tristitia lentum aliquid et pigrum.

4. *Quod paene terram tangit, etc.* Gallice, *Il a un pied de nez.* Ed. P. — Qui prae pudore et tristitia oculos ac vultum deiiciunt, illis nasus demittitur, et apparet longior; ac forte isti Selio iam erat per se bene longus.

8. *Sarcinaeque.* Supellex domestica: sensus est: Nihil illi fures abstulerunt.

9. *Colonus.* Qui agrum conductum et alienum colit. — *Villicus.* Qui villae curam habet. — *Decoxit.* Perdidit, damni dedit. Metaphora ducitur ab iis liquoribus qui quum imponuntur igni, absumuutur sensim et minuuntur. Decoquere est aliquando *faire banqueroute.*

10. *Moeroris igitur causa quae est?* vett. nonn. ex codd. — *Domi coenat.* Quod homini avaro, aut lautitias alienas avide sectanti est magna calamitas, et quasi morbus cui *domicoenium* nomen confictum a Poëta. Vid. lib. V, epigr. 78, v. 1: *Si tristi domicoenio laboras.* Ed. P.

12. — IN POSTHVMVM.

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,
Quodque tibi est nunquam non alienus odor?

2. *Quodque tibi est semper* Ald. Iun. et Colin.

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:
Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

3. *Hoc mihi suspectum est.* Sic carpit Posthumum, qui animae suae foetorem atque oris spurcitiem unguentorum accito odore dissimulare conabatur.

4. *Non bene olet.* Naturaliter. — *Qui bene semper olet.* Per industriam odoribus semper unctus suavibus. Sic lib. VI, epigramm. 55: *Malo, quam bene olere, nil olere.* Ed. P.

13. — AD SEXTVM.

Et iudex petit, et petit patronus.
Solvas, censeo, Sexte, creditori.

1. *Et iudex petit.* Nolentem solvere debita Sextum carpit, simul et Romanos iudices, qui pecuniam a litigantibus extorquerent. Praestat ergo, inquit Poëta, absque hac lite uni creditori satisfacere, quam tribus, iudici, patrono, et creditori, si causa cadis; saltemque duobus, si causam obtines.

14. — AD PAVLINVM DE SELIO COENIPETA.

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Coenandum quoties iam videt esse domi.
Currit ad Europen; et te, Pauline, tuosque

Selium coenipetam de quo iam mentio sup. epigr. 11, iterum deridet, in quaerendis vocationibus ut sodales Catulli (Catul. epigr. 48) diligenter occupatum; et celebriora urbis loca toto die lustrantem, si forte in maximo civium concursu convivatorem inveniat. Ed. P.

3. *Currit ad Europen.* Scilicet ad campum Martium; in quo porticus plurimae picturis insignes, inter quas erat una, Europe dicta, quia visebatur in ea imago Europes a Iove in taurum converso raptae. Strabo, lib. V: Πλησίον δ' ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου καὶ ἄλλο πεδίον, καὶ στοαὶ κύκλῳ παμπληθεῖς, καὶ ἄλση, καὶ θέατρα τρία, κ. τ. λ. *Prope hunc campum (Martium nempe), alius est campus, porticusque circumcirca permultae, tum luci, theatra tria, etc.* — *Te Pauline, tuosque.... etc.* Paulinus, ut caeteri Romani (lege Strabonem loco citato), in campo Mar-

Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
Si quid Phillyrides praestet, et Aesonides.
Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Assidet et cathedris, moesta iuvenca, tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis;

tio cursu se exercebat, et saltu. Huic igitur Paulino, ut ab eo invitetur ad coenam, adulatur sine fine Selius, eum a pedum celeritate laudando, Achillique conferendo. Ed. P.

5. *Si nihil Europe*. Si nullum illic reperiat a quo invitetur, se confert ad Septa. — *Septa*. Erat pars campi Martii, sudibus et cancellis inclusa instar caularum, quam ob causam *Ovilia* iste locus etiam appellabatur (vid. Iuv. Sat. VI, v. 528). In eo includebatur centuria quaelibet aut tribus populi romani, quum darentur suffragia, ut tumultus vitaretur. Comitiis vero solutis occupabant hunc locum mercatores, adeo ut ibi propter perpetuas quasi nundinas, ingens esset hominum celebritas.

6. *Phillyrides*. Chiron scilicet. Prope Septa templum erat Neptuni, iustaque pulcherrima porticus in qua Argonautarum fabula miro artificio erat depicta: inter Argonautas vero fuit Chiron Neptuni et Phillyrae filius, et Iason ab Aesone procreatus, unde Aesonides dicitur. De his picturis fuse agit Plinius, lib. XXXV, cap. 10.

7. *Memphitica*. Hoc est, Aegyptia: Memphis urbs Aegypti clarissima, de qua lib. Spect. epigr. 1, v. 1. Iuv. Sat. VI, 530: *Vt spargat in aede Isidis, antiquo quae proxima surgit Ovili*. Hoc est, prope Septa, in campo Martio, erat templum Isidis. Hoc Tiberius everterat, sed vel nomen loci manebat, vel ab alio imperatore fuerat instauratum.

8. *Moesta iuvenca*. Io, ut legitur apud Ovid. Met. I, Inachi fluvii filia, a Iove fuit compressa, et in vaccam deinde mutata, ut odio Iunonis eriperetur, quae Argum centum oculis praeditum ad custodiendam pellicem commiserat, transiit in Aegyptum, ubi regi Osiridi nupsit. Vid. Strabonem lib. XVII. Reineccius, de Argivorum origine et nomine, sic ait: Ex Iaso rege nascitur Io, quae destinata Iunonis sacerdotio, seu Phoenicum raptu, seu spontanea migratione, ad Aegyptum appellit, ubi Telegono matrimonio iuncta Epaphum parit, et novo Isidis nomine honoratur. Cognomentum Isis in Io repetitum propter eius merita et virtutem: nam quae prima id habuit, cum Osiride, quod nomen aliqui a Mizraim gentis conditore propagant, fuisse scribitur. Vnde postea Antonius, quum se Osiridem nominaret, Cleopatram Isidem dixit. — *Moesta*. Assidebat Selius scamnis positis in templo Isidis, quae moesta dicitur ob virum Osirim amissum et inventum tandem apud Phialam laceratum, cuius mortem ita deflevit, ut suis lacrymis Nilum auxerit, teste Pausania in Phocicis.

9. *Centum columnis*. Alii porticum Vipsanam de qua lib. I, epigr. 109, v. 3, et lib. III, epigr. 21, 10. Alii Corinthiam Cn. Octavii fuisse existi-

Illinc Pompeii dona, nemusque duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Aeoliamque Lupi:
Nam thermis iterum cunctis iterumque lavatur.
Omnia quum fecit, sed renuente Deo,
Lotus ad Europes tepidae buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, perque tuam, vector lascive, puellam,
Ad coenam Selium tu, rogo, Taure, voca.

mant. De verbo *pendentia*, vid. lib. Spect epigr. I, v. 5.

10. *Illinc Pompeii.* Porticum Pompeiam intellige. Vide Plinium, lib. XXXV, cap. 10. Ovid. Art. Am. lib. I: *Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.* — *Nemusque duplex.* Vide locum Strabonis supra citatum, ubi agit de lucis. Alii intelligunt duos Pompeii hortos, superiorem nempe et inferiorem, de quibus Cicero pro Milone.

11. *Fortunati.* Qui fuit balneator quidam ignobilis, sicut Faustus.

12. *Nec Grylli.* Cuius tenebrosa erant balnea. Vide lib. I, epigr. 60, v. 3. — *Aeoliamque.* Balnea sane habuit Lupus eo in loco, ubi ventus flaret vehementissimus, unde vocat *Aeoliam* a regia Aeoli, regis ventorum.

13. *Thermis.* Thermae balnea calida sunt. Vid. epigr. 78 infra. In thermis proprie sudabatur, ut in balneis lavabatur.

14. *Renuente Deo.* Iove, seu quovis deo, non favente, vel irato Genio.

15. *Lotus.* In plurimis enim thermis otiose se lavit, convivatorem quaesiturus. Ed. P. — *Tepidae.* Tepidam vocat Europen, seu Europes porticum (sup. v. 3), quia ardore solis post meridiem tepebant buxeta prope eam posita. Vid. lib. III, ep 20, vs. 12 et 13. Illic post meridiem plerique apricabantur.

17. *Per te, etc.* O Iupiter, qui tauri induisti formam, rogo te per te et Europam tuam, interfice hunc Selium, ut apud te coenet. Alludit autem ad morem Graecorum, qui dicebant coenaturos eos apud inferos, qui morituri essent. Nota est Leonidae vox animosa: *Pergite animo forti Lacedaemonii, hodie apud inferos fortasse coenabimus.*

15. — IN HERMVM, MALE OLENTEM.

Quod nulli calicem tuum propinas,

1. *Quod nulli, etc.* Habebant veteres, honoratiores maxime, in conviviis peculiares suos calices, quos aliis interdum propinare, humanitatis erat: contrarium superbiae. Invertit hoc Poëta collaudando Hermum,

Humane facis, Herme, non superbe.

quasi hoc ab illo humane factum sit, ne scilicet compotores halitu foetido et spurco offenderentur, quod acute lectori relinquit inferendum. — *Propinas.* Propinare est proprie, praegustato leviter vino, poculum alteri offerre. Vide lib. III, epigramm. 82, v. 31.

2. *Humane facis.* Eodem morbo enim laborabant Hermus ac Manneia, lib. I, epigr. 84; Posthumus, lib. II, epigr. 10, 21, 22 et 23; Sabidius, lib. III, epigr. 17; Nestor, epigr. 28 eiusdem libri, nec non alii pluribus locis passim. Ed. P.

16. — IN ZOILVM, AEGRVM SE SIMVLANTEM.

Zoilus aegrotat: faciunt hanc stragula febrem.
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus a Nilo, quid sindone cinctus olenti?

Zoili animi morbum irridet, qui ostentandae supellectilis causa corporis morbum simulabat; eumdem carpit lib. V, epigr. 79, quod sudorem simulans subinde in coena mutaret vestes. Eiusdem argumenti est epigr. 59, lib. VI, de Baccara hibernas tempestates et frigora optante, ut gausapinas vestes sumere posset.

1. *Zoilus.* Invidi, obtrectatores, ostentatores, *Zoili* dicti sunt, a Zoilo quodam, qui iniuriosos quondam in Homerum scripsit commentarios. Aelian. var. hist. lib. XI, cap. 10. — *Faciunt hanc, etc.* Febrem simulat, stragula et alias lecti opes invisentibus ostentaturus. — *Stragula* (a verbo *sterno* dicta) esse aulaea et tapetia quibus lectus insternitur, confirmant epigr. 147 et 148, lib. XIV. Ed. P.

2. *Coccina quid facient?* Quid prodessent cocco tincta stragula, quae nemo cerneret? Coccus granum quoddam est, ex quo aqua maceratο fit color eximii ruboris.

3. Rutgersius, var. lect. lib. VI, cap. 2, legendum autumat: *Quid Sidone cinctus olenti?* Coniicerem: *Sindone tectus olenti.* — *Quid torus a Nilo?* Torus e lino Aegyptiaco et Alexandrina pluma factus. — *Sindone cinctus olenti.* Quid faciet torus Aegyptiacus, cinctus sindone odorata? — *Sindon* vestis quaedam erat, calorem fovens, ut videtur ex lib. IV, epigr. 19, v. 12, eademque pretiosissima. Bayfius de re vestiaria: Sindon, inquit, est amictus ex lino Aegyptiaco, sic dicta, ut opinor, quia primum in Sidone urbe huiusmodi amictus fieri coepit. Ob id Tyria dicta epigr. supra citato. *Sidone.* Zoilus, ut apparet, ex delicata luxuriosaque illa veste lintea toralia confici iusserat. — Sed in hoc loco maxime variant interpretum sententiae. E. P. — *Sindone tinctus.* Ramiresius *Sidones* putat esse vestes quibus induebatur Zoilus, quasque lecto straverat eas ostentaturus; qui mos, ut ait, erat Romanorum; idem putat verbum *tinctus* esse substantivum nomen, et

Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes,
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

per hypallagen *Sindone tinctus olenti* accipi debere pro *Sindon tinctu olenti*. — *Sindone cinctus*. Petitus sic hunc locum exponit: Zoilum scilicet voluisse opes suas, non tantum in stragulis purpureis et toro Nilotico; sed etiam in fasciis, quibus obligabatur e Medicorum imperio; eas appellans *sindones*, et quidem *olentes*, e murice scilicet. Intelligitur etiam sindonis nomine linteum, quo involvebantur qui tonsoribus operam dabant, ut etiamnum hodie fit. — Legit Scriverius *Sidone tinctus olenti*, id est, purpura Sidonia tinctus; quae olens dicitur, quia recentis purpurae gravis est odor.

5. *Machaonas*. Medici sic dicti sunt a Machaone, filio Aesculapii, nobilitato ab Homero cum fratre Podalirio.

6. *Vis fieri sanus*. Ad mentem et ad corpus refer. Vide lib. VI, epigr. 84. — *Sume mea*. Quoniam ea ostentare non cupies, sunt enim vilissima; atque ita fies sanus; hoc est, non fovebis leclulum, aegrum te simulans.

17. — AD AMMIANVM, DE TONSTRICE MOECHA ET AVARA.

Tonstrix Suburrae faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique letum multus obsidet sutor.

Tonsorum tabernae vera erant hominum otiosorum conciliabula, ut ex multis Terentii, Plauti et Theophrasti locis apparet. Hac frequentia abutentem quamdam moecham tonsoris uxorem, ut adolescentium pecunias corraderet, deridet Martialis in ambiguitate verbi *radere* ludens. Ed. P.

1. *Tonsor Suburae* Pulmannus. — *Suburrae*. Suburra regio fuit urbis frequentissima, sic dicta (Varro, lib. IV, de lingua latina), quia sub antiquis urbis moenibus, id est sub muro terreo Carinarum erat posita; quasi *suburbana*, per contractionem. Idem observandum de *Summoenio*. Meretrices dicebantur uxores Suburranae, vel Summoenianae. — *Faucibus sedet primis*. In primo aditu habet officinam.

2. *Cruenta pendent, etc.* Ubi est domus tortoris publici, maleficos loris plectentis. Forsan prope templum Apollinis tortoris, de quo mentio apud Suetonium, Octav. August. 70.

3. *Argique letum*. Et Argiletum. — Argiletum erat regio urbis, bibliopolarum sutorumque tabernis frequens, haud procul theatro Marcelli, a quodam Argo, duce Argivorum dicta, qui ab Evandro exceptus hospitio, quum in affectati regni suspicionem venisset, ab Arcadibus, in-

Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet.
Non tondet, inquis? ergo quid facit? radit.

scio Evandro, interfectus est; cui postea Evander tumulum erexit, quem de nomine eius Argiletum appellavit.

4. *Non tondet.* Moecha nempe, quae nec capillos, nec barbam, sed adolescentum pecunias radebat, id est, eorum marsupium emungebat.

18. — IN MAXIMVM.

Capto tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, coenam:
Tu captas aliam: iam sumus ergo pares.
Mane salutatum venio; tu diceris isse
Ante salutatum: iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis;
Tu comes alterius: iam sumus ergo pares.
Esse sat est servum: iam nolo vicarius esse.
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

Vt infra Pontico, epigr. 32, hic Maximo valedicit, cuius cliens fuerat; et causam reddit, quod Maximus ipse cliens esset alterius et coenipeta etiam: quo nomine parem dicit utrumque esse; et tandem concludit non debere clientem alterius esse, qui vult habere clientes. *Ramires.*

1. *Capto tuam, etc.* Ego te pro rege meo et patrono salutabam, comitabar, prosequebar, coenam hinc promeriturus, neque negabo me hinc coenam captare: sed et te video eadem obire officia (namque hoc faciebant potentiores. Iuven. Sat. 1, vs. 117). Quocirca, quum tibi par sim, renuntio tuae clientelae, nolo esse cliens clientis, etc.

5. *Anteambulo* is dicitur, qui praecedit alium, et quasi viam illi sternit, quod erat quoque clientium. — *Regis.* Potentiores amicos reges appellari a clientibus confirmant epigr. 113, lib. I, v. 4; epigr. 7, lib. III, v. 5; epigr. 19, lib. V, vs. 13; epigr. 22, lib. V, vs. 14, etc. Eo. P.

7. *Vicarius.* Vicarius, seu ordinarius servus, erat in alterius servi potestate et peculio ex domini voluntate constitutus et obnoxius.

8. *Qui rex est.* Hoc est, qui dominus est, non serviat alteri domino, seu regem non habeat. Epigramm. 32 infra: *Non bene, crede mihi, servo servitur amico: Sit liber, dominus qui volet esse meus.*

19. — AD ZOILVM.

Felicem fieri credis me, Zoile, coena:
Felicem coena, Zoile? deinde tua?
Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, coena facit.

1. *Felicem fieri, etc.* An putas me coenarum captatorem, praesertim tuae? Falleris; nullius coenam, minime vero tuam capto, in qua tot fastidia sunt ferenda (vid. lib. III, epigramm. 82), ut ad tuam mensam recumbere tantum possit sordidus famelicusque stipis mendicator. Eo. P.

2. *Coena tua.* Eodem omnino sensu de eodem lib. III, epigr. 82: *Conviva quisquis Zoili potest esse, Summoenianas coenet inter uxores, Curta qui Ledae sobrius bibat testa, etc.* Eo.P.

3. *Debet Aricino.* Aricia in Via erat Appia centum et sexaginta stadiis ab urbe Roma in clivo sita. Strabo lib. V. Ibi erant multi mendici, ob celebritatem viae, et hominum commeantium frequentiam. Iuv. Sat. IV: *Coecus, adulator, dirusque a ponte satelles, Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.* — *Recumbere.* Ludit in verbo *recumbere*, quod humi iacere, et mensae accumbere significat.

20. — DE PAVLLO.

Carmina Paullus emit: recitat sua carmina Paullus.
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

2. *Nam quod emas.* Vid. lib. I, epigr. 30, v. 4, et lib. VI, epigr. 12: *Iurat capillos esse, quos emit, suos Fabulla: numquid, Paulle, peierat? nego.* Nam qui emit, rei emptae acquirit dominium. Festive plagiarium quasi excusando carpit.

21. — IN POSTHVMVM.

Basia das aliis; aliis das, Posthume, dextram.
Dicis, Vtrum mavis? elige: malo manum.

1. *Das dextram.* Quam tangant alii, nempe velut fidei et amicitiae pignus, Horat. lib. 1, Sat. 9, v. 4; vel quam osculentur; quod tamen soli imperatores et quidem superbi facere solebant. Suetonius in Domitiano, cap. 12.

2. *Malo manum.* Quam basia tua male olentis; epigr. 10 et 12 supra, et infra 22 et 23, in quibus de eo-

dem Posthumo eadem est irrisio. Epigr. 40 huius libri : *Basia dimidio quod das mihi , Posthume , labro , Laudo ; licet demas hinc quoque dimidium. Vis dare maius adhuc et inenarrabile munus ? Hoc tibi habe totum , Posthume , dimidium.*

22. — AD APOLLINEM DE EODEM.

Quid mihi vobiscum est, o Phoebe, novemque sorores?
  Ecce nocet vati Musa iocosa suo.
Dimidio nobis dare Posthumus ante solebat
  Basia ; nunc labro coepit utroque dare.

1. *Phoebe , etc. ...* » Numina cultori perniciosa suo. » Ovid. II Trist.

2. *Ecce nocet , etc.* Antea enim me leviter notum dimidio basio parce ac obiter salutabat ; iam ex carminibus notiorem ore toto me amicitiae causa osculatur , et foetentem mihi mephitim exhalat. O famam mihi exitialem ! Vid. supra epigr. 10 , 12 et 21. — Vel intellige Posthumum hoc fecisse se ulciscendi causa (vid. infra epigr. 23) , contra iocosam Musam iratum. Ed. P.

23. — DE EODEM.

Non dicam, licet usque me rogetis,
Quis sit Posthumus in meo libello,
Non dicam: quid enim mihi necesse est
Has offendere basiationes,
Quae se tam bene vindicare possunt?

3. *Quid enim.* Causam reddit cur verum nomen ficti huius Posthumi non proferat ; quod nempe , inquit , sub amicitiae specie libans mihi oscula male olentia , de me poenas et quidem acerbissimas sumeret. Vid. lib. VII , epigr. 95 , v. 4 et 5. Ita Artemona illa apud Plautum in Asinaria : *Nam si domum redieris hodie , osculando ego ulciscar potissimum.* Quum prius dixisset Demaenetus , *malle sa nauteam bibere , quam illam osculari.*

4. *Has offendere basiationes.* Hunc basiatorem laedere, et mihi praestare inimicum.

24. — IN CANDIDVM.

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,

Improbus amicitiae affectator fuit, miseriarum communitatem Martiali assidue iactitabat inter amicos Candidus , cui semper in ore κοινὰ φίλων πάντα , quamdiu miser ipse esse servandam. Quem autem divi-

Squalidus haerebo, pallidiorque reo.
Si iubeat patria damnatum excedere terra,
Per freta, per scopulos exsulis ibo comes.
Dat tibi divitias: ecquid sunt ista duorum?
Das partem? multum est, Candide; das aliquid?
Mecum eris ergo miser: quod si Deus ore sereno
Annuerit; felix, Candide, solus eris?

tem factum interrogat nunc Martialis, an bonorum quoque laudet inter amicos communitatem? quam commonitionem surdis auribus accipit Candidus, ut infra patet ex epigr. 43. Ed. P.

1. *Si det iniqua, etc.* Quatuor hos primos versus, cum Farnabio, sed contra omnes alios interpretes, Candido censeo tribuenda, magnifica pollicenti, quamdiu miser fuit ipse, nec erat occasio promissa explendi. Ed. P. — *Tristem reatum.* Si te sors iniqua reum fecerit.

2. *Squalidus haerebo.* Hoc est, si reus factus fueris, ego mutata veste sordidatus quocumque te comitabor: rei enim, eorumque amici, clientes ac propinqui, lugubrem et sordidam vestem induebant, ut iudices ad misericordiam commoverent.

5. *Dat tibi divitias.* Hic respondet Martialis: Non sum exsul aut reus, sed pauper, utpote poëta: qui miseriarum communitatem subinde laudabas, nunc me bonorum fac participem, quum tibi fortuna arriserit. Ed. P. — *Ecquid, etc.* Cur non divitias, ut miserias duorum esse censes? Ed. P.

6. *Das partem: multum est, Candide, etc.* in edd. vett. — *Das partem?* Num mihi das partem dimidiam? Neque haec iniqua esset postulatio, apud eum qui se mihi toties ingesserat adversarum rerum socium! nimium est, inquis: esto; num das aliquid? Minime vero, ne teruncium quidem.

7. *Mecum eris ergo miser.* Tu mecum vis esse miser; me tecum felicem esse non vis, si dexter tibi affulserit vultu placido Mercurius. Hoccine aequum est? Ed. P.

25. — AD GALLAM.

Das nunquam, semper promittis, Galla, roganti.
Si semper fallis, quum rogo, Galla, nega.

2. *Si semper fallis.* Facete iocatur Poëta, et Gallam irridet, quae si pollicita semper decipiat, quum negaverit, dabit. Quoniam ita lubricae seu praepostérae est fidei, ut contrarium semper faciat iis quae promisit.

26. — AD BITHYNICVM.

Quod querulum spirat, quod acerbum Naevia tussit,
Inque suos mittit sputa subinde sinus:
Iam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras: blanditur Naevia, non moritur.

1. *Quod acerbum.* Tussis enim signum vicinae mortis. Vide lib. I, epigr. 2.
2. *Inque suos.* Quasi prae imbecillitate longius spuere nequiret.
3. *Rem factam.* Lucrum factum ex vetulae haereditate. Ed. P.
4. *Blanditur Naevia.* Te vana spe lactat nec moritura, immo diutius victura te haeredem appellat. — *Blanditur.* Tibi sic grata esse conatur, ut eam ducas uxorem deceptus, et brevi morituram existimans. Ed. P. — Alii intelligunt: *delicias facit.* Quidam tussiendi et screandi rationem quamdam adamant, affectantque, ut delicati et blandi videantur: ita tussit Naevia, ut tibi magis placeat.

27. — DE SELIO COENIPETA.

Laudantem Selium, coenae quum retia tendit,
Accipe, sive legas, sive patronus agas.
Effecte! graviter! cito! nequiter! euge! beate!
Hoc volui! facta est iam tibi coena: tace.

De eodem Selio, vid. sup. epigr. 11 et 14.

2. *Accipe.* Animadverte quantis plausibus, quum coenam tuam aucupatur, te laudet Selius, carmina vel libellos recitantem, vel causas agentem!

3. Vett. nonn. *Effocte*, quod retinendum censet *Ramires de Prado.* *Effecte* a codice suo attulit Gruterus; unde Pulmannus conj. *Affecte*, quod placet Radero. Pro *nequiter*, alii legunt *naviter.* — *Effecte.* Hoc verbum pro *perfecte* sumi confirmant Apuleius, lib. II, Florid. *Vel inde ante aram Bathylli statua a Polycrate tyranno dicata; qua nihil videor effectius cognovisse*; et Amm. Marcellinus, lib. XVI: *Sed tamen quum haec effecte pleneque colligeret, etc....* Legit *effoete* Ramiresius, et sic explicat: Effoeta dicuntur, quae omnino foetum emiserunt: per metaphoram *Effoete* dicitur in laudem illius qui nihil amplius dicendum reliquerit in ea re quam agit. — *Nequiter.* Versute, argute.

4. *Hoc volui.* Verba sunt recitatoria vel patroni respondentis acclamationibus Selii. Vel potius cum Grutero existimarem haec esse Selii quoque verba dicentis: Non aliter a te perorari volui, etc. Ed. P. — *Facta est.* Eodem sensu dicitur *facta est coena*, quo in epigr. praeced. v. 3, *rem factam.*

28. — IN SEXTILLVM.

Rideto multum, qui te, Sextille, cinaedum
Dixerit, et digitum porrigito medium.
Sed nec paedico es, nec tu, Sextille, fututor:
Calda Vetustillae nec tibi bucca placet.
Ex istis nihil es, fateor, Sextille: quid ergo es?
Nescio: sed tu scis res superesse duas.

1. *Rideto.* Licet tibi contemnere eum qui te appellaverit cinaedum, et in illum ipsum retorquere id convicium, porrecto medio digito infami et verpo, qui caeteris contractis curvatisque Priapum repraesentans in cinaedorum et mollium notam extendebatur. Vid. lib. I, epigram. 93, vers. 2.

4. *Calda Vetustillae.* Id est, vulva, quia non es cunnilingus. Sic Domitius. Alii de fellatione hunc versum intelligunt. — Hunc sensum effingunt sponte Martialis verba, ut vere mirandum sit cuiquam in mentem venire potuisse *buccam* eodem sensu intelligi ac vulvam. Nempe Horat. Satir. I, 1, 20: *Iupiter ambas iratus buccas inflet*; et nihil in hoc sensu dubii. Epitheton *calda* aeque convenit *buccae*: nihil est igitur cur sensum voc. naturalem ad partes inferiores deflectas; quum inprimis proprie buccae sint pars genarum interior ad linguam et dentes respiciens, nec quidquam simile in partibus pudendis usquam deprehenderis. Vid. lib. III, epigr. 93. Ed. P.

6. *Res duas.* Fellandi et lingendi turpitudinem interpretatur Ramiresius. Alii masturbatorem vel irrumatorem argui Sextillum sentiunt. Potest etiam pathici vitium hoc loco innui. Vid. lib. IV, epigr. 43. Ed. P.

29. — AD RVFVM.

Rufe, vides illum subsellia prima terentem,

Hoc epigrammate invehitur Martialis in servum quemdam stigmatiam, qui libertate donatus, et ad equestrem senatoriamque evectus dignitatem, fastus delicatissimi luxurium explicabat arroganter, inustas suae fronti literas spleniis dissimulans. Ed. P.

1. Multi codd. et vett. nonn. habent: *subsellia prima tenentem*; et hoc retinendum censet Ramires, quod imperiosam quamdam possessionem indicat; ut tenere Galliam, Hispaniam, etc. — *Subsellia prima terentem.* Cum senatoribus in orchestra sedentem, et quidem, ut ille de quo mentio lib. V, epigr. 14, primos in ipsa orchestra gradus superbe occupantem, quos, assidue sedendo, quasi terebat. Ed. P. — Sunt qui ad subsellia in iudiciis referunt, et intelligunt in foro iudicum, ubi erant subsellia, spatiantem, causidicumque notari voluit, qualem depingit Iuven. Sat. VII, vs.

Cuius et hinc lucet sardonychata manus:
Quaeque Tyron toties epotavere lacernae,
Et toga non tactas vincere iussa nives:
Cuius olet toto pinguis coma Marceliano,
Et splendent vulso brachia trita pilo.
Non extrema sedet lunata lingula planta,

139, et recitatorem, Pers. Sat. I, vs. 15; quod recte abnuit Ramiresius, quum certe ad iudicialem fastum officiomque aliqoid pertinens dixisset Martialis.

2. *Cuius et hinc, etc.* Qui, ut equites romani, gerit annulum gemma sardonycha insignem, cuius fulgor vel hinc usque, id est ex eo ubi sedet loco, ad nos pervenit. Sardonyx est gemma subrubra et subcandida colorem habens sardii lapilli, qui rubens, et onychis, graece ὄνυξ, υχος quod sonat idem ac unguis, qui fere albus est.

3. *Quaeque, etc.* Ordo est: cuius lucet sardonychata manus, et lucent lacernae, quae etc.... Eo. P. — *Toties Tyron epotavere.* Quae bis, vel pluries tinctae sunt in purpura e Tyro allata. Eae vero lacernae delicatiorum erant, praecipue in theatralibus spectaculis. — *Lacernae.* Lacerna, ut toga, erat vestis exterior instar pallii: utraque imponebatur tunicae; sed toga comptior, longior ac decentior erat quam lacerna, imo et usitatior fuit quamdiu stetit Respublica et floruit.

4. *Et toga.* Ordo est: et lucet toga, etc. — *Non tactas.* Nullo vestigio pressas. — *Vincere, etc.* Fullonis arte dealbata, cretata insuper. Inde dicti erant petitores candidati, non quod candida toga soli uterentur, quae communis fere omniom erat; sed quod ita cretata, splendens et candida eorum esset toga opera fullonica, ut oculorum aciem praeter caetera perstringeret. *Ramiresius.*

5. *Marceliano.* Vnguento delibutus Marceli unguentarii, cuius myropolium exhauserat novus iste eques. Quidam exponunt, quod per totum theatrum Marcelli spargeretur odor, quo perfusus erat ille servus. *Rad.*

6. *Splendent, etc.* Pumice, nuce ardenti. Dropace seu psilothro delicati et molles se depilabant levigabantque.

7. *Non extrema sedet lunata, etc.* Cuius in calceo altiori et lunula insignito est lingula, sed non in extrema planta; nam multae aliae usque in medium crus ascendunt. — Senatorum calcei erant altiores et ad mediam usqoe tibiam revincti loris quibusdam; vulgares, quibus populus utebatur, erant demissiores vixque supra pedem elati. Horat. lib. 1, sat. 6, de senatore loqueos ait: *Nigris medium impediit crus Pellibus.* — Ergo existimo hic a Martiale ligulam illam quae in pede sedet *non extremam* diei, quia stigmatias ille, in quem invehitur Martialis, calceos patricios quatuor corrigiarum portabat, atque ita ligula illa infima, quae pedem tangit, haudquaquam extrema erat; quum contra in calceis plebeiis extrema esset: illi enim non habebant alias illas ligulas quae inter se implexae usque ad suras ascendebant. *Ruben.* — Farnabius et Ramiresius intelligunt verbum *non extrema* per

Coccina non laesum cingit aluta pedem;
Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

litoten, quasi dicat Martialis: lingula inter primas numeranda, et multis pretiosior. — Alii legunt, *non hesterna*, et intelligunt *in dies per luxum mutata*, quotidieque nova ac recens. — Alii denique *cuique hesterna* idest nova, ut notet hunc servum hominem novum et hodie primum nobilitatum. Hoc sensu Persius Sat. III dixit *hesternos Quirites* pro novis civibus. Iudicet lector. — *Lunata*. Patricii senatores lunae crescentis notam calceis assuebant, quia senatus olim e centum patribus a Romulo lectis constabat: litera autem *C* nota est numeri centenarii, eademque lunam crescentem imitatur. Erat ista lunula talare quoddam eburneum, teste Philostrato, de vitis sophistarum, in vita Herodis Attici; qui eiusmodi homines aiebat habere nobilitatem in malleolis pedum. Vid. lib. I, ep. 20, vs. 31. — *Lingula*, seu *ligula*. Lorum, a verbo *ligo*. Alii intelligunt argenteam vel auream fibulam ad formam lingulae.

8. Beverlandi Ms. *pingit aluta*, id est, ornat: sunt et qui *stringit* legant. — *Coccina*. Coccus granum quoddam est ex quo aqua macerato fit color eximii ruboris. — *Non laesum*. Etenim illi qui pedes laesos habebant sine reprehensione coccina aluta uti poterant. Parthicae enim pelles ex quibus coccini calcei concinnabantur mollissimae erant, atque ideo laesis pedibus aptiores; quamvis postea, quum imperatores soli vindicarunt sibi coccinos calceos, aliis omnibus interdictum fuerit earum usus. — *Coccina cingit aluta pedem*. Senatores primo calceis ex aluta nigra, mox (crescente luxu) cerea, galba, mullea, hederacea, coccinea pedes cinxerunt. — Aluta est pellis agnina, Gallice *basane*.

9. *Stellantem*. Seu quia splenia erant emplastra tenuia quae frontem discriminabant ut stellae caelum; seu quia eadem in radios secta, instar stellarum. — Vel nitentem et splendentem propter candorem fasciae: vel a stellis fasciae seu splenio ornatus causa attextis. Haec Raderus. Legunt alii *stillantem*, hoc est, frontem madidam fluentibus stillis unguenti Marceliani. — *Splenia*, gallice *mouche*. Emplastra quaedam nigra ex unguentis, vel medicamine aliquo, artificiose disposita ad capitis dolorem, vel oculorum morbum vel rugositatem frontis celandam adhibita: ut autem frontis honor et elegantia constaret, fascia candida adhibebatur, inquit Raderus. Porro et quidam frontem liniebant unguento vel cerussa: deinde panniculum sive fasciam ponebant. Quidam existimant splenia esse oculorum operimentum ad arcendam nimiam lucem, sed false: vid. Bottiger. in Sabin. pag. 362, lib. X, epigr. 22.

10. *Leges*. Ex literis fronti eius inustis cognosces eum fuisse servum stigmaticum, si sustuleris splenia quae stigmatum celandorum causa adhibuit. Servis, praesertim fugitivis, inuri solebant in fronte notae quaedam ut agnoscerentur; ita Plautus servum istis literis male notatum vocat facete *literatum*.

30. — IN CAIVM, AVARVM AMICVM.

Mutua viginti sestertia forte rogabam,
  Quae vel donanti non grave munus erat:
Quippe rogabatur felixque vetusque sodalis,
  Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi, Dives eris, si causas egeris, inquit.
  Quod peto da, Cai: non peto consilium.

Reprehendit Caium ut illiberalem et parum sibi in amicitia respondentem, qui summam quamdam mutuo petenti, non pecuniam, sed consilium dederat, quo ditescere posset. — Locus hic desumptus a Seneca ep. 45.

1. *Viginti sestertia.* Gallicae monetae 2000 francos.

2. *Quae vel donanti.* Quam summam vel mihi donasse non fuisset homini tam diviti grave impendium.

3. Edd. vett. *fidusque vetusque.* — *Felix.* Dives.

4. *Arca flagellat.* Turnebus lib. XXI, cap. 4. Flagellare divitias et flagellare annonam dicuntur, qui magnas arcis clausas opes tenent, et horreis fruges; quod invitas valut verberibus et carceribus coërcitas erumpere foras non sinant. Papinius Silvar. lib. II: *Non tibi sepositas infelix strangulat arca Divitias.* — Dicitur *arca*, ait Ramiresius, flagellare opes, quando inferiori parte omnino plena et paene cumulata, superiores postes, qui arcam claudunt, pecuniam ipsam tangunt et premunt. — Farnabius intelligit: cuius arca mota resonat laxis nummis, tanquam flagelli verbere.

5. *Si causas egeris.* Hoc consilium dabat Nostro Titus lib. I, epigr. 18; dabat Noster Flacco, lib. I, epigr. 77. Ed. P. — *Non peto consilium.* Minime diversa profertur narratiuncula de quodam Hispano nobili, at omnium egeno, qui vitam mendicando sustentabat. Quum ei quidam, a quo nummulos efflagitabat, turpe vitae genus exprobraret, quod ut mutaret honestiori suadebat, superbiens respondit, *Te rogo stipem, non consilium.* Ed. P.

31. — AD MARIANVM.

Saepe ego Chrestillam futui. Det quam bene, quaeris?
  Supra quod fieri nil, Mariane, potest.

2. *Supra quod, etc.* Haec verba in communi sermone significant: Id quo nihil melius esse potest. Sed in eorum ambiguitate ludit Noster. Intellige tam libidinose et nequiter dare Chrestillam, ut qui eam faciat, a coitu nequeat abstinere, quin defatigatus sit, effoeto prorsus et enervato corpore. — *Fieri.* Dare, facere et fieri turpicula verba sunt. Lib. I, epigr. 47.

32. — IN PONTICVM PATRONVM INVTILEM.

Lis mihi cum Balbo est; tu Balbum offendere non vis,
Pontice: cum Licino est; hic quoque magnus homo est.
Vexat saepe meum Patrobas confinis agellum:
Contra libertum Caesaris ire times.
Abnegat et retinet nostrum Laronia servum:
Respondes, Orba est, dives, anus, vidua.
Non bene, crede mihi, servo servitur amico.
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

Msximo (epigr. 18) similem Ponticum carplt, qui ab sllis coli volebat, quum ipse potentes ambitiose coleret; quos ne offenderet, operam suam petenti recusat Msrtiali, in lite cum Balbo et Licino, actione finium regundorum cum Pstroba, causa plagii cum Laronis. Servilis igitur patroni se clientem Martialis renunciat iratus. Ed. P.

1. *Balbo*. Non omnino usus est Poëta nominibus fictis, ut professus est epistola lib. I. De Licino, Persius, Sat. II. Patrobii eiusdem liberti Neronis mentionem facit Suetonius in Galba capite 20. Laroniae vero meminit Iuvenalis Sat. II, cuius orbae haereditatem quum captaret Ponticus, in esm dicere nolebat.

2. *Magnus*. Nobilis, ideo non offendendus.

3. *Versat* Iunt. nostra in marg. *Verso* et *vexo* saepius permutata. — *Vexat*. Terminos emovet ac revellere cupit.

4. *Contra ire*. Mihi adesse, in ius Patrobam vocaturo.

6. *Orba est*. De haeredipetis divitum viduarum assiduis adulatoribus, multis in locis apud Martialem mentio. Vid. potissimum lib. IV, epigr. 56. Ed. P.

7. *Non bene*. Epigr. 18 supra: *Esse sat est servum: iam nolo vicarius esse*. Ergo deinceps Ponticum colere non vult Poëta.

8. *Sit liber, etc. Perii*, inquit illa apud Comicum, *huic ipsi opus patrono est, quem defensorem paro!*

33. — IN PHILAENIM.

Cur non basio te, Philaeni? calva es.
Cur non basio te, Philaeni? rufa es.
Cur non basio te, Philaeni? lusca es.

1. *Cur non basio te*. Caput enim tuum (calvum, rufum, luscum). Priapi speciem prae se fert: inde non basiatio, at fellatio. Vide lib. IX, epigr. 37, vs. 10. *Ramires*.

Te qui basiat, hic, Philaeni, fellat.

4. *Te qui basiat*, o *Phileni* Ald. Iunt. et Colin. *Haec qui basiat, o Phileni* legit Gruterus.

34. — IN GALLAM ANVM LVXVRIOSAM.

Quum placeat Phileros, tota tibi dote redemptus,
  Tres pateris natos, Galla, perire fame.
Praestatur cano tanta indulgentia cunno,
  Quem nec casta potest iam decuisse Venus.
Perpetuam Di te faciant Philerotis amicam,
  O mater, qua nec Pontia deterior.

Galliam vetulam hic insectator quae tota sua dote Phileron ex servitute redemerat, vel conduxerat eius operas, et cum eo consuetudinem habebat, patiebaturque tres natos suos ex defuncto marito fame perire.

2. *Galla*. Tam vetula erat, ut nec iam de nuptiis legitimis cogitare debuerit, omnino liberorum procreandorum spe amissa: attamen tanta libidine ardebat, ut in suum moechum omne patrimonium effunderet; sic ergo sibi decrepitae nimium indulgebat.

5. *Perpetuam*, *etc.* Idest, utinam moriaris! Sic intelligit hunc locum Ramiresius. Quae iunctae matrimonio moriuntur, semper nominantur uxores eorum quorum fuerant tempore mortis; quae forte si vixissent diutius, potuissent a viris repudiari, et uxores esse desivissent. Sic ista Galla, nisi brevi moriatur, poterit non amica esse perpetua Philerotis, iurgiis et ira ad discessum intervenientibus.

6. *Pontia deterior*. Iuven. Sat. VI, 638: *Sed clamat Pontia, Feci, Confiteor, puerisque meis aconita paravi.* Legunt alii *Pontica* es codd. nonn. et Medeam interpretantur, quae suos liberos crudeliter necavit.

35. — AD PHOEBVM, VARVM.

Quum sint crura tibi, simulent quae cornua lunae,
  In rhytio poteras, Phoebe, lavare pedes.

2. *Phoebe*. Cornibus lunae similia crura habebat Phoebus, seu varus erat, diductis nempe poplitibus, plantis vero coëuntibus: itaque dicit Poëta posse Phoebum in rhytio lavari: *ῥυτὸν rhytum*, poculi genus de quo solis heroibus uti fas erat, teste Theophrasto; etiam poculi genus ab angusto fundo in latum surgens, instar cornu, seu litherae Y, sed per-

foratum, ex quo tenuissime profluente vino inferne bibitur. *Rhytium* vero est diminutivum. Cornu enim vari cruribus quasi aptissima vagina videtur. De Rhyto agit Athenaeus lib. X, cap. 13; et lib. XI, cap. 1, 5 et 26. Forsan est quoque ludus in verbo *Phoebe*. Alii legunt *Imbritio*; *in rhydio*; *in Brythio*.

36. — AD PANNICVM.

Flectere te nolim, sed nec turbare capillos.
  Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.
  Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.
Sunt tibi crura pilis, et sunt tibi pectora setis
  Horrida: sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

Carpit Pannicum quemdam, ut mollem virum, qui nimium vir videri volebat, turbatis capillis, horrida barba, sordida cute, cruribus et pectore setosis; adhortaturque, ut medium servet inter nimiam elegantiam nimiamque rusticitatem. Ed. P.

1. Alii *pectere*. — *Flectere, etc.* Capillos flectere, id est, calamistris et candenti ferro vibrare in orbem (gallice *friser*), mos muliebris est qui virum dedecet; eosdem turbare, aliud est extremum, quod aliquid habet feri et rustici. Ed. P.

2. *Splendida*. Vnguentis, fuco, etc.. — *Sordida*. « *Est modus in rebus, sunt certi denique fines.* »

3. *Mitrarum*. Mitras gestantium. De quibus autem loquatur Martialis, non clare patet. An de Phrygibus, qui summo cultu barbam nutriebant? An de mollioribus Romanis qui mitra deliciarum causa utebantur, et barbam ad speculum eleganter componebant? An etiam de matronis, qui mitras ferebant? ita ut *barba mitrarum* hic significet barba tam accurate depilata, ut nulla sit, et mentum depilantis quasi muliebre videatur? Sensus videtur: ne barbam omnino reseces, ita ut feminae similis fias; vel ne elegantius barbam componas, ut solent homines effeminati. Iudicet lector. Ed. P. — *Barba reorum*. Qui barbam promissam et squalidam alebant, ut commiserationem excitarent.

4. *Virum nimium*. Horridum et pilosum; sed volo teneas medium. Ovidius Art. Am. lib. I: *Forma viros neglecta decet*. — *Nolo parum*. Parum viri dicebantur effeminati.

5. *Setis*. Pilis grandioribus. Mollium erat crura depilare, caeteraque etiam corporis partes.

6. *Mens vulsa*. Metaphora est: mens enim neque hirsuta, neque vulsa est, at menti tribuit quod effeminato corpori convenit. Non praecipuum est, ut te virum praestes habitu corporis, quod neque horrere oportet nimia rusticitate; sed potius animo forti et moribus generosis. Ed. P.

37. — IN RAPTOREM COENAE CAECILIANVM.

Quidquid ponitur hinc et inde, verris:
Mammas suminis, imbricemque porci,
Communemque duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumque totum,
Muraenaeque latus, femurque pulli,
Stillantemque alica sua palumbum.
Haec quum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otiosa turba.
Ullus si pudor est, repone coenam:
Cras te, Caeciliane, non vocavi.

1. *Verris.* Ita rapis, ut nihil restet; qui solum verrit, nihil in eius superficie relinquit. — E more romano licebat convivis, rogata convivatoris venia, aliquid appositorum secum auferre, vel domum mittere. Hoc more gulose abutentem, et quidquid in mensa apponebatur corradentem carpit Martialis Caecilianum. Ed. P.

2. *Mammas suminis.* Sumen (quasi sugimen), delicatum apud Romanos ferculum, erat venter cum papillis porcae ab edito foetu occisae; quo magis lacteum erat, eo magis commendabatur. — *Imbricem.* Quum sit proprie imbrex tegula curva cuius formam imitatur vertebra in summo tergo pecudis, imbricem porci (gallice *l'échine*); alii interpretantur vertebram demptis costis: alii vero auriculam. Brodaeus vult esse imum ventrem curvum et repandum; ilia vero ipsum sumen.

3. *Communemque duobus.* Tibi et vicino tuo appositam, tibi abripis soli. — *Attagenam.* Nobis nunc ignotam avem, exquisiti saporis, ut apparet ex lib XIII, epigr. 61.

4. *Mullum.* Piscem nobilem. Gallice *barbeau.* — *Lupum. Loup marin.*

5. *Muraenaeque latus.* Gallice *Lamproie.* — *Femurque pulli.* Optima pulli pars femur et ala.

6. *Stellantem halyca* Beverlandi Ms. — *Alica.* Alica genus est tritici praestantissimi, quo saginabantur palumbi; vel liquor quidam ex zea factus (*espèce de bière*). Hic sumitur pro condimento ex alica confecto, quo pertusus erat palumbus. — *Sua.* Qua vulgo fartus erat; vel qua nutritus.

7. *Haec quum.* Solebant Romani ad convivia mappas ferre, et praecipue ii qui, rogato convivii rege, quosdam cibos ferre domum volebant. — *Madente mappa.* A pinguedine dapum sordebant infectae mappae et condimentis, vel vapore calidorum ciborum.

9. *Otiosa turba.* Collectivum nomen iungitur numero plurali: hoc est, accumbimus otiosi, nihil habentes in quo dentes exerceamus.

11. Alii *vocabo.* Legendum *non vocavi;* id est, coenam paravi, ut

edas hic, non ut serves in crastinum. — *Non vocavi*. Soloecismus est, sed argutissimus; *cras non vocavi*, nimirum non in crastinum, sed hodiernum diem te invitavi; coenam igitur hodie sume de meo, et domi meae appositam; non cras et domi tuae reservatam.

38. — IN LINVM.

Quid mihi reddat ager, quaeris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager: te, Line, non video.

2. *Non video*. Vt fugeret Linum sibi importunum (*fâcheux*), aut invisum, secedebat Poëta in agrum, qui, alioquin macer et sterilis, satis tamen commodi praestabat, quod ipsi Lini conspectum auferret. Vid. lib. VII, epigr. 95, in Linum quemdam, forte eumdem. — Non libenter putem Poëtam urbem reliquisse et in agrum secessisse, eo consilio ut importunum vitaret: ab homine pergravi se expediendi haec ultima sane erat ratio: credam simpliciter hoc illi placere agrum, quod ab incursu viri in urbe degentis et odiosi ipsum omnino tutum praestaret. Ed. P.

39. — DE MVNERIBVS AD MOECHAM MISSIS.

Coccina famosae donas et ianthina moechae.
Vis dare, quae meruit munera? mitte togam.

Vestes sibi mutuo mittere divitibus Romanis in usu erat, praecipue in diebus festis, ut Saturnalibus. Sed cur tu vestimenta purpurea et violacea adulterae? magis illi conveniret toga missa. Meretrices autem ut et adulterii convictae, in publicum togatae prodibant, ut dignoscerentur a castis matronis stolatis.

1. *Coccina*. Veste cocco infectas. Coccus est granum quo utuntur ad purpuram ardenti et roseo colore, quem Galli vocant *écarlate*, tingendam. — *Ianthina*, de quibus mentio fit lib. I, epigr. 54, 5, sunt vestes e purpura violacei coloris; ab ἴον, *viola*, et ἄνθος, *flos*, dictae.

2. *Mitte togam*. Matronarum stola, meretricum vero et adulterarum deprehensarum toga erat propria. Lib. X, epigr. 52: *Thelin viderat in toga spadonem, Damnatam Numa dixit esse moecham*. Iuvenalis Sat. II: *Et moecha Fabulla: Damnetur, si vis, etiam Carfinia; talem Non sumet damnata togam.*

40. — DE TONGILIO MORBVM SIMVLANTE.

Vri Tongilius male dicitur hemitritaeo.

Novum artificium, febremque ingeniosam Tongilii deridet, helluonis sagacissimi, se morbo laborantem simulantis, ut protinus ad se mitterentur ab amicis pisces eximii, aves exquisitae, vina optima, quae in le-

Novi hominis mores: esurit, atque sitit.
Subdola tenduntur crassis modo retia turdis:
Hamus et in mullum mittitur atque lupum.
Caecuba saccentur, quaeque annus coxit Opimi:
Condantur parco fusca Falerna vitro.
Omnes Tongilium medici iussere lavari.
O stulti, febrem creditis esse! gula est.

crum et delicias suae mensae verteret, gula potius quam febre laborans. Vide eiusdem argumenti epigr. 87, lib. XI. Ed. P.

4. *Hemitritaeo*. Febri semitertiana.

2. *Novi hominis mores*. Non me deludit; simulat male se habere, ut bene eius mensa se habeat. Ed. P.

3. Beverlandi Ms. *uno retia turdis*; quod citat etiam Pulmannus. Edd. vett. habent: *modo retia turdis*. — *Subdola, etc.* Morbi simulatione utitur, quasi reti, quo delicias avium, quasi hamo, quo delicias piscium captet et ad se trahat; haud ita insulsum venandi et piscandi genus! Ed. P. — *Crassis modo*. Hoc novo enim venandi et piscandi genere, crassos tantum in retibus habet turdos, nobilesque tantum pisces hamo extrahit; quum autem, si vera retia tenderet, verosque iaceret hamos, non talis esset avium vel piscium delectus. Ed. P.

5. *Caecuba saccentur*. Eia, agite, amici Tongilii! properate vina quoque generosissima ei mittere! Ed. P. — *Caecuba*. Caecubum vel caecubus, mons et ager est in Latio, vini optimi fertilis, prope Fundos et Amyclas urbes ad sinum Caietanum. Mons ille vocatur nunc: *Monte di Gaieta*. — *Saccentur quaeque*. Defaecentur, liquentur, colo transmittantur. Sic lib. XII, epigr. 61: *Turbida sollicito transmittere caecuba sacco*. Poëta enim hic agit de Tongilio febrim simulante, huic autem vinum saccatum aptius illo, cui sacculus nihil dempsit. Itaque duplicem a Poëta Tongilii gulam perstringi, unam vinum, adpetentem; alteram non cuicuimodi vinum, sed saccatum, quod summarum deliciarum est. Quumque Poëta sacci et parci vitri mentionem facit, decorum servat in persona simulante febrim. *Musambert*. — *Annus Opimi*. Idest, vinum Opimianum, eo enim anno quo L. Opimius consulatum gessit, fuit temperies caeli ad vini maturitatem aptissima.

6. Beverlandi Ms. *fusa Falerna*; et sic Iuntina nostra in marg. — *Parco vitro*. Exiguo calice propinetur illi, quod quum esset generosissimum, modice sumptum vel bibaci, et a fortiori aegrotanti sufficiebat; forsan *parco* dicitur ex persona fallacis Tongilii extenuantis petitionem. — *Falerna*. Falernus mons et ager Campaniae inter Calenum et Sinuessam, vini generosi ferax.

7. *Lavari*. Remedium et medicamentum priscis usitatum in febribus; nobis satis praeposterum et periculosum.

41. — IN MAXIMINAM.

Ride, si sapis, o puella, ride,
Pelignus, puto, dixerat Poëta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Verum ut dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi; tu puella non es:
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes,
Sed plane piceique, buxeique.
Quare si speculo mihique credis,
Debes non aliter timere risum,
Quam ventum Spanius, manumque Priscus:

Maximinam vetulam et paene edentulam monet ne in risus ita solvatur, ut oris deformitatem prodat: sed potius seriis et luctuosis rebus intersit, ne risus quaedam interveniat occasio.

1. *Ride, si sapis.* Ordo est: Pelignus vates (Ovidius nimirum natus Sulmone, quae est urbs Pelignorum in Italia), dixerat, opinor, alicubi, et monuerat puellas, ut, si placere vellent, modesto se risu commendarent, vultum ilarem prae se ferentes; risus enim iuventutem dentatam maxime decet.

2. *Pelignus Poëta* Ovidius. Peligni populi Italiae, hodie *Valva*, Ovidii patria. Domitius putat Martialem alludere ad quosdam versus de Arte Amandi, qualis est iste lib. III; *Spectantem specta: ridenti mollia ride.* Alii putant Ovidii versum esse integrum petitum ex Medea: Angelus vero Politianus esse ex epigrammatibus Ovidii, non ex Medea: nam quorsum Phaleucium in tragoedia aut Medea? Ab Angelo Politiano stare placet. Haec ex Radero.

3. *Sed non dixerat.* Quae enim nigros dentes habent, aut edentulae sunt, ridere non debent.

4. *Quamvis dixerit* in vett. nonn.

7. *Sed.* De hac particula vide quae adnotavimus ad v. 7, epigr. 118, lib I. — *Picei.* Nigri et subpallidi. — *Buxei.* Flavi, buxei coloris.

10 *Ventum Spanius.* Spanius erat homo delicatus qui comam ita diligenter pectebat flectebatque, ut vix in publicum prodire auderet, ne cirros ventus turbaret ac disiiceret. — Forte Spanius calvus erat, et calvam diductis ad frontem capillis tegebat, et ne flante vento redirent ad suum locum capilli, vento se non exponebat. Vid. lib. X, epigr. 83. — *Manumque Priscus.* Homo elegans ac delicatus, politioribus utens vestibus et aliorum vitans contactus, ne earum plicae turbentur (vid. lib. III, epigr. 63). Sic fuit Hortensius orator qui vestem suam putide compositam adeo timebat ne quis confunderet, ut nescio quem a quo ipsius vestis durius fuerat attrectata, in ius vocaverit. — Vel forte Priscus gypso cretave manus suas dealbaverat, quod artificium ne proderetur, manuum

Quam cretata timet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella solem.
Vultus indue tu magis severos,
Quam coniux Priami, nurusque maior.
Mimos ridiculi Philistionis,
Et convivia nequiora vita,
Et quidquid lepida procacitate
Laxât perspicuo labella risu.
Te moestae decet assidere matri,

prensationem a Veteribus usitatam vitabat diligenter.

11. *Cretata Fabulla.* Plin. l. XXXV, cap. 17, cretae plura genera enumerat. Alia, inquit, creta argentaria appellatur, nitorem argento reddens; qua sane utebatur Fabulla, quae timebat pluviam, ne fucus ille madidus diffueret.

12. *Solem.* Ne a sole calefacta cerussa, faciem torreat. — Cerussa genus est pigmenti quo illinitur vultus ad candorem conciliandum, et calore solis liquefit. De hoc pigmento Plinius libro citato.

14. *Coniux Priami.* Quam moesto et severo vultu introducunt Poëtae. — *Nurus maior.* Andromache Hectoris uxor, quae maior nurus erat, quum nupsisset Hectori Primogenito Priami ex Hecuba; minor vero nurus Helena Paridis adultera. Gravibus aerumnis vexata, et in perpetuo luctu vitam trahens Andromache, vultus habuit severos, Maximinae imitandos.

15. *Mimos.* Poëmata turpicula, ad risum excitandum composita, in quibus potissimum histriones hominum gestus scurriliter imitantur. Diomedes lib. III: *Mimus est sermo cuiuslibet motus sine reverentia, vel factorum lasciva imitatio.* Ovid. Trist. II, 497 et 515: *Scribere si fas est imitantem turpia mimos, Quid si scripsisses mimos obscoena iocantes?* — *Ridiculi Philistionis.* Philistio comicus, de quo mentio apud Euseb. Sidon. Apoll. Suid. et multos alios, quum ipse daret mimum, qui φιλόγελων (risus amans) inscriptus est, risu interiit, Socratis tempore.

16. *Nequiora.* Solutiora; in quibus scurrae, morlones, sarmiones, etc.

18. *Perspicuo.* Per hypallagen. Risus perspicuus est risus qui perpetuos sinit apparere dentes. Ed. P.

19. *Assidere.* Potest hic versus exponi simpliciter: Te decet cum vetula matre domi te continere, et in eorum versari tantum coetibus qui lugent ereptos sibi fratrem, virum, etc. — Vel: Te decet in theatro assidere Hecubae moestae, Andromache Hectorem maritum lugenti, et Electrae Orestem fratrem deflenti, quum de illis vel de Niobe, etc. fabula agitur. Assidere autem dixit, quod sederent antiqui dum mortuos lugerent. Tibullus lib. II, elegia 7: *Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo, Et mea cum muto fata querar cinere.*

Lugentique virum, piumque fratrem,
Et tantum tragicis vacare Musis.
At tu, iudicium secuta nostrum,
Plora, si sapis, o puella, plora.

20. *Piumque*. In patrem nempe Agamemnonem, cuius mortem ultus est occisa sua matre Clytemnestra; vel in Pyladem, pro quo mori cupiebat.

21. *Tragicis vacare musis*. Quae nullam risui praebere possunt occasionem. Ed. P.

23. *O puella*. Primum epigrammatis versum lepide invertit et ridicule anum vocat puellam, quum aliter ipse dixerit, v. 5. — *Plora*. Haec per oppositionem cum praecepto Ovidiano: non tamen inter se discrepant ipso instituto. Pelignus poëta, ut et hic Martialis Maximinam, puellas docet, quo modo quaeque possit et debeat vitium naturae arte dissimulare, ut omnis occasio qua detegi possit, vitetur, et contra lepores et decorem quemlibet effuse expromere: at hinc misera Maximinae conditio; quae nihil habet, quo possit placere, at cavere debet, ne turpi deformitate oculos offendat. Ed. P.

42. — IN ZOILVM.

Zoile, quid solium subluto podice perdis?
Spurcius ut fiat, Zoile, merge caput.

1. Barthius in codice quodam legit *pardis*; unde coniicit haud inepte: *quid solio sublato podice parcis?* Cf. lib. XI, epigr. 96. — Solium erat vas in quo vulgo pedes lavabantur, aqua usque ad genua pertingente. Interdum autem in solium genibus flexis proni se demittebant Veteres inguina vel ventrem lavaturi; ut patet ex hoc loco Cornelii Celsi: *Interpositis duabus oris in solium aquae calidae resupinus dimittendus est (aeger quidam), sic ut a genibus ad umbilicum aqua pertingat*. Solium, quod primo fuerat ligneum, deinde gliscente luxuria argenteum, sic appellari putat Ramiresius a similitudine solii regii quod erat vas amplo et lato ore. — Alii intelligunt solium, vas quo in balneis mulieres utebantur, et in quo sedentes lavabantur. Suetonius in Augusto cap. 82: *Contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, quod ipse hispanico verbo duretam vocabat, manus ad pedes alternis iactaret*. Lib. VI, epigr. 81, et lib. XI, epigr. 96. Plinius, lib. XXXIII, cap. 12.

2. *Merge caput*. Quod quum obscoenum sit, magis foedabit solium quam si utaris hoc vase ad subluendum vel podicem. Zoilum fellatorem vel cunnilingum, vel utrumque putat fuisse Ramiresius.

43. — IN CANDIDVM.

Candide, κοινὰ φίλων, haec sunt tua, Candide, πάντα,
  Quae tu magniloquus nocte dieque sonas.
Te Lacedaemonio velat toga lota Galeso,
  Vel quam seposito de grege Parma dedit.
At me, quae passa est furias et cornua tauri,
  Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:

Eumdem Candidum, quem supra epigr. 24 cavillatus est, amicitiae loquendo simulatorem, nunquam agendo exhibitorem, nunc et taxat urbanissime, lepida inducta comparatione inter pauperem suum cultum, et ambitiosam Candidi luxuriam, suas sibi soli delicias reservantis, et amicis verba tantum largientis. Ed. P.

1. Κοινὰ φίλων πάντα *Communia amicorum omnia*, praeceptum a Socrate vel Pythagora desumptum, quod gallice traduci posset hoc adagio: *Le tout ne vaut pas la moitié*. Ed. P. — *Haec sunt tua*. Subaudi verba. Vel forsan ludit Noster in ambiguitate verbi πάντα quod ad κοινὰ simul et ad *tua* refert; haec sunt *tua* πάντα, *tua* omnia, tui omnes sermones. Ed. Par.

3. *Te Lacedaemonio, etc.* Incedis insignis toga confecta ex nobili vellere ovium quae lavantur pascunturque in ripis fluvii Galesi, qui Tarentum alluit a Laconibus, duce Phalanto, conditum vel auctum: fluvio Galeso, ad ovium lanam tingendam plurimum valenti eadem natura quae Baeti et Clitumno. Iuven. Sat. XII, vs. 13 et 41. Ed. P.

4. *Parma*. Vrbs Italiae nota, caseo et velleribus inclyta.

5. Codex Bodleianus exhibet: *furiosi cornua tauri*; quam lectionem testantur etiam edd. vett. Ald. Iunt. Colin. et Gryph. — *At me, etc.* Ordo est: Te velat toga Tarentina vel Parmensis; misella autem me velat toga, quam pila, primum integrumque recentis tauri impetum passa, se indicet viliorem indignioremque; id est, cuius pannus pauperculus tritior laceratiorque est, quam ut videatur esse pilae pannus, a feroci bellua licet tritus et laceratus, et per se iam vilis. Ed. P.

6. *Pila prima*. De pilis quae trita et lacera veste induebantur, ut tauris obiicerentur, dictum est lib. Spect. epigr. 9, 19 et 22. Dicitur prima, quia ordine disponebantur illae pilae, humanae scilicet effigies vilissimis pannis indutae: prima autem erat, quae primum taurorum impetum patiebatur. Vid. lib. X, epigr. 86. Erant quoque pilae effigies humanae, quae in compitis ponebantur diis inferis votivae; quot erant in familia quadam capita, tot pilae suspendebantur, in quas dii inferi iram vertentes suam, vivis parcerent. Ed. P.

7. *Agenoreas Cadmi tibi terra*. Fuit Cadmus filius Agenoris, regis Tyri ubi purpura inventa. Cadmus autem in Boeotia, ubi Thebas condidit, non in Phoenicia, regnavit. Ed. P.

Non vendes nummis coccina nostra tribus.
Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testa fagina mensa mihi.
Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli:
Concolor in nostra, cammare, lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cinaedo:
At mihi succurrit pro Ganymede manus.
Ex opibus tantis veteri fidoque sodali
Das nihil, et dicis, Candide, κοινὰ φίλων?

8. *Coccina nostra.* Martialis mens intelligatur e Iuven. Sat. III, v. 204: *Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex, Ornamentum abaci: nec non et parvulus infra Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron.* Quemadmodum *marmor* in his versibus pro ligno abaci sumitur, ita coccina pro vilibus pannis minime coccineis.

9. *Libycos orbes.* Periphrasis mensarum, quae fiebant e citro, quo abundat Atlas mons Libyae. — *Suspendis.* Quae fulta sunt, latine pendere dicuntur. — *Indis dentibus.* Hoc est, pedibus eburneis. Iuven. Sat. XI, 121: *Latos nisi sustinet orbes Grande ebur.* Nempe ex dentibus elephantorum, quibus abundat Indis. Virgilius, Georg. I: *India mittit ebur, molles sua thura Sabaei.*

10. *Fulcitur terra* in Iuntinae nostrae marg. mendose; male enim interpretantur τὸ *testa*, nonnulli ex Ovidio, Met. VIII: *Mensae sed erat pes tertius impar: Testa parem fecit.* Calderinus aliique aiunt fictiles fuisse pedes. — *Fulcitur testa.* Mensa pauperum inaequalis claudicat. Ed. P.

11. *Immodici... tegunt... mulli.* Vocabulo *immodici* mira opulentiae amplificatio continetur, nam mulli bilibres magno in pretio erant propterea quod id pondus raro excedebant. Mullum sex millibus emerat Crispinus, teste Iuvenale, octo millibus Asinius Celer, teste Plinio lib. IX, cap. 17. — *Tegunt.* Adeo magni, ut lances quae vocantur chrysendeta impleant. — *Chrysendeta.* Turnebus lib. XIV, cap. 3. Chrysendeta vasa doctissimi viri explicant crustis aureis illigata et exornata; ut in Martiale lib. II, epigr. 43. Ego vasa gemmata esse puto, quorum gemmae consertae et contextae auro tenerentur (χρυσός, *aurum*; ἐνδέω, *illigo*). — *Mulli.* Gallice, *barbeaux*.

12. *Cammare.* Vilissimus ex cancrorum specie piscis cammarus, qui gallice *crabe*, fictilis suae lancis rubrum colorem referebat.

13. *Grex tuus.* Pueri tui de elegantia et venustate cum Ganymede disputare possunt. In Ida monte fuit Trois filius Ganymedes ad caelum raptus ab aquila Iovis, vel a Iove in Aquilam converso, cui servus a mensa dictus est.

14. *At mihi.* Ego vero mihi ipsi servio.

15. *Veteri fidoque.* His verbis gravius avaritiam Candidi increpat; nobile effatum ipsius probro ei vertens. Ed. P.

44. — IN SEXTVM.

Emi seu puerum, togamve pexam,
Seu tres, ut puto, quatuorve libras;
Sextus protinus ille foenerator,
Quem nostis veterem meum sodalem,
Ne quid forte petam, timet, cavetque;
Et secum, sed ut audiam, susurrat:

Sordidam exprimit avaritiam Seati, qui novam artem excogitaverat, scilicet argentum negandi antequam peteretur. Eo. P.

1. *Pexam*. Recentem et villosam. Pexae enim vestes sunt quae multo flocco opertae sunt, eoque peao et polito, arte fullonis. Vt ergo pecten nihil ad calvum; sic defloccatae et usu detritae vestes nihil opus habent pectine fullonis. Inde *pexae* oppnauntur tritis, id est, novae obsoletis. Sic Martial. infr. epigr. 58: *Pexatus pulchre, rides mea, Zoile, trita;* id est, pexis et novis vestibus indutus, quarum nondum flocei abiere. Hanc pexam floccorum in vestibus lanuginem, *pexitatem* vocat Plinius. *Salm.*

2. *Ad tres, ut puto*, coniicit Ant. *de Rooy:* de qua constr. adeas Cannegiet. ad Avian. Praefat. et Oudendorp. ad Suetonium, Caes cap. 20: « *Vt puto*, inquit, valet h. l. non, ut alias, *ut opinor*, sed *ut calculum pono:* » neque obstat, quod versu priore τὸ *ve* pro *vel* sobiungat τῷ *sive:* ita et Flor. lib. IV, cap. 2, ubi vide Duker. et lib. III, epigramm. 5. Schrevel. proposuit: *Seu tres supputo;* qnem vide in var. not. — *Vt puto.* Heraldus legit *computo*, eaistimatque summam esse aliquam pecuniae quam Martialis secum, audiente Seato, forte computabat: attamen quum loquatur Poëta de emptionibus suis, alii melius meo iudicio retinent *ut puto*, quod interponitur dubitationis causa, deficiente scilicet memoria, atque argenti facti libras intelligit poëta; tum, ait Martialis, timet Sextus, ne, omni pecunia mea in has emptiones eahausta, aliorum pecunia indigeam; et ideo statim rationes suas secum tacite computat Sextus, ita tamen ut audiam, ne forte ab ipso pacuniam mutuer. Vid. lib. VII, epigramma 86, ubi de libra argenti. Forta legendum *libros*.

3. *Foenerator*. Divitiarum argumentum foenos; ut supra lib. I, epigr. 77, vs. 6, de Minerva: *Haec sapit, haec omnes foenerat una deos;* et epigr. 86.

4. *Veterem sodalem*. Ideo propter avaritiam longe acrius reprehendendum. Ed. P.

5. *Ne quid*, etc. Sic amicorum petitiones antevertuot eauti divites. Vide Arist. II Rhetor. et Sen. I, de Benef. 1: *Quis enim nostrum contentus fuit aut leviter rogari, aut semel? Quis non, quum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, et de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, et variis artibus properantes necessitates elusit?* etc.

6. *Et secum sic ut audiam* in vett. nonn.

Septem millia debeo Secundo;
Phoebo quatuor; undecim Phileto;
Et quadrans mibi nullus est in arca.
O grande ingenium mei sodalis!
Durum est, Sexte, negare, quum rogaris:
Quanto durius, antequam rogeris!

7. *Septem millia*. Nostrae monetae 700 francos: nam hic sestertii sunt, oon sestertia. Ed. P.

8. *Quatuor*. Nostrae monetae quadriogeota francos.—*Vndecim*. Nostrae monetae mille et centum fraocos. Ed. P.

9. *Quadrans*. Quarta pars assis: sestertius constabat duobus assibus cum dimidio asse.

10. *O grande*. Per ironiam *ingenium* dixit pro sordibus et avaritia.

11. *Durum est*. Acute Sextum avarum reprehendit, quod preces atque ipsius petitionem obliqua denegatione occupasset.

45. — AD GLYPTVM.

Quae tibi non stabat, praecisa est mentula, Glypte.
Demens, cum ferro quid tibi? Gallus eras.

2. *Demens cum testa quid tibi?* margini adscriptum habet Iuntina nostra. Hoc redolet glossam; Samia namque testa Gallos sibi virilitatem secuisse tradit Coelius ap. Plin. xxxv, 12. Cf. etiam Iuven. Sat. VI, 514; Catull. LXIII, 5, et Ovid. Fast. IV, 237: ubi narratur unde originem trahat haec resectio. Eos tamen *ferro* sibi virilia amputasse, contendit Lactant. V, 9. — *Gallus*. Galli sacerdotes Cybeles, Samia testa sibi resecabant genitalia: at non debuit Glyptus sibi praecidere mentulam; quum naturali munere non uteretur, poterat praecisum existimare. Vid. lib. III, epigramma 81.

46. — IN NAEVOLVM.

Florida per varios ut pingitur Hybla colores,

Hoc epigrammate carpitur Naevolus quidam, ut Candidus ille de quo epigr. 24 et 43 duplex mentio, nomine non re amicus; qui, in magnis locupletibusque copiis positus, suas sibi uni habebat opes, in sodales tam durus et inhumanus, ut vestes innumeras tineis mallet relinquere depascendas, quam amicia largiri induendas nudis et algentibus. Ed. P.

1. *Florida, etc.* Quemadmodum innumeri sunt colores florum quos brevi morituros praedantur prope urbem Hyblam apes Sicaniae, sic in-

Quum breve Sicaniae ver populantur apes;
Sic tua suppositis pellucent prela lacernis,
Sic micat innumeris arcula synthesibus.
Atque unam vestire tribum tua candida possunt,
Apula non uno quae grege terra tulit.
Tu spectas hyemem succincti lentus amici,

numeri sunt colores vestium pretiosarum quas in prelis ad nitorem pressas, vel reconditas in arculis habes. Ed. P. — *Hybla.* Siciliae urbs et mons, floribus et apibus frequens.

2. *Quum breve Sicaniae, etc.* Idem fere versus est lib. IX, epigr. 14, v. 2.—*Breve ver.* Flores vernos brevioris aetatis.

3. Valde dissentiunt Cagnerius, Ramiresius, Langius et Pulmannus de huius versus lectione. — *Sic tua suppositis, etc.* Prela trabes sunt proprie quibus vulgo uvae calcatae premuntur; iis etiam Romani utebantur, ut vestes suppositas premerent ac rugas earum emendarent, ut nitorem illis afferrent. Hinc Seneca, de Tranquillitate vitae lib. I, cap. 1, *Vestem* ait *coactam splendere ponderibus ac mille torminibus.* — *Prela Lacernis.* Videtur esse hypallage in ordine verborum; non enim pellucent prela, sed vestes prelis suppositae. Lacerna, itemque toga vestis erat exterior et crassior, instar pallii: utraque imponebatur tunicae; sed toga comptior, longior, ac decentior erat quam lacerna, imo et usitatior fuit quamdiu floruit Respublica.

4. *Synthesibus.* Erat synthesis vestis coenatoria, pallii formam referens, et a lautioribus tantum ditioribusque usurpari solita; semper purpurea vel coccinea.

5. *Tua candida*, i. e. tuae togae candidae, sicut epigr. 58, *mea trita* pro *meae togae tritae*: quod qui non caperent, *tua vellera* subiecerunt. — *Vnam vestire tribum.* Hyperbolice. Populus romanus in tribus 35 divisus erat, quarum aliae urbanae, aliae rusticae. Romulus tres principio tribus fecerat, quarum in prima numerantur Albani pastores, quibuscum Romam condiderat; in secunda Sabini; in tertia Etrusci, Ardeates, Latini, etc. Tribus singulas divisit in curias decem, curiasque in decem decurias. Auctae sunt postea, crescente civium numero, tribus.

6. *Apula.* Apulia regio est Italiae ovibus abundans, nunc in regno Neapolitano. Duplex est: altera Apulia Daunia, nunc *Puglia Piana*, sive *Capitanata*; ubi modo Sipontum, etc. altera Apulia Peucetia, *Terra di Bari*, ubi Barium. — *Non uno grege.* Syntheses confectae vellere ex plurimis gregibus passim selecto. Ed. P.

7. *Hyemem.* Algentem amici inopiam. Ed. P.—*Succincti.* Paene nudi, lacera curtaque veste induti, quasi ad iter capessendum accincti. Sic noster *Boileau* Sat. I: *Passant l'été sans linge et l'hiver sans manteau.* — *Lentus.* Id est, tardus ad misericordiam. Lenti enim spectare dicuntur, qui nec ad commiserationem nec ad iracundiam aut quemlibet affectum commoverentur; gallice, *insensibles, flegmatiques.*

Pro scelus! et lateris frigora trita tui.
Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus,
Quid metuis? Non te, Naevole, sed tineas!

8. *Et lateris frigora trita tui.* Tritas obsoletasque lunicas, ideoque penetrabili frigori pervias amici tui; *latus* appellatur sodalis; vid. lib. VI, epigr. 68: *Eutychus ille tuum, Castrice, dulce latus.* Latus sic sumitur pro lat
erone, qui latus cingit. — Alii legunt *frigora trita mei*, et intelligunt, mei corporis Forsan legendum est: *frigora tanta mei.* — Lipsius scribit, *frigora tute times*, hoc est, adeo amicus tuus friget, ut tu vereri possis, ne frigus eius ad te permanet. — Vulgata lectio est, *frigora tuta times*, hoc est, vides amicum algentem, et tu ipse frigus times, aut certe timere simulas, a quo tamen tutissimus es, quippe pluribus vestimentis probe munitus. Verum id simulas, ne paucis et malis lacernis te ad amicum vestiendum defraudes.

9. *Infelix.* Qui rerum usum, et beneficentiae voluptatem nescis. Ed. P.

10. Varie legitur hic versus in codd. et edd. — *Quid metuis?* Eratne adeo difficile et magnificum duos pannos, vestes duas suffurari et eripere.. Palles iam et timea, avare Naevole, quum audis has voces, suffurari, fraudare, eripere: sed ne timeas; eripere dico non tibi, sed tineis, quae illas arrodunt et consumunt, et amicis largiri!

47. — IN GALLVM.

Subdola famosae, moneo, fuge retia moechae,
Levior o conchis, Galle, Cytheriacis.
Confidis natibus? non est paedico maritus.
Quae faciat duo sunt: irrumat, aut futuit.

1. *Subdola, etc.* Cave puer, ne deprehendaris a marito suspectae ac notae moechae; vel quae te prodet marito suo. — *Moneo.* Nam si te deprehenderit maritus, non paedicabit; nec enim gaudet nàtibus, quibus confidis ei te poenas soluturum, te enim irrumabit.

2. *Conchis Cytheriacis.* Id est, marinis, vel venereis, quod concha nata esset Venus. Intelligere etiam possumus conchas, quas litus insulae Cytherae ferebat: nil autem levius conchylibus marinis. Ed. P.

3. *Confidis natibus.* Quod vocat eleganter *supplicium puerile* epigramm. 60 infr.

48. — AD RVFVM.

Cauponem, laniumque, balneumque,
Tonsorem, tabulamque, calculosque,
Et paucos, sed ut eligam, libellos:
Vnum non nimium rudem sodalem,
Et caram puero meo puellam,
Et grandem puerum, diuque levem:
Haec praesta mihi, Rufe, vel Bitonti;
Et thermas tibi habe Neronianas.

Felicitatem non loco sed commoditatibus contineri docet Martialis, et quae desideret, in obscuro secessu, vitae modicae et quietae oblectamenta, enumerat. Eo. P.

1. *Cauponem, laniumque.* Ad mensae delicias. — *Balneumque*, et *tonsorem.* Ad curam corporis.

2. *Tabulamque, calculosque.* Tabulam lusoriam cum latrunculis, gallice *échecs*; ad animi relaxationem.

3. *Et paucos, etc.* Ad studium et animi cultum. Ita Seneca Epist. 2 et 45: *Non refert quam multos, sed quam bonos habeas libros. Distrahit animum librorum multitudo. Lectio omnis generis voluminum habet aliquid vagum et instabile. Paucis libris immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter haereat. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui vult pervenire, quo destinavit, unam sequatur viam, non per plures vagetur, etc.* Eo. P.

4. *Vnum, etc.* Ad vitae societatem, amicum unum, atque eum mediocriter eruditum, apud quem liceat ineptire aliquando. Videndum inf. epigr. 90: *Sit non doctissima coniux; nimia enim eruditio superbiam parit, quae in vitae societate gravis. Non sit tamen nimium rudis inculto prorsus ingenio, et qui ab omni literarum commercio refugiat.* Eo. P.

5. *Et caram puero.* Qui amore irretitus domi assiduus esset — *Et caram.* Huiusmodi enim conserva servum in officio et apud me retinebit.

6. *Et grandem, etc.* Ad ministeria. — *Levem.* Ad voluptatem cutis nitorem et iuvenilem corporis decorem diu mihi praestet. Eo. P.

7. *Bitontis* Iunt. ann. 1512, et Colin. ann. 1528. *Butuntis* legit Scriverius: Iac. Bononiensis Annot. cap. 8, emendat *Bisuntos*, quod oppidum est Hispaniae apud Ptolemaeum. — *Hoc praesta mihi.* Ego enim vel in obscurissimo oppido rebus supra enumeratis contentus ero, et regnare ac vere vivere putavero. Quemadmodum enim in amoenis locis solemus malis urgeri, ut lib. IV, epigr. 60: *Quum mors Venerit, in medio Tibure Sardinia est:* sic contra in obscuris et sterilibus locis quoties nobis suppetunt bona, iucundam transigimus vitam. — *Vel Bitonti.* Legunt alii *Bitontis*, quod obscurum erat Apuliae Peucetiae oppidum; vel *Bisuntos*, oppidum Hispaniae.

8. *Et thermas, etc.* Erant thermae

Neronianae caeteris amoeniores, ut lib. VII, epigr. 33: *Quid Nerone peius? Quid thermis melius Neronianis?* Nempe Noster inter iucunda vitae et oblectamenta quae optat, non locum elegit, ubi vivere mallet, urbem nec rus tantopere poëtis decautatum designat; ut vere locum quo vitam agimus non ad felicitatem referre innuat, in manu cuiusque fortunae suae arbitrium, ubicumque terrarum, esse, dum modo vitae necessaria suppetant.

49. — DE THELESINA.

Vxorem nolo Thelesinam ducere: quare?
Moecha est. Sed pueris dat Thelesina: volo.

2. *Dat Thelesina.* Sui copiam. — *Volo.* Vt mihi pueri deprehensi poenas talionis dent.

50. — IN LESBIAM.

Quod fellas, et aquam potas, nil, Lesbia, peccas.
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

1. *Nil peccas.* Hoc est, *Non erras*: quum enim fellatione ora pollueris, ideo recte facis, si aquam potas, et ex more aliarum foeminarum, quae a coitu lavant τὰ αἰδοῖα. Est acumen in ambiguitate verbi sumere aquam, hinc in potationem, illinc in ablutionem: abstemia erat Lesbia, et aquam tantum potabat.

2. *Qua tibi parte decet sumere oportet aquam* Iuntina nostra in margine; sed hoc iugulat sensum, quem intelligi vult Martialis. Nempe non illi suadet, ut ore sumat aquam; sed illam recte hoc facere affirmat.

51. — IN HYLLVM.

Vnus saepe tibi tota denarius arca
Quum sit, et hic culo tritior, Hylle, tuo;
Non tamen hunc pistor, non auferet hunc tibi caupo;
Sed si quis nimio pene superbus erit.

1. *Vnus saepe.* Hyllum pathicum insectatur, quod pauperrimus quum esset, bene vasatos quaerebat, et iis, si quam pecuniolam habebat, largiebatur, et ipse fame peribat. *Ramiresius.*

2. *Tritior.* Trita moneta vilior erat, ideo laudata aspera, quod nova, nec manuum tritura levior. *Idem.*

Infelix venter spectat convivia culi,
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

5. *Spectat, etc.* Ipse non edens, esuriens, famelicus Lib. I, epigr. 41, *tantum spectavimus omnes.*

6. *Hic esurit, ille.* Animadvertendum est *hic* ad remotiorem *ventrem* respiciens, et *ille* ad propiorem *culum*, contra normam. *Vorat.*

52. — DE DASIO.

Novit loturas Dasius numerare: poposcit
Mammosam Spatalen pro tribus; illa dedit.

Hic Dasius, balneo praepositus, pretium exigebat ab iis qui lavare volebant, quod pretium non quadrantem superabat, ut testatur Horatius, sat. III in fine. Vide Cic. pro Coelio: *Nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori; Spatale continuo tres quadrantes persolvit.*

1. Hic simpliciter loturae sunt οὐρῆσις· sed tralatitie pro eo, quod iam dixi, et quod non nominabo. Scalig. ad Propert. IV, 3, 36.—*Novit numerare.* Quum tres pro una numeret, triplexque poscat pretium, bene numerat in suum lucrum. Ed. P.

2. *Mammosam.* Spatalea mammae tantae erant magnitudinis, ut trium mulierum locum occuparet, atque ita triplicem mercedem ab ipsa exegit balneator. Sic de Labieno lib. V, epigr. 50. Hic sensus prae alia obscoena explicatione quidem placet. nempe Spatale et duae illius mammae trium locum occupabant. Ramiresius alium sensum intelligit et putat Dasium postulavisse a meretrice Spatale tria obscoenitatis genera, quae illa libenter concessit. Vid. lib. IX, epigr. 33.

53. — IN MAXIMVM.

Vis fieri liber? mentiris, Maxime; non vis:

Quum Maximus se liberum esse cupere diceret, nec ea facere vellet quae ad veram libertatem consequendam pertineant, hunc docet Noster eum liberum esse, qui ambitionis omnisque cupiditatis expers, parvo vivit, nec culinae divitis vaporem odoratur, nec nobilis dominae perpetitur fastus. Ed. P.

1. *Non vis.* Nam si constanter et certe velles, ea faceres quae necessaria sunt ad te vindicandum in libertatem, nec eos imitareris qui vel ventris, vel ambitionis causa libertatem plane perditum eunt, et ad nutum alienum vivunt; cui quidem malo obviam iri posse ait, si sorte nostra contenti, neque delicias, neque opes supervacuas, neque gloriam inanem sectemur. *Heraldus.*

Sed fieri si vis, hac ratione potes.
Liber eris, coenare foris si, Maxime, nolis:
Veientana tuam si domat uva sitim:
Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnae:
Contentus nostra si potes esse toga:
Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse:
Si tua non rectus tecta subire potes.
Haec tibi si vis est, si mentis tanta potestas,
Liberior Partho vivere rege potes.

3. *Coenare foris.* Durum enim est aliena vivere quadra, ut docet Iuvenalis Sat. V. Lib. IX, epigr. 11: *Liber non potes, et gulosus esse.* Plurimi enim ventris causa semet ipsos addicebant, quum potentiorum coenas captarent, ubi omnia contumeliarum genera usque concoquenda erant.

4. *Veientana.* Vinum ex agro Veientano vilissimum. Veii, olim urbs antiqua Etruriae, nunc diruta: in eius loco nunc est castrum quod incolae appellant insulam, *Isola.*

5. *Si ridere.* Si tam aequo animo paupertatem tuam diligis et foves, ut luxuriosam divitum pompam non solum sine invidia sed cum contemptu videre possis. Ed. P. — *Chrysendeta.* Vasa gemmis ornata. — *Cinnae miseri.* Prae nimia talium vasorum cupiditate. — 6. *Nostra, etc.* Trita et plebeia.

7. Pro *vincitur* Heinsius legendum putavit *iungitur;* quod probant viri docti. Ovidio, *Quique sui Venerem iunxit cum fratre mariti.* — *Si plebeia Venus.* Si non albas secteris stolas, et meretrice sis contentus plebeia, facili, vili, parabili.

8. *Si tua non rectus.* Vel casam humilem intellige, vel, quod magis placet, superiores domus contignationes, quae coenacula vocabantur, ubi habitabant pauperes, in quae nisi incurvi ascendere nequibant, per scalas scilicet.

9. *Si mentis.* Excelso et forti animo opus est ad divitias et delicias contemnendas.

10. *Liberior.* Parthorum reges libertatem acerrime semper propugnaverunt, et regum reges vocabantur, ut docet Suetonius in Caligula, cap. 5.

54. — IN LINVM.

Quid de te, Line, suspicetur uxor,

1. *Quid de te.* Lepide carpit pathicum, cui custodem spadonem dedit uxor, uasuta et maligna mulier, ne ab eo paedicaretur maritus. Lib. X, epigr. 69: *Custodes das, Polla, viro, nec accipis ipsa; Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.* Erat enim rarum, et ridiculum videri poterat viro dari custodem ab uxore, quum contra usu veniret, ut uxori a viro daretur. *Ramiresius.*

Et qua parte velit pudiciorem,
Certis indiciis satis probavit,
Custodem tibi quae dedit spadonem.
Nil nasutius hac, maligniusque est.

55. — AD SEXTVM.

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum est tibi; quod iubes, coleris:
Sed si te colo, Sexte, non amabo.

1. *Vis coli.* Observantiam a me exigis. — *Volebam amare.* Te familiariter uti cupiebam.

3. *Non amabo.* Amor enim et ea quam exigebat Sextus observantia, non conveniunt; aequalitem et familiaritatem inesse decet merae amicitiae.— Aiunt Augustum parca et tenui coena exceptum aliquando ab amico dixisse: *Non putabam me tibi tam familiarem esse.*

56. — AD GALLVM, DE EIVS VXORE.

Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, notatur
  Immodicae foedo crimine avaritiae.
Sed mera narrantur mendacia: non solet illa
  Accipere omnino: quid solet ergo? Dare.

1. In codice membran. Putean. legitur: *Galle melaudat;* unde Heraldus legendum censet, *male audit*, quae vere est lectio edd. vett. Ald. Iunt. Colin. etc. — *Gentibus in Libycis.* Hinc colligere est hunc Gallum in Libya magistratum gessisse; cuius uxor a provincialibus munera accipere dicebatur; at illius avaritiam salse excusat Poëta: dare quippe verbum est obscoenum hoc loco. — Vel intellige, dat ipsa mercedem, nedum accipiat. Vid. lib. II, epigr. 63.—*Dare.* Iocus est in *dare* pecuniam, et sui copiam. Ed. P.

57. — IN FICTVM DIVITEM.

Hic, quem videtis gressibus vagis lentum,

Hic describitur ventosus quidam, forte ille de quo infr. epigr. 74, qui, quum videri valit opibus diffluere, revera tamen egestate extrema laboret, conductis tantum vestibus conspicuus. Huiusmodi homines πτω-

Amethystinatus media qui secat septa;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus alpha penulatorum;
Quem grex togatus sequitur, et capillatus,
Recensque sella linteisque lorisque:
Oppigneravit Claudii modo ad mensam

χαλάζοντας eleganter Graeci vocant, Latini *pauperes ambitiosos*. Herald.

1. *Gressibus vagis, etc.* Fastidiosus et quasi de industria inconstans est incessus istiusmodi ostentatoris delicias et mollitiem mentientis. Sic varicatis spatiari gressibus eleganter dicit Afranius *fluctuatim incedere*. Tardus incessus gravitatis et dignitatis signum.

2. *Amethystinatus*. Hoc est, vestibus conductis ornatus amethysti colorem violaceum referentibus. Lib. I, epigr. 97, vs. 7. — *Media secat*. Hoc est, viam sibi aperit per mediam turbam. Vt fastum ficti huius divitis graphice depingat Poëta, haec subiungit. Viam enim sibi arroganter aperire, est imitari divites illos superbos, fortunam immodeste ferentes. — *Septa*. Septa, ut diximus ep. 14 supr. vs. 5, erant pars Campi Martii sudibus et cancellis circumdata, in qua inclusa unaquaeque tribus suffragia sua ferebat; sed quando comitia non erant, in septis erant mercatores pretiosissima et delicatissima quaeque vendentes. Vid. lib. IX, ep. 60, et lib. X, epigr. 80.

4. *Non ipse Codrus, etc.* Si sensum maxime verisimilem, et ex rerum ordine perspicue apparentem adoptamus, putabimus Publium Codrumque fuisse delicatissimos homines, suarum lacernarum elegantia molles ac luxuriosos; quorum tamen elegantiam superaret fictus ille dives: attamen si meminerimus illius Codri a Iuvenale citati, qui *nihil habebat*, et tamen *perdidit totum suum nihil* (Sat. III), in quamdam dubitationem adducamur necesse est, potissimum si legimus epigr. 26, lib. V, in quo Codrum inducit Noster irascentem quod eum *Alpha penulatorum* nominaverit: fortasse conciliari sic possunt diversi hi duo sensus; scilicet, Codrus pauper erat, sed pauper quoque ambitiosus, et conductis vestibus fulgebat, ut ille quem carpit Martialis. — *Alpha, etc.* Princeps delicatorum, qui penulas sumunt. A more numerandi per literas alphabeticas. Sic Eratosthenes appellatus βῆτα τῶν φιλοσοφούντων. In sacris literis. ego sum α et ω, *principium et finis*. — *Penulatorum*. Penula erat quoddam pallii villosi genus, quo se muniebant Veteres adversus imbrem, ut Horat. epist. I, 11, 18: *Penula solstitio*, etc. Hoc loco apparet eam praecipue in usu fuisse apud molles.

5. *Grex togatus*. Clientum et anteambulonum, quorum indumentum erat toga, lib. I, epigr. 109. — *Capillatus*. Cirratorum puerorum nobilium, qui comas alebant.

6. *Recens*. Novissime empta et fabricata. — *Linteisque lorisque*. Lintea erant vela quibus claudebatur, lora vincula quibus suspendebatur lectica.

7. *Claudii*. Argentarii, foeneratoris. — *Mensam*. Pluteum, tabernam, gallice, *bureau*, *comptoir*.

Vix octo nummis annulum, unde coenaret.

8. *Annulum*. Indicium erat extremae egestatis, annuli vel venditio, vel oppigneratio. Iuven. Sat. II: *Talibus a dominis post cuncta novissimus exit Annulus*. Enim vero, quum annulo omnia in domo signarent veteres, qui vendebat annulum fateri videbatur se nihil amplius habere quod signaret: quemadmodum Gallus qui clavem suam venderet, se nihil amplius habere domi surripiendum, quod clave claudat, significaret. Ed. P.

58. — IN ZOILVM.

Pexatus pulchre rides mea, Zoile, trita.
Sunt haec trita quidem, Zoile; sed mea sunt.

1. *Pexatus*. Turnebus, lib. V, c. 11: Vestes illae pexae sunt, in quibus nec stamen nec subtegmen apparet, eminente et telae contextum operiente villo. Hanc villosam speciem gerunt panni, quum recentes sunt, necdum usu attriti. Adi huiusce libri epigramma 44, vs. 1.

2. *Mea sunt*, non autem conductitia, ut tua pexa.

59. — DE COENATIONE MICAE.

Mica vocor: quid sim, cernis: coenatio parva.
Ex me Caesareum prospicis, ecce, tholum.

1. Domum haud magnam quidem sed venustam imprimis et elegantem Domitianus extruxerat, ubi cum amicis coenitaret: eam ab exiguitate micam vocare iussit et auream ab elegantia. Ex ea prospiciebatur templum exstructum in honorem D. Augusti demortui; sive mausoleum, quo viso convivae admonebantur mortis, hic autem excitantur a Martiale ut genio propere indulgeant, nempe brevi morituri. — *Mica vocor*. Loquitur coenatio quam Domitianus exstruxerat, et micam vocaverat propter exiguitatem: coenatio vero est locus ad coenandum. Iuvenalis Sat. VII, 81: *Surgat, et algentem rapiat coenatio solem*. Illud addam auctarii loco, antiquorum luxuriam versatilia coenationum laquearia fecisse, et ita coagmentasse, ut subinde alia facies atque alia succederet, et toties tecta, quoties fercula, mutarentur. Sic Philander in Vitruv. lib. IV, cap. 3.

2. *Prospicis, ecce, tholum*. Tholus, teste Philandro ad Vitruvium, lib. IV, cap. 7, est aedificii camera, quae altius crescens rotunda forma in fastigiatum cacumen desinit, etc. Si coniecturae locus est, inquit Ramiresius, existimaverim micam hanc ita esse exaedificatam, ut ex ipso triclinio prospiceretur aliquis tholus aedificii, quod sepulcrum alicuius Imperatoris contineret; et ausim affirmare esse mausoleum D. Augusti. Quo viso,

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

de sua sorte admonebantur convivae; mortis vero memoria ad vitae lautitias illos excitabat. Martialis se ipsum explicuisse videtur lib. V, epigr. 65: *Iam vicino iubent nos vivere Mausoleo, Quum doceant ipsos posse perire deos.* Raderus Scaligerum sequutus Ausonianarum lectionum lib. II, c. 26, intelligit tholum interiorem ipsius micae, a quo pendebat cranium, quod convivas de morte admonebat, ut eo largius viverent, et potationibus vacarent. Vide lib. I, epigr. 71, ubi de tholo iam facta mentio. — *Tholus* apud Virgil. Aeneid. IX, v. 408 pro templi fornice usurpatur, unde pendebant arma fixa victoribus: *Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.*

3. Ant. *de Rooy* coniicit *tangere nardo*, sc. capillos. *Tingo* et *tango* saepe permutantur. Iuntinae margini: *Scande toros: pete vina: rosas cape, et ungere nardo.* Hoc verum esse puto, quod ad *rosas cape, et ungere nardo* attinet. Quod vero ad illud *Scande*, forte legendum *Sterne*; sed alterum propius accedit ad literarum tractum in voce *Frange*. Vide infra ad lib. IV, ep. 8. — *Frange toros.* Assiduus accumbe, ut usu diurno nocturnoque frangatur torus seu lectus cui accumbebat conviva. Lib. IV, epigr. 8. — *Rosas cape.* Coronati floribus bibere solebant Veteres; lib. XIII, epigr. 51. Plinius, lib. XXI, cap. 19: *Crapulam et gravedines capitis, impositis coronis olfactuve discutiunt.* Heraldus hoc loco fuse agit de more illo antiquorum. — *Tingere nardo.* Vocaris nardino unguento. *Nardinum sive foliatum constat omphacio, balanino, iunco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo;* Plinius, lib. XIII, cap. 1. — *Tingere* hic est modus imperativus vocis passivae.

4. Calderini vetustus codex habebat, *dememinisse deus*; quod legendum esse ostendit Cuiacius ad Africanum. Hoc habet etiam editio Aldina ann. 1550, quae lectio non probari potest: nam mortis commemorationem ad luxum acuendum inservire volebant Veteres; tantum aberat ut mortis inberent dememinisse. *Herald.* — *Deus.* Domitianus, si suspensi cranii expositioni faveas, vel Augustus, si mausolei Divi Augusti tholum esse placeat. Nam si Augustus, qui deus habitus, condebatur illo sepulcro, qui posset inferioris sortis homo properam non exspectare mortem? Haec autem mortis memoria ethnicos illos ad vitae lautitias excitabat. Lege Petronium in Trimalcionis convivio: *Larvam argenteam attulit servus; hanc quum super mensam semel iterumque abiecisset, Trimalcio adiecit: Heu nos miseros, quam totus homuncio nil est! Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus. Ergo vivamus, dum licet esse, bene.* Et Horat. epist. I, 11, 23 *Tu quamcumque Deus tibi fortunaverit horam, Gratam sume manu, nec dulcia differ in annum.* Ed. P.

60. — IN HYLLVM.

Vxorem armati futuis, puer Hylle, tribuni,
  Supplicium tantum dum puerile times.
Vae tibi, dum ludis; castrabere: iam mihi dices,
  Non licet hoc: quid? tu quod facis, Hylle, licet?

1. *Vxorem armati*. Mouet Hyllum ut discedat ab uxore tribuni militaris, a quo deprehensus non paedicaretur, sed castraretur. Namque quamvis castrari mares vetuisset Domitianus, adulteria quoque prohibuerat. Suet. cap. 7 in Domit. — *Armati*. Tribuni militares, a tribunis aerarii, a tribunis plebis et aliis distinguebantur, quod latus parazonio cingerent. Vid. lib. XIV, epigr. 32.

2. *Supplicium*. Dum confidis natibus, poenam paediconi soluturus. Ep. 47 supr.

4. *Non licet hoc*. Lege cautum est, ne mares castrentur. — *Quid*, *etc*. An itaque nulla poena moechi multandi? et ipse Domitianus tulit legem contra adulteros.

61. — IN MALEDICVM.

Quum tibi vernarent dubia lanugine malae,
  Lambebat medios improba lingua viros.
Postquam triste caput fastidia vespillonum,
  Et miseri meruit taedia carnificis;
Vteris ore aliter, nimiaque aerugine captus,

1. *Quum tibi*, *etc*. Acerbe invehitur in maledicum quemdam; qui quum antea fellator esset, deinde maledicentia famosus factus fuerat: — *Vernarent dubia lanugine*. Antequam ex ephebis excessisses; inventus, quasi vernum vitae tempus. — *Dubia*. Dicitur illud *dubium*, quod nos reddit ancipites. Sic *dubia lanugo* ea est, quae vix oculis percipitur. *Ramires*.

2. *Lambebat medios viros*, *etc*. id est, fellabas, lib. III, epigr. 81. Veteres existimabant ad partes pudendas medium corporis altitudinis inesse; constat autem paulo superius assignandum ad umbilicum.

3. *Postquam*, *etc*. Postquam oris tui spurcissimi turpe ministerium coepit fastidiri ab infimis hominibus, vespillonibus; et exosum esse abiectis carnificibus. — *Vespillonum*. Vespillo vocatur qui mortuorum cadavera e lectulo effert ad rogum; sic dictus a voce *vesperi*, quia sub noctem vulgo id fiebat.

5. Calderinus legit *rubigine*. — *Vteris ore aliter*. Impura tua lingua fit maledica; calumniis et convitiis involas in omnes, bonos aeque ac malos. — *Aerugine captus*. Malevolo livore. *Hic nigrae succus loliginis, haec est Aerugo mera*. Horat. Serm.

Allatras nomen, quod tibi cumque datur.
Haereat inguinibus potius tam noxia lingua:
Nam quum fellaret, purior illa fuit.

IV, 1. Quemadmodum ferrum quod ferrugine capitur, omnino corrumpitur, sic qui in teterrimum totus delabitur vitium quo inficitur omnino, aerugine capi dicitur.

6. *Allatras*, etc. Quodcumque nomen tibi succurrit, et tuae linguae obiicitur, hoc, latranti cani haud absimilis, maledicenter garriendo insectaris. Ed. P.

7. Pulmonnus, *iam noxia lingua*.

8. *Purior illa fuit*. Nam lingua eius quum fellaret, non tam impura et mala erat, quamvis impurissima. Impura lingua dicitur maledici, et fellatoris quoque. Ex hac ambiguitate lepidus est iocus; lib. III, epigr. 80.

62. — IN LABIENVM.

Quod pectus, quod crura tibi, quod brachia vellis,
Quod cincta est brevibus mentula tonsa pilis:
Hoc praestas, Labiene, tuae, quis nescit? amicae.
Cui praestas culum, quem, Labiene, pilas?

1. *Quod pectus*. Labienum pathicum urbane perstringit, ea occasione, quod crura, pectus, brachia, et mentulam velleret. Videri hoc poterat amicae causa facere: sed interrogat cuius causa culum etiam sibi depilet, quod facere non poterat, nisi ut paediconum libidini acceptiorem se praestaret *Ramiresius*.

4. *Cui praestas*, etc. Paediconi sc.

63. — IN MILICHVM.

Sola tibi fuerant sestertia, Miliche, centum,
Quae tulit e Sacra Leda redempta Via.
Miliche, luxuria est, si tanti dives amares.

2. *Leda*. Alii putant Ledam hanc meretricem fuisse, et centum sestertia a Milicho amatore ei data fuisse; alii vero melius intelligunt servam, formae vel ministerii causa emptam, quum subiiciat Milichus se non esse emptum amore Ledae; unde concludit Poëta, minus illum esse excusandum, qui nulla motus voluptate tantam pecuniae summam profuderit. In Sacra Via servi et res aliae vendebantur.

3. *Si tanti dives*. Nam impensis solis centum sestertiis quae Milichus possidebat, iam pauper erat factus; pauperi autem amare turpe est, ut

Non amo, iam dices: haec mage luxuria est.

supr. lib. I, epigr. 93: *Denique paedica, Mamuriane, satur.* Et Salvianus Massiliensis episcopus, lib. VII, de Providentia Dei: *Criminosior quippe est luxuriosa paupertas, et maioris est invidiae miser nugator.... minus siquidem prodigiosum est peccare iuvenes, peccare locupletes.* Ramires.

4. *Haec mage luxuria est.* Vt ad paupertatem devenias prodigendo rem universam in id, quod non amas.

64. — IN TAVRVM.

Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid esse velis:
Peleos, et Priami transit, vel Nestoris aetas,
Et fuerat serum iam tibi desinere.
Incipe: tres uno perierunt rhetores anno,
Si quid habes animi, si quid in arte vales.
Si schola damnatur; fora litibus omnia fervent:
Ipse potes fieri, Marsya, causidicus.

Taurus quidam erat cunctabundus huic Doranti, quem inducit *Destouches* in sua comoedia inscripta *l'irrésolu*, haud absimilis, et de arte quam erat professurus multos per annos dubius ac anceps; hunc igitur, modo ad rhetoris, modo ad causidici munus se cogitatione accingentem, nec ulli manum admoventem monet Martialis ne apud inferos munus suum sit auspicaturus. Ed. P.

1. *Dum modo.* Causas dicere in foro, vel in schola docere cogitas. Rhetor artem dicendi tradit: causidicus exercet.

3. *Peleos.* Graecus genitivus. Peleus, pater Achillis, longaevus fuit, Priamus quoque, et Nestor, de quibus alias.

4. *Et fuerat serum, etc.* Tibi dubio, et utrum inires, deliberanti, iam ea obrepsit aetas, qua cogitandum erat de relinquendo inito, atque ita tardissimum est incipere.

5. *Incipe.* Ad rhetoris officium te accinge. — *Tres uno, etc.* Atque hinc, vel mediocribus professoribus vacant cathedrae. — *Perierunt.* Quorum ignorantur nomina.

7. *Si schola damnatur.* Si rhetoris officium non tibi arridet; rhetor enim is est, qui in schola rhetoricae praecepta discipulos docet. — *Fora litibus, etc.* Fervet opus, esto causidicus.

8. Sensus est: Ipsa Marsyae statua in foro stans, tam crebris causidicorum clamoribus tunditur, ut quamvis saxea dicendi artem callere possit; Lipsius antiquarum lectionum lib. XIII. Ad Marsyae statuam Romani vadimonia obibant. De Marsya, lib. X, epigr. 62.

Eia age, rumpe moras: quo te sperabimus usque?
Dum, quid sis, dubitas, iam potes esse nihil.

9. *Sperabimus usque.* Quousque spes taotum dabis, nec explebis? Iamdudum dicitur: Fiet taurus rhetor vel causidicus; quando dicetur taudem, causidicus vel rhetor factus est?

10. *Esse nihil.* In duplici huius verbi ambiguitate ludit Martialis. *Esse nihil* significat *mori*, et *nullam artem amplecti exercendam.* Huiusmodi suut hae gallicae locutiones: *Il n'est plus* (mortuus est); *Il n'est rien* (nihil agit.) Ed. P. — Igitur hic sensus est: Dum dubitas, quod genus vitae sis amplexurus, vita te deficiet; et simul: dum dubitas quam artem sis professurus, decrescente ingenio, valetudine, ineptus fies ad ullam profitendam.

65. — IN SALEIANVM.

Cur tristiorem cernimus Saleianum?
An causa levis est? Extuli, inquis, uxorem.
O grande fati crimen! o gravem casum!
Illa, illa dives mortua est Secundilla,
Centena decies quae tibi dedit dotis?

Ironice et irrisorie illudit Saleianum, quod, ficto ob uxorem mortuam dolore, tristior incederet, a qua tamen decies centena millis nummum dotis acceperat. *Ramiresius.* — Et dum videtur queri Martialis quod ei fatum uxorem abstulerit, revera queritur quod ei, improbo et iodigoo viro, tantam attulerit pecuniam. Ed. Pas.

1. *Tristiorem.* Id est, tristitiae simulatorem.

2. *An causa*, etc. Hoc versu Saleiaoi respondentis verba coutineotur. — *Extuli.* Proprium funeris verbum, id est, ad rogum deportari iussi, et sepeliri.

3. *O grande fati crimen! etc.* Haec suot quae refert Martialis, ut videtur, fortuoae crimini vertens, quod viduum Saleianum fecerit, sed contra, ut intus ipse putat, quod eum fecerit divitem. Ed. P. — *Crimen.* Quod in veris doloribus accidebat, hic in ficto fingit Poëta: fortunam enim et fatum et deos ipsos accusabaot Veteres, ut supr. lib. I, epigr. 43: *Nimirum timuit nostras fortuna querelas.*

5. *Centena decies.* Subaudi, *millia sestertium*, nostrae monetae centum millia francorum. Porro, ut recte notat Ramiresius, haec summa in genere pro maxima dote vulgo ponebatur; imo quoties magnam pecuniae vim significabaot, certo isto numero utebantur Veteres pro incerto. — *Tibi dedit dotis.* Mortua in matrimonio muliere, dos a patre profecta ad patrem revertitur, at quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet. Adventitia autem dos penes maritum remanet,

Nollem accidisset hoc tibi, Saleiane.

praeterquam si is qui dedit, *ut sibi redderetur*, *stipulatus sit*, etc. Vlpianus in suis fragmentis, titulo VI, de Dotibus.

6. *Nollem accidisset.* Idem iocus qui iam in versu tertio. Videtur enim hic versus sonare, Nollem te uxorem amisisse; sed revera significat: Nollem tibi tantam haereditatem obtigisse, nempe tam immerito. Ed. P.

66. — IN LALAGEN.

Vnus de toto peccaverat orbe comarum
  Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est,
  Et cecidit sectis icta Plecusa comis.
Desine iam, Lalage, tristes ornare capillos,
  Tangat et insanum nulla puella caput.

Morosam depingit matronam, quae, compta ab ancilla ornatrice, quum animadvertisset in unico annulo cirrorum peccatum fuisse; ira accensa, eodem speculo, quo id animadverterat, in Plecusam ornatricem animadvertit tanta saevitia, ut sectis comis et fracto capite misera Plecusa graviter vulnerata ad humum ceciderit.

1. *Peccaverat.* Non erat in ordine. — *Orbe.* Circulus multos annulos continens, vocatur orbis.

2. *Annulus.* Cincinnus, crobylus. — *Incerta.* Quae crines non fideliter constringit, sed extra locum defixa est. Alii *inserta.* — *Acu.* Acu crinali qua comuntur mulieres.

3. *Hoc facinus.* Errorem nimirum Plecusae ornatricis in componendis capillis perinde ac delictum puniit furens Lalage, ornatricis capillos vellens, et caput speculo contundens. Iuven. Sat. VI, v. 491: *Componit crinem laceratis ipsa capillis, Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis. Altior hic quare cincinnus? taurea punit Continuo flexi crimen, facinusque capilli.* Morosae enim erant erga ornatrices suas matronae istae. Et deformitatem suam, quam dum comebantur et ornabantur, speculo sese contemplantes, inspectabant, ancillarum suarum indigna poena, quaedam ulciscebantur. Hoc est cur Iuvenalis, loco supra citato, lepide addat: *Quid Psecas admisit? quaenam est hic culpa puellae, Si tibi displicuit nasus tuus?* Ed. P. — *Quo viderat.* In quo speculo viderat abnormem capillum.

4. *Plecusa.* I. e. ancilla πλέκουσα, quae plicat et componit crines. — *Et cecidit.* Non quidem interfecta est, sed humi procubuit graviter laesa ictu speculi. — *Plecusa.* Ornatrix ancilla a πλέκειν, *texere*, sicut *Psecas* Ovidio et Iuvenali a ψεκάζειν, *concinnare*.

5. *Desine tam* Pulmannus, Langius, alii. — *Tristes, etc.* Tristitiae et verberum causas; metonym.

6. *Insanum, etc.* Ob pilum conturbatum desaeviens.

Hoc salamandra notet, vel saeva novacula nudet,
Vt digna speculo fiat imago tuo.

7. *Salamandra*. Genus est lacertae quod ignem ipsum exstinguere dicitur, et in eo vivere illaesum, adeo frigidae naturae est. Eius virus sive saliva hanc vim habet, ut omnes pilos corporis evellat. Plin. lib. X, cap. 67, et Petron. Arb.: *Quae salamandra supercilia tua exussit?* Optat igitur impotenti mulieri defluvium vel tonsuram capillorum Martialis.

8. *Dignior ut speculo* codex vetus Cagnerii, qui vulgatam non ferendam esse pronuntiat. — *Vt digna speculo*. Quid hic sit intelligendum, in dubio relinquunt variae interpretum sententias; alii intelligunt: Vt quo speculo ornatricì dissecuisti eomas, et tu tibi omnes dissectas in eodem conspexeris. Tam crudele enim speculum non meretur nisi deformes repraesentare imagines; nihil autem turpius est calva muliere. Alii autem: Vt calvum caput tuum aeque reddatur leve ac speculum, quo imaginem tuam videris. Iudicet lector peritus: nec facile est seosum probabilem inde elicere. Intelligerem forsan: Opto, Lalage, ut tibi frangatur caput: sicut fregisti speculum. Ed. P Vltima syllaba vocabuli *digna* producitur, propter sequentes duas consonantes.

67. — IN POSTHVMVM.

Occurris quocumque loco mihi, Posthume, clamas
Protinus, et prima est haec tua vox, Quid agis?
Hoc, si me decies una conveneris hora,
Dicis: habes puto tu, Posthume, nil quod agas.

Officiosam Posthumi inertiam deridet, cuius unicum videbatur negotium alios rogare quid agerent, quod erat signum eum nihil habere quod ipse ageret.

2. *Quid agis*. Hac scilicet formula obvios salutabant Antiqui. Plinius Secundus, lib. III, epist. 20: *Et Hercule, quousque illa vulgaria? Ehо quid agis? Ecquid commode vales?* Vid. Brisson. lib. VIII, de Formul.

3. Langius ex ed. Pulmanni citat: *Hoc mihi, si decies una conveneris hora.*

68. — AD OLVM.

Quod te nomine iam tuo saluto,

Vt Prisci (lib. I, epigr. 113), et Caeciliani (lib. VI, epigr. 88), sic in hoc epigr. Oli se clientem esse recusat Martialis, et idem sapientiae praeceptum quod iam poëtico vestitu ornavit (epigr. 53 supr.) iterum tractat; scilicet, eum qui sibi imperat, aliis non servire; quia paupertate sua contentus, vacat cupiditatibus, quas explere non possit nisi pe-

Quem regem et dominum prius vocabam,
Ne me dixeris esse contumacem:
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges et dominos habere debet,
Qui se non habet, atque concupiscit,
Quod reges dominique concupiscunt.
Servum si potes, Ole, non habere;
Et regem potes, Ole, non habere.

cuniam ab amico potenti per adulationes erogando. En. P.

1. *Nomine iam tuo.* Salutare proprio nomine aequalium erat, vel superiorum, ad conciliandam vel confirmandam gratiam. Vnde candidati, seu petitores magistratuum, plebeculae hominem quemque proprii nominis salutatione demulcebant. Hinc mirabile illud *nomenclatorum*, quos etiam monitores vocabant, ministerium, de quo multa apud Veteres mentio: nomenclatores, quos Horatius gratiae conciliandae instrumentum existimat, nimirum magno debebant esse usui huic rhetori de quo mentio lib. V, epigr. 54, et eius similibus.

2. *Quem regem et dominum.* Vid. supr. epigr. 18, v. 8.

3. *Contumacem.* Non superbum me esse dixeris et quasi rebellem; sed potius mei compotem, et ambitionis expertem. En. P.

4. *Totis pilea sarcinis, etc.* Sportulae, coenarum, etc. iactura libertatem comparavi; hanc omnibus servitutis praemiis potiorem duco. Intelligit Ramiresius: Sarcinulas meas vendidi, ut corrasa inde pecunia possem sportulae tuae supplere vicem. — *Pilea.* Antiquitus servi statum mutantes, ac manumissi capite raso pileum accipiebant. Plautus in Amphitryone: *Quod ille faciat Iupiter, Vt ego hodie raso capite calvus capiam pileum.* Haec sunt servi Sosiae verba qui optat manumitti.

6. *Qui se.* Is dicitur se habere, qui suas cupiditates coërcet.

7. *Quod reges concupiscunt.* Divitias, servos, clientes. Haec vero ut acquirant domini, maioribus serviunt dominis, ut hodie nobiliores aulici. Ego vero, inquit Poëta, me habeo, et nihil quaero aliud.

8. *Servum si potes etc.* Ex istis salutatoribus et anteambulonibus fastuosum suum colentibus regem, pars erat quibus, ad necessaria emenda, utilior erat sportularum proventus; pars, quibus ad supervacanea tantum sibi paranda ille suppetebat. Erant enim miseri clientes quibus, ut ait Iuven. Sat. I, *Hinc toga, calceus hinc est, Et panis fumusque domi*; erant autem alii rem quamdam per se familiarem habentes, et sportulas tamen accipere non erubescentes, unde suis indulgerent deliciis, servorum operas, clientium turbam ipsi emerent, etc. — Quibus rebus si carere vellent, et rege carere poterant. Videatur lib. IX, epigr. 11, v. 4. En. P.

69. — IN CLASSICVM.

Invitum coenare foris te, Classice, dicis:
Si non mentiris, Classice, dispeream.
Ipse quoque ad coenam gaudebat Apicius ire:
Quum coenaret, erat tristior ille, domi.
Si tamen invitus vadis, cur, Classice, vadis?
Cogor, ais: verum est; cogitur et Selius.
En rogat ad coenam Melior te, Classice, rectam.
Grandia verba ubi sunt? si vir es, ecce, nega.

Classicum coenipetam tangit qui masime convivia expetebat, ita tamen loquebatur quasi minime expeteret. Vid. Sidon. lib. III, episl. 3. Ed. P.

2. *Dispeream.* Formula adiurantis, apud Romanos usitata. Ed. P.

3. *Ipse quoque, etc.* Sensus est: Si princeps ille helluonum Apicius (de quo lib. III, epigr. 22), quamvis ditissimus, et lusuriosissime domi coenans, gaudebat ad coenam invitari, cur tu, pauperior, et male domi coenaturus, non gaudeas? Ed. P.

6. *Cogor.* Ab amicis, inquit Classicus. — *Cogitur, etc.* Gula nempe cogit vos. De Selio dictum epigr. 11, 14, et 27 supr. *Cogi* latine dicitur is qui vi aliena contra voluntatem suam, vel qui voluntate sua pertinael ad rem ducitur. Vid. ad Terent. in Andria, act. IV, sc. 1.

7. *Melior.* Cuius tanta fuit mensae elegantia, ut nitidus fuerit appellatus. Statius, Sylv. lib. II, de Arbore Atedii: *Stat quae perspicuas nitidi Melioris opacet Arbor aquas.* — *Rectam.* Civilem, honestam, qua cum patronis clientes accumbebant olim, antequam daretur sportula, quae in locum coenae rectae fuit substituta. Suetonius, in Domitiano, cap. 7: *Sportulas publicas sustulit, revocata coenarum rectarum consuetudine.* Lib. VIII, epigr. 50.

8. Ant. *De Rooy* legeret: *Grandia verba ubi nunc?* Solent enim frequentius in eiusmodi increpatione adverbia *nunc* vel *tunc* adhiberi. Virg. Aen. V, 391; X, 897; et Ovid. Heroid. Epist. IV, 150. Porro pro *ecce nega*, malit *ire nega?* praesertim quum iam τὸ *en* versu proximo praecesserit. — *Grandia.* Te scilicet invitum coenare foris. — *Si vir es.* Si gulam cohibere potes, dic te nolle ad coenam Melioris ire.

70. — IN COTILVM.

Non vis in solio prius lavari

1. *Non vis.* Cotilum fellatorem alios fastidientem, et qui nolebat quemquam prius in solio lavari, notat; et decet spurciorem eum esse, quam quemvis alium. *Ramiresius.* — *In solio.* Vid. epigr. 42 supra, ubi quid

Quemquam, Cotile: causa quae, nisi haec, est?
Vndis ne fovearis irrumatis.
Te primus licet abluas, necesse est,
Ante hic mentula, quam caput, lavetur.

sit *solium* et in quem usum disputatur. Ed. P.

4. *Te primus*. Cotilus formidabat aquas irrumatas; in quibus scilicet alii lavissent mentulas; ne igitur irrumatae sint, lavet ipse primus; sed hac lege, ut potius obscoenas partes, quam caput in solio abluat, quod fellantes os habent spurcum. Lib. XI, epigramma 96.

5. *Caput*. Hoc enim illa contaminatius.

71. — AD CAECILIANVM.

Candidius nihil est te Caeciliane; notavi.
Si quando ex nostris disticha pauca lego,
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.
Haec mihi das, tamquam deteriora legas.
Vt collata magis placeant mea? credimus illud.
Malo tamen recites, Caeciliane, tua.

Caecilianum veteratorem callidum carpit facetissime, qui quoties aliqua carmina Martialis legerentur, continuo ea cum similibus Marsi vel Catulli versibus comparabat, tamquam si Martialis carmina illis praeferret. Dicit, malle se, ut Caecilianus recitet sua, quam illorum veterum poëtarum. Totum autem id epigramma per ironiam contextum est. *Ramires*.

1. Alii legunt *Callidius*. — *Candidius*. Ironice. *Candidus* enim ille dicitur, qui ingenue et absque invidia iudicat. — *Notavi*. Id saepe observavi.

3. *Marsi*, qui epigrammatum scriptor fuit non ignobilis.

4. *Hoc mihi* codd. Put. et Arondell. probante Heraldo. — *Haec mihi das*. Gallice, *Tu me les donnes pour mauvais*. Ed. P. — Alii legunt *Hoc mihi das*, et intelligunt: *Hoc facis in meam gratiam*, ita mihi adularis.

5. *Et collata* cod. Arondell. *Vt collata magis placeant mea* sine interrogatione Heraldus. Verba, *et*, *ut*, saepe permutantur. — *Credimus*. Per ironiam subiicit Poëta, credo te eo fine et animo veterum poëmata recitare, ut, meis collata, deteriora videantur. Revera hoc facis, ut mea prae iis sordescant, quasi maiori lumine offuscata; enim vero, ut eorum ingenium praetermittatur, hoc saltem habent, quod antiqua sunt; homines autem invidia moti vetera praesentibus praeponunt, et opera vivorum poëtarum reprehendunt, non alio nomine quam quod nova sunt.

6. *Malo tamen, etc.* Facete hoc ambiguo sensu dictum; id est, Malo me honorari praelatum tibi quam

Marso et Catullo; sed revera malo, ut tua pessima carmina recites, in meorum contemptionem, quam elegantissima illa Marsi et Catulli, his enim procul dubio mea magis placebunt.

72. — IN POSTHVMVM.

Hesterna factum narratur, Posthume, coena,
  Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi praecisum, quanto non ipse Latinus
  Vilia Panniculi percutit ora sono:
Quodque magis mirum est, auctorem criminis huius
  Caecilium tota rumor in urbe sonat.
Esse negas factum: vis hoc me credere? credo.
  Quid quod habet testes, Posthume, Caecilius?

1. *Hesterna, etc.* Prae se fert dolorem, audito quam indigne exceptus sit Posthumus a Caeciliano, qui colaphum illi in os impegerit, quum interim verbis alienis exprobret illi turpe crimen fellationis, et deflectat ad improbum sensum haec verba *praecisum*, vel *percisum*. Vide lib. IV, epigr. 48, et lib. XII, epigr. 35. *Rumor* pro *irrum*, ut lib. III, epigr. 72, 79 et 86. *Factum*, supr. epigr. 31; *testes* sensu etiam obscoeniori: similis est iocus in Amphitryone.

3. Anton. *de Rooy* mallt: *Os tibi percussum*; haud ingrata eiusdem vocis repetitione. — *Os tibi praecisum*; alii *percisum*. Percidere enim est batuere, tundere. Turnebus lib. VII, cap. 12. — *Quanto*, etc. Maiore sono, quam ubi Latinus ille mimus alapis caedit ministrum suum. Iuven. Sat. VI: *Qua sorbeat aëra sanna.* — *Latinus Vilia Panniculi.* De Latino diximus lib. I, epigr. 5, cui Panniculus minister erat ad risum conciliandum, sinebatque se alapis percuti a Latino. Lib. 5, epigr. 61: *O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini! Te successurum credo ego Panniculo.* — *Testes.* Iocus est in ambiguitate sensus huius vocis. Ed. P.

73. — IN LYRIM.

Quid faciat vult scire Lyris: quid? sobria fellat.

1. Alii legunt: *Quid faciat, vis scire Lyris?* Musambertius: *Quid faciat vis scire Lyris quoque sobria? fellat.* Iunt. et Colin. *quod sobria.* Huic versui pentametrum subiicit codex Bodleianus: *Gaudeo: quid facies ebria facta Lyris?* — Si hanc retinemus lectionem, intelligemus, Lyrim, quae ebria antea fellabat, sobriam fellavisse, ut suae mentis compos, sciret quid faceret. — Si legimus: *Quid faciat vis scire, Lyris? quod sobria: fel-*

lat, intelligemus: Vis scire quid faciat Lyris, quum ebria est? nil aliud quam quod facit quoque sobria: fellat. — Denique si legimus: *Quid faciat vis scire Lyris: quid? sobria fellat*, intelligemus: Vis scire quid faciat Lyris? fellat sobria; immo magis ebrie. — Si legimus hunc versum ut Musambertius: *Quid faciat vis scire Lyris quoque sobria? fellat*, intelligemus quasi diceret: Ille se videri vult ebriam tantum hoc facinus facere (ut Aristoph. Vespis); sed idem opus etiam sobriae.

74. — IN SAVFEIVM, FICTVM DIVITEM.

Cinctum togatis post et ante Saufeium,
Quanta reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa quum reum misit,
Materne, cernis? invidere nolito.
Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam.
Hos illi amicos, et greges togatorum,
Fusciculenus praestat, et Faventinus.

Consonat huic epigrammati epigr. 57 supr. Depingit in eo fastuosum incessum et comitatum Saufeii cuiusdam ambitiosi panperis, sua bona foeneratoribus oppignerantis, ut anteambulones haberet et pedisequos. Mittitur epigr. ad Maternum nobilem oratorem huius aetatis, de quo plurima mentio apud Plinium iuniorem, et in eo Dialogo de causis corruptae eloquentiae, qui tribuitur Quintiliano. Vide quoque lib. X, epigr. 37, et supra epigr. 57.

1. *Togatis.* Clientibus, toge indutis honoria causa. Ed. P. — *Post et ante.* Anteambulonibus, lateronibus, pedisequis.

2. *Quanta reduci.* Sensus est: Vide Saufeium cinctum turba tanta quanta cingitur Regulus, quum clientes innumeri e tribunali reducem, ubi eius eloquentia absolutus fuit reus quidam, comitantur, et domum deducunt. Ed. P. — *Regulus.* Causidicus, amicus Martialis, qui in eum benignus. Vid. lib. I, epigr. 13, 83 et 112. De eiusdem autem facultate dicendi, deque male mente et malo animo, multa legere potes apud Plinium. — *Turba.* Lib. I. Oratores vero clari et victores domum e foro deducebantur e populo et amicis reorum absolutorum.

3. *Tonsum.* Rei qui pendente iudicio sordebant squallidi capillis et barba promissa, ubi absoluti erant, tondebantur, mutatisque vestibus uncti Capitolium ascendebant, Iovi gratias ex voto acturi, stipante amicorum quoque uncta et tonsa corona. Vide epigr. 24 supr. v. 1 et 2. Ed. P.

7. *Fusciculenus et Faventinus.* Duo foeneratores, e quibus mutuam pecuniam acceperat Saufeius, qua hunc togatorum comitatum conduceret. Epigram. 57 supra. Vel Fusciculenus et Faventinus praedia aut vendita aut pignori data, ut esset unde edulatoribus his satisfaceret; nam praediorum potius quam foeneratorum nomina sunt. *Heraldus.*

75. — DE LEONE CICVRE, AD FERITATEM REVERSO.

Verbera securi solitus leo ferre magistri,
Insertamque pati blandus in ora manum,
Dedidicit pacem, subito feritate reversa,
Quanta nec in Libycis debuit esse iugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam rastris quae renovabat humum,
Saevus et infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit maius arena nefas.
Exclamare libet: Crudelis, perfide, praedo,
A nostra pueris parcere disce lupa!

Arena amphitheatri sanguina fararum et gladiatorum cruenta, de more a pueris renovabatur. Vagabatur in eadem domitua et cicur leo, qui tamen subito datus in pristinum furoram, pueros invasit, et duos eorum miserabiliter in conspectu omnium laceravit.

1. *Securi magistri*. Nihil metuentis.

4. *Quanta nec, etc.* Ad feritatem reversus est, et quidem maiorem quam habuit ante, dum montes per Libycos vagaretur. Ed. P. — *In Libycis*. Montibus Libyae leonum nutricis. In Libya est Gaetulia ubi ferocissimi nascuntur. Virg. Aen. V, 351: *Gaetuli tergum immane leonis.*

5. *Nam duo de tenera*. Duos e pueris theatralibus ministris, qui amphitheatri arenam, sanguine humano et ferino cruentam, versando rastria renovabant iniecta super nova arena, ne lubrica, et ad standum pugnandumque instabilis pedes decertantium falleret ancipites.

7. *Saevus et infelix*, Saevus, praeter expectationem; et infelix, quia tristis facinoris tristis auctor innoxios mactavit pueros, vel quia ipse postea interfectus est.

8. *Martia arena*. In qua tamen caedes quamplurimae perpetrabantur. *Martia* dicitur, vel quia Marti sacra et pugnis gladiatoriis consecrata; vel quia Romana, ut lib. 1, epigr. 4, v. 4.

10. *Nostra lupa*. Quae non modo Romulo et Remo infantibus pepercit, sed ipsos uberibus admotis nutrivit.

76. — DE MARIO.

Argenti libras Marius tibi quinque reliquit.

1. *Argenti libras*. Ab instituto haerede Marius haeredipetae, cuius nomen ignoratur, reliquit tantum quinque libras argenti, unde deceptus est, relicto nempe exiguo quinque librarum argenti legato, quum totam haereditatem exspectaret captator ille. In eo iocus est, quod quum verba tan-

Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

tum, non muners, Mario dedisset captator, vicissim Marius verba dedit, seu illum spe sua frustravit. *Verba dare*, latine est *decipere*. Vide Ovid. de Arte Amandi v. 166. — Vel etiam intellige Marium non solvendo esse propter grande aes alienum, et ideo inane esse relictum ab eo legatum. Ed. P. — Sed longe diversus est, quem Ramiresius adoptavit, sensus, scilicet: Marium semper neglexeras incultum, nec muneribus missis eius captabas haereditatem; igitur quum te haeredem instituit, tibi *verba dedit*, id est, te decepit nihil simile exspectantem. *Verba dare* enim est praestare aliquid quod praeter spem accidit: qui sensus non nobis insulsus videtur: iudicet lector. Ed. P.

2. Nonnulli codices habebant: *Cui nihil, Isse, dabas*, ut *Isse* sit proprium nomen; quod non displicet Calderino. Pro *is tibi*, codd. Vat. et Thuan. exbibent, *hic tibi*.

77. — IN COSCONIVM.

Cosconi, qui longa putas Epigrammata nostra,
Vtilis ungendis axibus esse potes.
Hac tu credideris longum ratione colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse brevem.

Inepto cuidam censori Cosconio Martialis numeranti potius quam ponderanti versus, et ipsius epigrammata longiora existimanti, respondet Poëta, non bene dici *longiora* vel *breviora* quaecumque iusta suarum partium proportione congruenter concinnantur; sic et Plinius lib. V, epist. 6: *Vides quot versibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Aeneae, Achillis ille describat; brevis tamen uterque, quia facit quod instituit*. Ed. P.

2. *Vtilis ungendis*. Quum tantopere celeritatem ames, melior esses auriga quam poëta, et currum, ungendo illius rotas, facilius incitares, quam versum duceres. — Vel: homo es ita pinguis et obesus (id est, ita stolidus et hebes) ut adhiberi possis loco unguinis et adipis vice, ad ungendas rotas. — Hunc sensum adoptat Ramiresius, et stultum quemque a veteribus pinguem et crassum vocari multis confirmat exemplis: ita Horat. Serm. lib. I, 3, 58: *Tardo cognomen pinguis damus*. Ed. P.

3. *Hac ratione*. Qua tu censes longa esse mea epigrammata, ita dices longum esse colossum, qui longus esse nequit, quum habeat suam proportionem. Vid lib. Spect. epigr. 2, v. 1.

4. *Et puerum Bruti*. Statuam a Strongylione statuario factam, ad imaginem pueri a Bruto amati, qui formosissimus fuit, sed exiguae staturae, nec tamen parvus dici debet, utpote qui membra habeat suae mensurae convenientia. — *Bruti*. Decimi Bruti, Caesaris percussoris, qui se post Philippensem pugnam, in qua ab Antonio et Octavio victus est, interemit. —*Brevem*. In utroque autem signo laudis summa est propter symmetriam: in hac brevitatis, quae puero, in illo

Disce, quod ignoras: Marsi doctique Pedonis
Saepe duplex unum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis;
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

altitudinis, quae imperatori Deo convenit.

5. *Marsi doctique Pedonis.* Poëtae nempe egregii fuerunt, qui vel unum epigramma duabus paginis absolvebant. Pedonis vero Albinovani, epigrammatum auctoris celeberrimi, restat consolatio ad Liviam, quae et Ovidio a quibusdam adscripta circumfertur.

6. *Saepe duplex.* Saepe unum epigramma binas implet paginas.

8. *Sed tu*, qui nec venuste quidquam, nec argute dicere potes. Brevis vero est ille Poëta, qui facit quod instituit, quum nempe dicit apte pro subiecta materia; longum vero vel unum distichum videri potest, in quo aliquid superfluum est. Cosconii disticha mala nempe hoc sensu longissima esse intelligit, quia laxa et fastidiosa. Vid. lib. XIV, epigr. 202. — Raderus etiam intelligit: Quia tota vita laborasti, nec unum distichon absolvisti et edidisti. Malo priorem sensum; nam vocat *longa* Cosconii *Disticha* per oppositionem eorum quibus nihil demi potest. Significat igitur multa ex istius epigr. recidi recte posse; quae nempe largiori vena profluant. Ed. P.

78. — AD CAECILIANVM.

Aestivo serves ubi piscem tempore, quaeris?
In thermis serva, Caeciliane, tuis.

2. *In thermis.* Thermae sunt balnea calida, a calore (qui graece θέρμη) sic denominata; thermae autem Caeciliani adeo erant frigidae, ut vel aestate pisces a corruptione vindicare possent. Ideo fingit Poëta se a Caeciliano interrogari, ubi servare pisces possit per aestatem, et illum inexspectato responso carpit festive et irrisorie castigans ob thermarum frigiditatem.

79. — IN NASICAM.

Invitas tunc me, quum scis, Nasica, vocasse.

Si nostram lectionem retinemus, sic intelligemus: Quum scis, o Nasica, domi me amicis instruxisse coenam, tunc me invitas; ut scilicet tu ipse inviteris. Sed Poëta, quasi non intellecta mente Nasicae, subdolum coenipetam deludit, respondendo tantum: excusatum me habeas, domi coenam amicis apparavi. — Si autem legimus *vocatum*, sic intelligemus:

Excusatum habeas me, rogo: coeno domi.

Quum me vocatum ab aliquo comperis, protinus me invitas, sciens me non iturum. Quod artificium a me deprehensum ut scias, tibi bodie, quasi me invites, irrisorie antevertens respondeo, *Coeno domi*: id est, parce metu, non tibi rem faciam molestam; sordidi convivatoris mensae mesm praepono menssm; nec ire volo, etiamsi velles, et possim. Ed. P.

1. Edd. vett. *vocatum*, pro quo Scriv. reposuit *vocasse*. Ant. *de Rooy* distingoere malit: *Invitas tunc, me quum scis, Nasica, vocasse.* Sic infr. lib. IV, epigr. 68, eodem modo *invitare* absolute · *Invitas centum quadrantibus*. Lib. VIII, epigr. 22: *Invitas ad aprum*. Lib. IX, epigr. 103: *Denariis tribus invitas*.

2. *Coeno domi*. locus ab inexspectato; si quidem excusatio non in doloicoeoio, sed in alieus invitatione vulgo fit.

80. — DE FANNIO.

Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hoc, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Fannius Caepio, proscriptus quod in Augustum coniurasset, quum fugeret percussores, se ipse interemit, ne interimeretur, et mortem morte redemit. Seneca, epist. 58: *Sic mori vinci est.*

1. *Fannius*. Quem irridet, quod metu mortis ipse sibi mortem consciverit. De hac voluntaria morte, aut potius de hoc furore, diximus lib. I, epigr. 9.

81. — IN ZOILVM.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit:
Dum tamen haec tua sit, Zoile, sandapila.

1. Per me licebit, o Zoile, ut tua lectica sit laxior et amplior quam illae quae a sex baiulis portantur; et ita te divitem fingas, non iovidebo; modo eadem in lectica mortuus efferaris, in qua gestaris vivus; hoc est, brevi mortuum te videam.— *Hexaphoris*. Leetica quae gestatur a sex famulis (ἕξ, *sex*; φέρω, *porto*).— *Lectica*. In ea gestabantur vivi, et efferebantur mortui, maxime nobiles ac divites; pauperes vero in sandapila, quae est plebeium feretrum. Suetonius in Domitiano cap. 17: *Cadaver eius populari sandapila per vespillones exportatum.* In vetusto codice sic legitur ultimus versus: *Quum tamen haec tua sit, Zoile; sandapila est.* Argute quidem, quum vivum cadaver videretur Zoilus.

2. Inveni in MS. *Quum tamen haec tua sit, Zoile, sandapila est.* Et ita scripsit Martialis. *Gronov.* Sic erat etiam in vet. cod. Palmanni. Inde poëta io-

telligeret lecticam fastuosi Zoili laxam, maxime videri posse sandapilam, quum et pauper sit et strigosus, et vivo cadaveri persimilis. Alii sic exponunt. Tu, Zoile, velut e lautioribus unus, tum lectica ampla et magnifica circumferris a sex lecticariis, quum dignus sis sandapila seu feretro: nihil enim es praeter vivum cadaver; immo iam tum non ferri, sed efferri deris, adeo squalidum, emortuum, turpe et foedum habes corpus, vel potius cadaver. *Raderus.* — Nec Raderi explicationem prorsus abiiciendam puto: nam haec macies tetra, iste lividus et foedus corporis habitus apprime invido homini, ipsius invidiae archetypo conveniunt, ita ut poëtae non aliis coloribus Invidiam pinxerint. Ed. P.

82. — AD PONTICVM.

Abscissa servum quid fingis, Pontice, lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

1. Ant. *de Rooy* putat scribendum omnino, *Abscisa*. Reddendum et hoc verbum infra lib. III, epigr. 85: *Quis tibi persuasit nares abscidere moecho*: ubi itidem *abscindere* circumfertur. Et Senecae, de Ira I, 15: *Num quis membra sua odit tunc, quum abscidit?* ubi, vulgo, *abscindit*. Hinc Anon. in epist. crit. ad eumdem Ant. ita scribit: « Primae voci maculam tu abstersisti; liceat mihi quartam sanare; faciam id ope MS. Thuan. qui pro *fingis, figis* praefert: vere si quid video, modo mentem capias auctoris, et sensum vocabuli; illum puta, quem hique Poëta impudicus sectatur, neque enim *figis* est cruci figis, quod non nemini in mentem venit. » Alii *quod fugis*. — *Quid fingis.* Quum ipse Ponticus elinguem reddidisset servum, impuris suis voluptatibus servientem, ne turpitudinem eius declararet, fingebat ab alio linguam fuisse servo abscissam; sed frustra, teste etiam Iuvenale, Sat. IX: *Secretum divitis ullum Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquuntur, Et canis, et postes, et marmora, etc.* Sic gallice dicitur: *Les murs ont des oreilles, une langue.* Ed. P. Alii *foedus*. Sensus manifestus est.

2. *Nesci tu* Thuan. unde Beverlandus legi iussit, *Nescin tu.*

83. — IN SAEVVM MARITVM.

Foedasti miserum, marite, moechum:
Et se, qui fuerant prius, requirunt

2. *Et se requirunt.* Sensus est: Ab uxore tua requiritur prior moechi forma, quum sana illi supersit pars qua peccare possit, at forte foedius quam antea. Vid. sup. epigr. 60, vs. 3; et epigr. 85, lib. III, quod eiusdem argumenti omnino est.

Trunci naribus auribusque vultus.
Credis te satis esse vindicatum?
Erras: iste potest et irrumare.

84. — IN SERTORIVM.

Mollis erat, facilisque viris Paeantius heros:
Vulnera sic Paridis dicitur ulta Venus.
Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc est:
Ex hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

1. *Mollis*, seu pathicus. Fingunt Poëtae, Venerem solere turpibus amoribus vindicare iniurias sibi ac suis illatas. Quare, si, ut refert interpres Thucydidis ad librum I, Philoctetem, quod interfecerit Paridem, ulta fuit Venus hac poena, ut pathicus esset; credo ego (iocatur Poëta) Sertorium Siculum interfecisse conterraneum suum Erycem, Veneris filium; namque illum non leviori turpitudinis poena male mulctavit Venus, etc. — *Paeantius heros*. Philoctetes, filius Paeantis.

4. Non bene hanc lectionem concoquo: praeterquam enim, quod insuave sonat *hoc, oc*; non memini, hanc praepositionem a quoquam bonae notae auctore, pro *ab* (eo quidem sensu, quo h. l. capi deberet) usurpari. *Abs hoc* vult Guietus ad Lucan. IV, 719, quod non est nauci. Quid? si legas: *Esse huic occisus, Rufe, videtur Eryx*. Sic Spectac. Epigr. 27: *Huic percussa foret, etc.* licet ibi in aliis libris legatur *Hinc*. Sed tamen nescio quid duri sic quoque hic versus habet. Tu vide an lenius excogitare queas. *Ant. de Rooy*. — *Eryx*. Filius Veneris et Butae, caestus certamine inclytus, qui fuit occisus in Sicilia, ignoto nec unquam comperto occisore; unde mouti in Sicilia nomen, cui superpositum templum Veneri Erycinae dicatum, de quo Virg. Aeneid. lib. V, v. 759.

85. — AD AMICVM.

Vimine clausa levi niveae custodia coctae,
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.

Est hoc epigramma callida togae petitio, a Martiale urbane facta. Ed. P.

1. *Vimine clausa levi, etc.* Sensus est: Ampullam seu lagenam vitream aquae decoctae et nivibus refrigeratae continendae destinatam, viminibus supertextis armatam et munitam mitto tibi his Saturnalibus, ipso decembri. Si offendat muneris aestivi hiberna intempestivitas, ulciscere hanc iniuriam pari intempestivitate, ac mitte mihi togam aestivam. — *Custodia*.

Dona quod aestatis misi tibi mense Decembri,
Si quereris; rasam tu mihi mitte togam.

Carcerem vulgo significat; recte autem lagena dicitur aquae aut vini carcer; adde quod vimen inductum lagenae fictili aut vitreae illam tuetur et custodit, ut ipsa vinum aut aquam servat. — *Coctae.* Solebant Romani aquam decoquere, saccare et nivibus refrigerare, eaque uti per aestatem; de qua Iuven. Sat. V, 49: *Si stomachus domini fervet vinoque ciboque, Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.*

3 *Dona quod aestatis.* Quum aquam frigidam conservet haec ampulia. — *Mense decembri.* Saturni festa, sive Saturnalia, hoc mense celebrabantur; tunc ad amicos munera missitare moris erat. Vide lib. V, epigr. 85. — *Rasam.* Rasa toga, minorem fovens calorem, est consentanea aestivo tempori. Inter rasam et detritam hoc est discrimen, quod *trita* ea est quae vetustate villum amisit, quum antea pesa fuerit et crassa; *rasa* autem ea est, quae sua textura nullam habet eminentem villum; quam levem appellat lib. VII, epigr. 85: *Nec levis toga, nec rudes lacernae.*

86. — AD CLASSICVM.

Quod nec carmine glorior supino,

Irridet critica censura errorem multorum, qui existimant magnum quiddam praestari ab his, qui difficillima scribunt poëmata, non ob reconditam eruditionem, non ob accuratam elocutionem, sed tantum ob intortos quosdam numeros et coactos, quibus nihil laboriosius. Quod videmus nec Graecos, nec Latinos celebres poëtas unquam tentasse. Est enim puerilis quidam labor in his naeniis collocatus, quas poëta appositissime nugas difficiles appellat, et ineptias studio et labore compactas. *Ramiresius.* — Sic olim, apud nostrates, laus erat poëtae qui versibus minoribus maioribusque artificiose intermixtis, carmen ediderat quod arae, vel poculi, vel alae, vel crucis oculis repraesentaret imaginem; sic arduis metri ambagibus, et continuata versus aut mensurae, aut *rimae* cuiusdam semper redeuntis necessitate impediebantur antiqua carminum genera apud Gallos usurpata; *le lai, le virelai, le chant royal, la ballade. la villanelle, etc.* Ed. P.

1. *Carmine glorior supino* Supinus cursus est ille qui retro fit. Ovid. de Ponto lib. IV, eleg. 5: *Fluminaque in fontes cursu reditura supino.* Itaque carmen supinum intellige illud, quod metro stante sic recurrit, ut neque literis motis, nec transpositis, quemadmodum ab initio ad finem, sic a fine relegatur ad initium; quale est hoc distichon: *Signa te signa, temere me tangis et angis, Roma tibi subito motibus ibit amor;* et hic versus: *Sole medere pede, ede, perede melos;* aut ille medici cuiusdam ad hydropicum: *Mitis ero, retine leniter ore sitim.* Vide Sidon. lib. IX, epist. 14. Eiusdem generis est carmen quod non per literas sed per voces retro legi potest, ut illud Virgilii: *Musas mihi causas me-*

Nec retro lego Sotaden cinaedum,
Nusquam Graecula quod recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Attis
Mollem debilitate Galliambon;

mora quo numine laeso, quod minime claudicat si legimus: *Laeso numine quo memora causas mihi, Musa*; vel illud quod iambicum est: *Micant nitore tecta sublimi aurea*; et fit pentametrum si legimus: *Aurea sublimi tecta nitore micant.* Ed. P.—Multaque alia, inter quae Rbabani artificiosus dicam an laboriosus liber de Laudibus sanctae crucis; atque eiusdem argumenti alter, Publilio Optatiano Porph. auctore. — Erat quoque apud veteres Gallicos versuum conditores, versus genus quod vocabatur *rétrograde*, et quemdam offerebat sensum, seu recte, seu retro legeretur. Ed. P.

2. *Nec retro lego Sotaden cinaedum.* Id est, nec lego et condo carmina, mollia qualia composuit primus Sotades. Ed. P. — De Sotadaeo versu plurima sunt apud rei metricae scriptores, et praecipue apud doctissimum Terentianum Maurum, de quibus non est nunc disputandi locus. Vid. Strab. lib. XIV, et Scaliger. Poët. lib. II, cap. 30. — Hic vel specialim dicit Martialis quod praecedenti versu dixerat generatim, scilicet se non scribere versus retrogrados, ut Sotades; vel intelligit carmen quod procurrit in laudem alicuius, et recurrit in vituperium. Nota sunt illa: *Laus tua non tua fraus*, etc. Aliud quoque genus Sotadici carminis vide lib. III, epigr. 29.

3. *Nusquam*. Nusquam in meis versibus. Ed. P. — *Graecula quod recantat Echo.* Sensus est: quod non scribo Graecorum more carmina quorum extremae voces sive syllabae geminentur, ut Echo voces repetit et recinit. — *Graecula.* Ingenio ad nova et singularia quaeque excogitanda acutissimo eminebant Graeculi inopes, qui Romam commeabant occasionem ditescendi quaeritantes; Iuven. Sat. III, v. 78: *Graeculus esuriens in caelum, iusseris, ibit!* Ed. P. — *Echo.* De versibus Echicis vid. Scaliger. Poët. lib. II, cap. 29; et Politiani miscellanea cap. 22. In iis duae ultimae versus syllabae ita repetuntur, ut aliquem sensum efficiant, veluti si pentametrum sic finias: *Cur ita clamat? amat.* Vel: *Femina dira viri nex est et terribilis lis.* Lege Anthol. lib. IV, cap. 10.

4. *Nec dictat mihi Luculentus Attis, etc.* Sensus est: Nec argumentum praeclarum et operosum carminis mihi dat Atys quem canam versu Galliambico, debili ac lascivo. — *Attis.* Atys seu Attys, Lydus quidam seu Phrygius, puer elegans fuit, a Cybele adamatus, cuius sacra in Phrygiam invexit. Quae quidem sacra impudicitiae fama laborabant, et celebrabantur a sacerdotibus eviratis effemioatisque, qui Galli a fluvio Phrygiae Gallo dicebantur.

5. *Mollem debilitate.* Vox *mollis* in utramque partem latine potest accipi; significat enim vel *venuste elegans*, vel *effoete euervis*: hoc sensu a Martiale nunc sumi patet ex voce *debilitate*, ablativo casu vocis *debilitas*. Ed. P. — *Galliambon.* Elumbis hic versus qui Atydem maxime decet eviratum, sic appellatur a voce *iambus*, quia senis pedibus iambis constat; et a voce

Non sum, Classice, tam malus poëta.
Quid si per graciles vias Petauri
Invitum iubeas subire Ladam?
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palaemon:

Galli, quia a Gallis sacerdotibus canebatur. Carmen galliambicum primus scripsit Caecilius, et deinde Catullus de Aty, cuius initium est: *Super alta vectus Atys celeri rate maria.*

6. *Non sum, Classice, etc.* Quod sotadicos, echicos, galliambicos, non facio versus, non sum tam contemnendus poëta, quam quidam illorum versuum amatores putant. Capitur ingenio lector sapiens, non nugis laboriosis.

7. *Quid si per, etc.* An si iuberes Ladam transmittere Petaurum, putas eum id facturum? Non faceret certe, aut faceret admodum invitus; quia naturali pedum velocitate egregie commendabilis, non vellet naturalem istam pro artificiosa relinquere, et funambulorum more vilium, hoc per machinas facere, quod per se facere potest. Ita ergo, elegantiam facilem et nativam, non longe accersitam et ardue victam difficultatem in carminibus meis requiro. Ed. P. — *Petauri.* De Petauro, quid esset et qua figura, obscura omnino ratio est. — Scaliger ad hunc versum Manilii lib. V: *Corpora quae vallido saliunt excussa Petauro,* sic de Petauro disserit: Rota in sublimi posita a duobus versabatur. Alter superne, alter inferne nitebatur. Ita fiebat ut alternis deiecti nunc penderent, nunc erecti sederent. Per eamdem rotam etiam corpora contento saltu subiecta traiiciebant. Lib. XI, epigr. 22: *Quam rota transmisso toties intacta Petauro.* Vnde et ex Iuvenale, et ex aliis rebus quas congerit Hieronym. Mercurialis in doctissimo libro de arte gymnastica, imo ex etymologia vocis ipsius Petauri (*αὔρα, aura, πέτομαι, volo*) apparet machinamentum fuisse quo homines celerrime rotarentur, non ad hanc rem viribus aut agilitate corporis opus habentes, sed exercitata quadam industria. Non absimili forsan modo nostris temporibus funambuli fune quo insident vehementius librata celeri saltu per rotam chartaceam corpora transmittunt. Quare comparatio est aptissima; quemadmodum enim hoc artificium a Lada cursore eximio alienum, ita a Martiale minutae illae carminum ineptiae. Ed. P.

8. *Ladam.* Cursor fuit celeberrimus, cuius velocitatem celebrat Pausanias in Corinth. et Arcad.

11. *Circulis.* Hoc est, plebeiorum hominum otiosae coronae, legentem undique cingenti, ut dixit lib. I, epigram. 42. — *Palaemon.* Forte Q. Rhemnius Palaemon, qui poëmata faciebat ex tempore, et scripsit variis et vulgaribus metris. Grammaticorum superbissimus, cuius *arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret, secum et natas et morituras literas iactaret.* Suetonius, de illustribus Grammaticis cap. 23; vel forte alius fuit hic Palaemon.

Me raris iuvat auribus placere.

12. *Raris.* Hoc est, paucis sed doctis.

87. — IN SEXTVM.

Dicis amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem sub aqua, Sexte, natantis habes.

2. *Qui faciem.* Pallidam nempe, et turgidam, ex eo quod, ut aiunt, sub aqua augescant omnia. Ludit Poëta, inquit Ramiresius, in illa antithesi, *ardere puellas*, et faciem natantis habere, vix enim eiusmodi vultus flammas accendat.

88. — IN MAMERCVM.

Nil recitas, et vis, Mamerce, Poëta videri.
Quidquid vis esto, dummodo nil recites.

Perstringit vanum quemdam Mamercum, qui gloriose poëtam se subinde iactabat, quum tamen nihil unquam recitaret. Cuius ingenio ita diffidit, ut molestum eum fore, si quid recitet, affirmet, et eleganti concessione et permissione quidquid velit esse, vel nomen poëtae ei concedat, dummodo nihil recitet. *Ramiresius.*

1. Olim poëtae recens elucubrata poëmata publice recitabant. Iuvenalis sat. VII, 39: *At si dulcedine famae Succensus recites, Maculonus commodat aedes, Ac longe ferrata domus servire iubetur.*

2. *Dummodo.* Nos enim importunis tuis recitationibus enecares. Horatius in fine Artis Poëticae: *Indoctum doctumque fugat recitator acerbus: Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo: Non missura cutem, etc.*

89. — IN GAVRVM.

Quod nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quod scribis Musis et Apolline nullo,
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.

2. *Catonis habes.* Horat. III, od. 21: *Narratur et prisci Catonis Saepe mero caluisse virtus.*

4. *Hoc Ciceronis.* Qui parum feliciter musas poëticas est aggressus. Vid. Senec. epist. 108; Iuven. sat. X,

Quod vomis; Antoni : quod luxuriaris; Apici :
Quod fellas; vitium dic mihi cuius habes?

v. 122: *O fortunatam, natam me consule, Romam! Antoni gladios potuit contemnere, si sic Omnia dixisset!*

5. *Quod vomis.* Antonii vomitus decribit Cicero in Philipp. 2. — *Apici.* Qui suum patrimonium luxu consumpsit.

6. *Vitium, etc.* Hic cares auctore magno : Τὴν φωνὴν ἐνοπὴν σε λέγειν ἐδίδαξεν Ομηρος· Τὴν γλῶσσαν δ' ἐν ὀπῇ τίς σ' ἐδίδαξεν ἔχειν; Anth. II, 43.

90. — AD QVINTILIANVM.

Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,
Gloria Romanae, Quintiliane, togae,
Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam : properat vivere nemo satis.

Quod genio suo indulgeat, nec laboriosam ullam exerceat artem, inde se excusat Martialis Quintiliano, quod parvo contentus, non opes amplificare suas cupiat, sed beata modiesque vitae conditione frui satis habeat. Ed. Pas.

1. *Quintiliane.* Calaguritanus fuit Quintilianus. Calaguris est urbs Hispaniae ad ripas Iberi, hodie *Calahorra*, in Castilia veteri. Hinc Romam a Galba adductus est, ut constat ex Eusebio in Chronic. Olympiad. 211 et 217. — *Vagae.* Vagam vocat poëta iuventutem; est enim silentii, quietis, attentionis impatiens. — *Moderator.* Annos 23 Romae erudiendis iuvenibus impendit, et in his Domitiani nepotes edocuit Quintilianus.

2. *Gloria, etc. Toga* saepe pro pacificis actibus et literis bonis sumitur, quae vigent in pace cuius insigne toga, ut sagum belli; ergo hunc locum sic intelligimus : Quintiliane, qui primum inter eruditos locum eloquii laude obtines. — Vel etiam vos *toga* proprie intelligenda est de senatoria dignitate, ad quam evectum fuisse Quintilianum intelligere est ex Iuvenalis verbis, sat. VII, v. 192 : *Appositam nigrae lunam subtexit alutae.* Aluta autem in calceis senatorum et nobilium Romanorum erat ornamentum; epigr. 29 supra.

3. *Vivere quod, etc.* Ignosce mihi si quamvis pauper, quamvis aetate adhuc integra, et annis florentibus atque ad laborem utilibus, otio et genio meo indulgeo clementius. — *Pauper.* Qui rem familiarem tenuem habent, eam augere conantur; quod non facit Martialis. Ed. P. — *Nec inutilis annis.* Sicut divites, qui sumptum possunt facere commodius, sic et senes decet otium, qui labori sunt impares. Ita Anchises, Aeneid. lib II, v. 647. *Iampridem invisus divis et inutilis annos Demoror.* Nec dives, nec senex est Martialis, et iam feriatur.

4. *Properat vivere.* Vid lib. I, epigr. 16; lib. II, epigr. 59; lib. IV, epigr. 54; lib. V, epigr. 20 et 58; lib. VII, epi-

Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, et nigros non indignantia fumos
Tecta iuvant, et fons vivus, et herba rudis.
Sit mihi verna satur: sit non doctissima coniux:
Sit nox cum somno: sit sine lite dies.

gram. 47 et 65; lib VIII, epigr. 44 et 77.

5. *Differat hoc.* Non indulgeat genio suo is, qui suo patre ditior vult evadere.

6. *Arctat.* Arctiora illa quasi facit, innumeras inserendo imagines, quae omnem locum occupant. Ed. P. — *Imaginibus.* Maiorum imagines qui praeclari aliquid gesserant, collocabantur in atriis seu in primo intra aedes aditu, inde ad triumphorum, funerum, etc. pompam proferendae. Iuven. Sat. VIII, 1: *Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus Maiorum, et stantes in curribus Aemilianos, Et Curios iam dimidios, humerosque minorem Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem?* Et infra: *Quis fructus generis tabula iactare capaci Corvinum, et posthac multa deducere virga Fumosos equitum cum dictatore magistros.*

7. *Et nigros non*, etc. Id est, non laquearia auro incrustata, vel variata coloribus, quae ne fumo corrumpantur, cautio est, sed tecta humili contignatione compacta, quae si fumo infuscentur, nulla iactura sit.

8. *Et fons vivus*, natura ipsa scaturiens, non conquisitis longo labore et sumptu aquaeductibus nec tubis ad voluptatem ex metallo fabrefactis. — *Herba rudis.* Gramina sua sponte nascentia, nec otiosis ordinata myrtetis, ut dixit lib. III, epigr. 58.

9. *Verna satur.* Servi saturi alacriter serviunt, nec conqueruntur, nec convivis invident. Lib. III, epigr. 58: *Vescuntur omnes, ebrioque non novit Satur minister invidere convivae.* — *Non doctissima coniux.* Quae enim docta, plerumque molesta est. Iuvenalis, sat. VI, 448: *Non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit, Dicendi genus, aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.*

10. *Sine lite dies.* Lib. V, epigr. 15: *Nec lites tetricas, forumque triste Noscemus.*

91. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Rerum certa salus, terrarum gloria, Caesar,
Sospite quo magnos credimus esse Deos;

Petit Martialis a Domitiano ius trium liberorum.

2. *Sospite quo.* Ex tua incolumitate credimus et Deos esse, et rerum humanarum curam suscipere. Lib. VII, epigr. 59; lib. V, epigr. 1: *Sospite quo gratum credimus esse Iovem.* Vide et lib. I, epigr. 13 et 83. Vel aliter:

Si festinatis toties tibi lecta libellis
  Detinuere oculos carmina nostra tuos;
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
  Natorum genitor credar ut esse trium.
Haec, si displicui, fuerint solatia nobis:
  Haec fuerint nobis praemia, si placui.

te sospite credimus esse magnos deos, qui alioquin, nisi tu Capitolium dedisses et instaurasses, vel omnino interissent, aut certe non magni habiti essent.

3. *Si festinatis.* Si carmina mea festinata, ac prope ex tempore condita legisti.

5. *Quod fortuna.* Haec erat formula petendi ius trium liberorum.

6. *Natorum genitor.* Qui tres habebant liberos, multis privilegiis gaudebant. In spectaculis honestior illis locus assignabatur; in honoribus petendis gratia fiebat annorum propter liberos. Codice de Decurionibus, lege IX: *In albo decurionum praescriptis, patrem non habenti filios anteferri constat.* Iuvenal sat. IX, 87: *Iura parentis habes, propter me scriberis haeres, Legatum omne capis, etc.* Gellius in lib. II, cap. 15: *Sicuti capite septimo Legis Iuliae priori ex consulibus fasces sumendi potestas fit, non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit.* De iure trium liberorum mentio lib. III, epigr. 95, v. 6; lib. VIII, epigr. 31; lib. IX, epigr. 67. Natum hoc ius trium liberorum a trigeminis Horatiis, vid. Liv. lib. I. Poëta ἅπαις prolis huius imaginariae ius ab imperatore petit, laboris sui praemium vel solatium. Plin. epist. lib. X: *Exprimere, Domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium adtuleris, quod me dignum putasti iure trium liberorum.* Ex quo intelliges pro singulari munere claros tantum viros id honoris et praemii consecutos esse, quod etiam ad aulicos et principi gratiosos defluxit.

7. *Solatia nobis.* Liviae, Druso filio exstincto, datum est hoc ius, solatii ergo: quandoque victis dona in solatium. Elegans et acuta sententia claudit petitionem. Ed. P.

92. — AD VXOREM

Natorum mihi ius trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat. Valebis, uxor.

Iure trium liberorum, quod epigr. praeced. petebat, sibi concesso, alloquitur suam uxorem Martialis, et valere iubet. Ed. P.

3. *Solus qui.* Nam solus Caesar concedebat hoc ius, de quo praecedenti epigr. et lib. III, epigr. 95. — *Valebis, uxor.* Neglecta, aut repudiata, aut

Non debet Domini perire munus.

mortua: nihil iam mihi uxore opus; quippe si ex te susciperem liberos, iam domino muous illud suum periret, seu frustra id dedisset. Hoc autem quodammodo peccare esset in dominum, et munificentiam eius ac beneficium obliterare. *Musambertius.*

4. Scribere Valerius voluit *domino*, et intelligi, Qoia trium liberorum ius a domino impetravi, *valebis*, *uxor*, sive nihil iam mihi uxore opus. *Musambert.* Vide var. not. Iuntina nostra habet etiam *domino* in margine. — *Non debet.* Iam enim ex matrimonio liberos suscipere nolo, ne, quod mihi beneficium a Domitiano concessum est, paterna lege consequar. Aut intellige τὸ *valebis* pro, morere ut tibi succedam; nam pro numero liberorum sibi invicem succedebant vir et uxor. Vide Vlpianum lib. Regularum, tit. 15. Iudicet lector.

93. — AD REGVLVM.

Primus ubi est, inquis, quum sit liber iste secundus?
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum:
Vnum de titulo tollere iota potes.

1. *Primus ubi.* In lucem prodiit secundus hic liber, primo non edito, forte quia cautior fuit Poëta, donec legentium iudicia audiret; vel forte quia in primo libro multa scripserat ad laudem Titi, cuius tamen nomen non addiderat, sed Caesarem tantum dixerat, quae libenter laturus non erat Domitianus, qui Titi fratris et patris Vespasiani laudes arrogabat sibi.

2. *Quid faciam?* Non est mea culpa, inquit Martialis; liber primus est modestior, qui erubuit scilicet nostras ad te perferre nugas.

4. Pro II, pone I; fietque tibi primus liber. In epigrammatibus enim ordo minime respiciendus; nulla series est melior opusculorum, quorum unusquisque sibi sufficit. Ed. P.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATVM
LIBER III.

I. — AD LECTOREM, DE LIBRO GALLICANO.

Hoc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia, Romanae nomine dicta togae.
Hunc legis, et laudas librum fortasse priorem:
Illa, vel haec mea sunt, quae meliora putas.

Secesserat Poëta in citeriorem Galliam; indeque librum Romam miserat; quem, si minus priore placeat, excusat, veluti in loco peregrino minusque urbano natum.

1. *Hoc tibi.* Hunc librum, qualiscumque ille sit, mitto tibi, o Romane lector, e Gallia Cisalpina, quae Togata dicitur. — *Longinquis ab oris.* Ex urbe Longobardiae, quae nunc vocatur *Imola*, olim Forum Cornelii, in via Aemilia. Vid. epigr. 4 infra.

2. *Gallia, Romanae, etc.* Pars Galliae cis alpes, ac versus Romam sitae, dicebatur *Togata*, quia incolae togis, ut Romani quibus erant viciniores, utebantur. Transalpina vero, quae nunc proprie Gallia dicitur, Braccata et Comata vocabatur, quia braccis utebatur seu laxioribus femoralibus, et comam alebat. — *Romanae togae.* Proprius cultus Romanorum toga. Virg. Aen. lib. I, v. 286: *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

3. *Priorem.* Id est, librum secundum Martialis, nam primum omnium qui *plus pudoris habebat* non ante alios fuisse editum patet ex lib. I, ep. 2; lib. II, epigr. 93. Ed. P.

4. Dousa per interrogationem legendum autumat: *quae meliora putas?* Hunc Gruterus edidit: *illa, vel haec, mea sunt: quae meliora putas? — Illa vel haec, etc.* Sic hunc versum intelligendum existimo, nullo tamen auctore interprete: Potes librum priorem huic anteponere; esto: hoc me consolor, quod saltem liber quem meliorem iudicas, meus sit; si meorum operum cum alterius operibus collatione facta, alterius librum praeferres, non gauderem; meorum autem cum meis, gaudeo; habebo semper aliquid quod laudes. Ed. P. — Alii sic intelligunt: epigrammata secundi libri quae tibi magis placent, mea sunt: imo et haec libri tertii mea sunt.

Plus sane placeat, domina qui natus in urbe est;
Debet enim Gallum vincere verna liber.

5. *Domina.* Roma quae rerum domina, triumphatique orbis caput. Vide lib. I, epigr. 4, v. 3.

6. *Gallum vincere.* Iure enim cedit hospes civi, Barbarus Latino, liber in urbe natus libro extra urbem nato. — *Verna.* Vernae servi sunt domi sui domini nati; verum vero priorem librum Romae scriptum appellat, ut opponatur huic tertio in Gallia composito.

2. — AD LIBRVM SVVM.

Cuius vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris piperisque sis cucullus.
Faustini fugis in sinum! sapisti.
Cedro nunc licet ambules perunctus,

Librum suum iubet se sub tutelam Faustini urbani eruditique hominis ponere; a quo si foveatur, immortalitatem sperare, et criticorum morsus contemnere potest. Vid. lib. IV, epigr. 87. Ed. P.

1. *Cuius vis fieri, etc.* Imitatio Catulliana, epigr. 1: *Cui dono lepidum novum libellum.*

2. *Vindicem.* Assertorem, patronum, qui tuam causam suscipiat vindicandam defendendamque.

3. *Ne nigram, etc.* Ne damneris in culinam et aromatopolarum tabernas, pro charta inepta, infelicis genii et fati. — *Nigram.* Fuliginosam.

4. *Cordyllas tegas.* Pisciculi sunt, partus scilicet thynnorum, qui post elapsum primum annum thynni nuncupantur. — *Madida papyro.* Papyro detrita qua aromatopola involvit pisciculos madidos oleo.

5. *Cucullus.* Papyraceum involucrum, ore lato et rotundo in fundum acutum desinens, sic formam cuculli repraesentans. Anaxandrides, apud Athen. lib. IX, cap. 4.

6. *Faustini.* Qui opera ipse componebat a Martiale laudata. — *In sinum! sapisti.* In favorem et patrocinium. *Sinu ferre* vel *gestare* est formula usitatissima apud Veteres, pro *carum habere*, ut *ex sinu alicuius esse* pro *ex intima familiaritate.*

7. *Cedro nunc licet, etc.* Huius versus et sequentium sensus est: Nunc, si a Faustino recipiaris, potes ditissimis ornamentis te decorare, et quidem perdiu duraturis; utpote qui sub tali Mecaenate immortalitatem iure tuo sperandam habeas. Ed. P. — *Cedro.* Per synecdochen, pro oleo cedrino. Oleum enim a cedro expressum inunctos libros a tineis et carie vindicat. *Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,* Ovid. Trist. I, eleg. 1. Et

Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris umbilicis;
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index:
Illo vindice nec Probum timeto.

sie *Speramus carmina fingi Posse linenda cedro*, Horat. ad Pisones 331. — *Ambules*. Per ora hominum. Ed. P.

8. *Et frontis*. De ornamentis librorum diximus lib. I, epigr. 67.

11. *Cocco*. Indicem librorum seu titulum minio scribebant; est autem coccus granum quo fit color splendidus (gallice *écarlate*). Ed. P.

12. *Nec Probum*. Quum Probus Berytius Phoenix sub Nerone floruerit Martialis tempore forsan non superstes, non intelligemus hic Probum ipsum, sed censorem quemlibet severissimum, qualis fuit M. Val. Probus Berytius, qui emendationi librorum potissimam operam dedit, teste Suetonio lib. de Grammaticis.

3. — IN MVLIEREM DEFORMEM.

Formosam faciem nigro velamine celas:
Sed non formoso corpore laedis aquas.
Ipsam crede Deam verbis tibi dicere nostris,
Aut aperi faciem, vel tunicata lava.

Irridet stultam feminam pulchra facie, et foedissima corpore; quae quum tegere corpus, et aperire faciem debuisset, contra celabat faciem et nudum corpus ostendebat. *Ramires*.

1. *Velamine*. Subligar quoddam, ut lib. III, epigr. 87, v. 4. Alii *medicamine velas*, et interpretantur oesypo, medicamine et incrustamento cosmetico, quod Iuvenalis vocat *tectorium*, Sat. VI, v. 463. Quod parum verisimile videtur, quum sit *nigrum* et in balneo adhibeatur.

2. *At non* Beverlandi MS. — *Sed non, etc.* Sed deformi corpore violas aquas.

3. *Ipsam crede*. Aquae nympham intellige: fontibus autem numen inesse colligebant Veteres ex perennitate scaturiginis.

4. *Aperi*. Aut ex deformi tuo corpore colligemus faciem quoque esse deformem.

4. — AD LIBRVM SVVM.

Romam vade, liber: si, veneris unde, requiret,

Loquitur cum libro suo quem Romam mittit; queritur enim de Romanorum fastidio et de corrupto eorum iudicio, qui eo tempore citharoedos longe praeferebant poëtis. Ed. P.

Aemiliae dices de regione viae.
Si, quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit,
Corneli referas me licet esse foro.
Cur absim, quaeret: breviter tu, multa, fatere,
Non poterat vanae taedia ferre togae.
Si, quando veniet? dicet: responde, Poëta
Exierat; veniet, quum citharoedus erit.

2. *Aemiliae dices.* Si Romani a te requirent, unde veneris, dices te venire ab eo tractu Italiae qui est circa viam Aemiliam. Ea est para magna Longobardiae cis Padum, et *Romandiola* nunc dicitur; nomen illi ab Aemilio consule qui eam viam straverat.

3. *Corneli foro.* Est urbs a Sylla dicta, nunc *Imola.* Ad hanc via ducebat Aemilia.

5. Ant. *de Rooy* pro *tu* legendum censet *tam*; *tam multa* pro *tot*, ut infra lib. VII, epigr. 49: *Tam multi pariter, etc.* Forte olim scriptum fuit *tā multa.* Hanc autem virgulam, loco literae *m* pictam, properantibusque scribis neglectam, infinitos auctorum locos conspurcasse, notum est. — *Breviter tu, multa, fatere.* Si hunc locum sic interpungimus, ordo est: breviter fatere: non poterat ferre *multa* taedia vanae togae. Sin autem duas virgulas tollimus, intelligemus: brevibus verbis *multas* complectere causas meae absentiae; scilicet taedia omnis generis quae mihi in Vrbe sunt toleranda.

6. *Vanae taedia ferre togae.* Hic intellige omnia taedia quae ex clientelaribus officiis, unde multus labor, nec quidquam emolumenti, superveniunt Martiali; vel *taedia* sume pro *fastidia*; et intellige contemptum literatorum et eruditorum, quos fastidiunt Romani togati. Ed. P.

7. *Quando venit, dicet, tu respondeto* In vett. nonn. probante Gronovio. — *Responde.* Vltima syllaba imperativi modi secundae declinationis amat interdum corripi, ut *doce, vide, etc.* quia dicebatur olim *respondo, respondis*, ut *fervo fervis*, *etc.* Vid. Scalig. ad Manil. lib. V, contra quem tamen censet Schrev.

8. *Quum citharoedus.* Tunc enim temporis Romae pluris fiebant citharoedi, quam poëtae: ita Romanorum mores carpit lib. V, epigr. 56: *Artes discere vult pecuniosas? Fac discat citharoedus aut choraules.* Sueton. in Vesp. cap. 19, ingentem pecuniae vim donatam Terpno Diodoroque citharoedis ab eodem Vespasiano testatur. Iuven. sat. III, v. 21 et 64.

5. — AD EVMDEM.

Vis commendari sine me cursurus in urbem,

Librum, epigr. 2 supra, Faustino missum, Iulio quoque Cereali, amico suo, mittit; quod ut faciat, librum alloquitur, qua eat via docet, lubetque Iulium eiusque uxorem pro se salutare, omissa epistolae commendatione, ut fit inter familiares. Ed. P.

1. *Vis commendari.* Me non ha-

Parve liber, multis? an satis unus erit?
Vnus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes,
Iulius, assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc primae quaeres in limine Tectae;
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille, Lares.
Est illi coniux, quae te manibusque sinuque
Excipiet, vel si pulverulentus eas.
Hos tu seu pariter, sive hanc, illumve priorem
Videris; hoc dices: Marcus avere iubet.
Hoc satis est: alios commendat epistola: peccat,
Qui commendandum se putat esse suis.

biturus patronum et vindicem, foro Cornelii commorantem, vis, parve liber, tibi alios indicem patronos ac vindices? Ed. P.

3. *Vnus erit, etc.* Pro multis erit Iulius, fidus amicus, qui te benigne excipiet ex me venientem. Ed. P. — *Hospes.* Ignotus; ignoti enim fere sunt hospites et peregrini.

4. *Cuius et assiduum* Beverland. MS. — *Iulius.* Ad quem lib. I epigr. 16. — *Assiduum nomen.* Quia multa sunt in opere, ubi de eo mentio.

5. *Protinus hunc primae quaeres in limine Tectae.* Tecta erat quaedam Vrbis via, in cuius ingressu erant aedes istius Iulii. Alii legunt: *Protinus hunc adeas, primique in limine tecti*: et duplex est sensus, scilicet: Iulius habitat primam domum quae se offert Romam per viam Aemiliam ingredientibus; aut, Recta adi Iulium Cerealem, eumque saluta in *primi tecti limine*, hoc est, in atrio ipso, ut si diceret: Nil opus tibi captare secretum, in atrio ipso, quae prima pars aedium et limini proxima est, inter salutatorum et clientium officia eum adire poteris; nulla enim mora interposita, recipiet te, et lege. *Musambert.* — Heins. emendat: *Protinus hunc primae quaesitum i limina tectae.*

6. *Daphnis.* Dives aliquis libertus, aut alius vulgo notus.

7. *Manibusque sinuque.* His verbis gratissimum fore Iulio atque eius uxori hunc librum auguratur. Namque fovemus gremio, et manibus amplectimur, quaecumque magno affectu prosequimur. Vid. sup. epigr. 2, v. 6.

9. *Pariter.* Ambos videris simul.

10. *Marcus.* Martialis. Vt advenientes *Ave*, seu *Salve*, sic abeuntes et recedentes *Vale* dicebant. Suetonius in Augusto cap. 53. Brissonius de Formulis lib. VIII.

11. *Et satis est* libri vett. Heins ad Ovid. Amor. III, 8, 60, legi iussit: *Id satis est.* — *Alios*, etc. Alienos, ignotos. — *Peccat.* Nemo sapiens se commendat amicis suis diligenter et sollicite.

6. — AD MARCELLINVM.

Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias,
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.
Imputat aethereos ortus haec prima parenti:
Libat florentes haec tibi prima genas.
Magna licet dederit iucundae munera vitae,
Plus nunquam patri praestitit illa dies.

Marcellinum donat huius epigrammatis munere, ut celebret diem decimum sextum ante kaleudas Iunias; quo die et pater Marcellini natus fuerat, et ipse Marcellinus primam deponebat barbam; quod ob testimonium virilitatis pluria esse aestimandam patri hanc diem dicit, quam ob natalem suum.

1. *Idus.* Martius, Maius, Iulius, October Nonas septimo, Idus decimo quinto die habent. Menses caeteri quinto Nonas, et Idus decimo tertio.

2. *Bis celebranda.* Quod ea die pater natus sit, et ipse Marcellinus deposuerit primam barbae lanugiuem; haec enim lanugo deponebatur magna conviviorum et ludorum celebritate.

3. *Computat* nonnulli. — *Imputat.* Beneficii recolendi onus velut imponit, vel caelesti revolutione reversum computat.

4. *Libat, etc.* Tondet, resecat, vel diis offert instar primitiarum aetatis robustioris; *libare* enim in sacrificiis usurpari solet. Eius diei quo primum barbam radebant, insignis apud Romanos erat laetitia et anniversaria memoria: haec festa vocabantur *Iuvenalia*; ludos, sacrificia, munera tunc frequentabant, barbam resectam diis consecrabant.

5. *Magna licet.* Quod dies natalis vitam patri dederit, munus est ingens; sed maius est, quod eadem illa die filius vir evaserit: nam viri appellabantur a barba resecta Martial. epigr. 88: *Tonsum fac cito, sero utrum.* RADER.

6. Faruabius e quibusdam edd. affert: *praestitit ulla dies.*

7. — DE EDICTO DOMITIANI COENAS RECTAS REVOCANTE.

Centum miselli iam valete quadrantes,

Nero coenam rectam clientibus exhibitam a potentioribus redegerat ad sportulam, quae calathus fuit, quo primum obsonia, postea centum quadrantea dabantur. Sueton. in Nerone cap. 16: *Publicae coenae ad sportulam redactae.* Domitianus autem abrogato illo Neronis edicto revocavit coenas rectas. Sueton. in Domitiano cap. 7: *Sportulas publicas sustulit, revocata coenarum rectarum consuetudine.* — Edictum illud laudat Martialis, et pristinam insectatur divitum avaritiam, sportulas dantium misellas. In omnibus: *De Sportula*, quod mutavimus. ED. P.

1 *Centum miselli, etc.* Centum quadrantibus, id est, viginti quinque as-

Anteambulonis congiarium lassi,
Quos dividebat balneator elixus.
Quid cogitatis, o fames amicorum?
Regis superbi sportulae recesserunt.
Nihil stropharum est : iam salarium dandum est.

sibus constabat sportula, cui ex edicto Domitiani valedicit. Ed. P.

2. *Anteambulonis.* Clientis patronum suum praecedentis, ut ei viam faceret, et honoris causa sterneret. Vid. lib. II, epigr. 18, v. 6. Ed. P. — *Congiarium.* Congiarium est munus regium seu imperatorium, certa pecuniae summa, qua populum donabant principes. Congiarium ergo recte dicit sportulam, munus patronorum quos *reges* ubique vocat. Congiarium dicitur a congio, mensura liquidorum. Ed. P.

3. *Balneator.* Clientibus singulis cum domino lavantibus dari solebant centum quadrantes, quos forte dividebat balneator; vel balneator hic sumitur pro omni famulo pecunias clientibus dividente. — *Elixus.* Aquarum et vaporum calore prope coctus.

4. *Quid cogitatis?* Quid vobis iam animi est, o patroni, qui eratis antea clientium vestrorum fames? — *O fames.* Exiguam quippe sportulam largientes patroni fame necabant suos clientes.

5. *Regis superbi.* Hoc est, patroni, quem dominum et regem appellabant clientes: vel, Neronis superbi, qui coenas rectas sustulerat. Posterior hic sensus magis mihi placet a Ramiresio pulchre observatus, quidquid insultet Scriverius; et huc recte refertur ille versus alter libr. Spectac. epigram. 2, v. 3 : *Invidiosa feri radiabant atria regis.* Et in eodem lib. Spect. Epigr. 2, v. 8 : *Abstulerat miseris tecta superbus ager;* Neronis nempe.

6. *Nihil tropharum est* conj. Calderinus; i. e. alimentorum, quasi dicat amplius non dantur cibi in sportulam: attamen *stropharum* legi iussit. — *Stropharum.* Stropha (στροφή, a verbo στρέφειν, *vertere*), fraudem interdum et fallaciam significat, qua circumvenit simplicem callidus. Quid sit autem fraudis in hoc loco, non facile patet. Anne quod delusi fuere clientes, quum primum iis negata est coena recta? an, quum cibi dati in calathis non aequarent centum quadrantes? an, quum pro cibis data fuit exigua pecuniae summa? An quod variis artificiis et ambagibus divites illi avari sportulam differre, aut aliquo casu omittere conarentur? An, ut ait Ramiresius, intelligit imposturam istam divitum, qui dicebantur *habere convivas*, quum tamen nullus apud eos coenaret, sed sportulis datis omnes dimitterentur convivae? unde communis loquendi formula : Ille tot denariis; hic tot quadrantibus invitat? Ed. P. — *Salarium.* (*Sal*; graece ἁλάριον; ἅλς). Ea voce significatur certa portio ciborum et inter eos, salis, quae viritim dividi olim solebat militibus ac Imperatorum comitibus. Interdum sumitur pro annona, stipendio et mercede, in hoc loco significat coenam rectam et liberalem, clientibus pro mercede dandam.

8. — IN QVINTVM.

Thaida Quintus amat: quam Thaida? Thaida luscam.
Vnum oculum Thais non habet, ille duos.

1. *Thaida Quintus, etc.* Caecitatem Quinti, non oculorum, sed ipsius animi irridet hoc epigrammate. Amabat enim Thaida meretricem luscam, quam nemo nisi caecus amare posset. Illa, inquit, uno oculo caret, Quintus duobus.

2. *Vnum oculum, etc.* Thais lusca est corpore, caecus est animo Quintus: vid. epigr. 11 infra. Ed. P. — *Duos.* Vtroque caret oculo, metaph. id est, caecus est amore, qui non meretricis vitia, quae oculos vere pungunt, deprehendat. Vide infra epigr. 39: *Iliaco similem puerum, Faustine, ministro Lusca Lycoris amat: quam bene lusca videt!*

9. — IN CINNAM.

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

2. *Nemo legit.* Pessimum poëtam notat, cuius carmina perinde negligantur, ac si scripta numquam fuissent. Quid interest versus non scribi, vel non edi, vel non legi? siquidem nemini innotescant. Vid. epigr. lib. VI, 64. Ed. P.

10. — IN PHILOMVSVM.

Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina
Menstrua, perque omnes praestitit illa dies,

Philomusi pater, menstrua filio suo luxu perdito constituerat, eaque singulis diebus divisim dabat, ne uno die, totius mensis alimenta consumeret. At qui filio suo tam prospecte caverat et consuluerat, dum viveret; is pessime eidem cavit testamento suo, quo eum haeredem ex asse reliquit; quum ei alimenta potius diurna, et singulis diebus praestanda relinquere debuisset. Quare eo testamento quo haeres scriptus est, revera est exhaeredatus, quum eo facto, patrimonium, quod statim dilapidabit, ad eum sine ullis conditionibus pervenerit. *Herald.*

2. *Perque omnes.* Duo millia sestertium distribuit pater in triginta partes, et singulas singulis diebus dedit Philomuso, qui adeo prodigus erat, ut omnia effunderet. Alii intelligunt duo quidem millia in unum mensem assignata fuisse Philomuso, sed tamen propter immodicas impensas singulis diebus duo millia Philomuso data, atque ab illo fuisse consumpta, ita ut in crastinum nihil ipsi prorsus super-

Luxuriam premeret quum crastina semper egestas,
Et vitiis essent danda diurna tuis.
Idem te moriens haeredem ex asse reliquit:
Exhaeredavit te, Philomuse, pater.

esset. Videat lector. Horatius I, sat. 3, 15: *Decies centena dedisses Huic parco, paucis contento, quinque diebus Nil erat in loculis.*

4. *Et vitiis essent, etc.* Scilicet videbat te quotidie per lusum et gulam omnia, quaecumque tibi data fuerant, ligurire ac dilapidare, adeo ut nihil tibi pecuolae restaret in crastinum; ergo non menstrua, sed diurna tibi danda intelligebat. — *Diurna.* In singulos menses assignabatur servis a domino ad victum certa frumenti mensura, et quaedam summa, nostrae monetae circiter 3 fr. 60 c. Fiebat quoque quotidiana distributio quaedam salis et minutorum ciborum, quae vocabatur *diarium*, seu *diurnum*, seu *demensum*: si ex his frugalis servus aliquid reservaret, poterat inde, intra sex annos, teste Cicerone in epistolis ad familiares, peculium colligere, quo vicarium emeret a quo adiuvaretur, vel se ipse a servitute redimeret. Sed hoc tamen misellum peculium aliquando imminuebatur muneribus quae domino dare necesse habebant servi; quam necessitatem acerbe dolet Davus in Phormion. act. I, sc. 1. Ed. P.

5. *Ex asse.* Totam haereditatem dividebant in partes duodecim, ut assem in duodecim uncias: ita as haereditatis, haereditatem integram significabat. De asse, illiusque partibus alibi dictum. Ed. P.

6. *Exhaeredavit te.* Quum enim factus sui iuris Philomusus patrimonium uno die dilapidaturus esset, pater illum haeredem instituens perinde fecerat, ac si exhaeredasset. Vel *Exhaeredavit*, quod vivens pater tot et tantas impensas suppeditavit Philomuso, ut haereditatem vel nullam vel aere alieno obrutam reliquerit. — Anteferendam censeo priorem interpretationem; quae scilicet congruat cum praedicta Philomusi prodigalitate, et sic integer et ab omni parte cohaerens sibi epigrammatis sensus evadit. Ed. P.

II. — AD QVINTVM.

Si tua nec Thais, nec lusca est, Quinte, puella,

Succensuerat Martiali Quintus quidam, ob superius VIII epigr.; qui Quintus Hermionem amabat. Irrisorie respondet poëta: Si tua puella, o Quinte, nec Thais vocatur, nec lusca est, cur existimas distichon illud in te esse factum? Si puella tua Lais vocaretur, aliquid poterat videri simile, quod Thais et Lais affinia quodammodo nomina sunt. Sed si tua puella vocatur Hermione, quid simile habet cum Thaide? At dices tu, Quintum notasti eo disticho, is vero ego sum. Mutemus amantis nomen: nam quum ego ludam semper nominibus fictis, quid interest, Quintum vocem an Sextum, Thaidis amatorem? sit amator Sextus; et sic tota lis dirimi poterit. *Ramir.*

Cur in te factum distichon esse putas?
Sed simile est aliquid: pro Laide Thaida dixi.
Dic mihi, quid simile est Thais et Hermione?
Tu tamen es Quintus: mutemus nomen amantis;
Si non vult Quintus Thaida, Sextus amet.

2. Beverlandi Ms. *distichon esse doles*.

3. Huius versus et sequentis duo possunt adoptari sensus: scilicet amicam Quinti fuisse Hermionem existimabimus, et sic intelligemus: esset quaedam similitudo nominum, si tua puella Lais vocaretur, quum ego Thaida nominaverim; quum autem tua vocetur Hermione, quid simile est? Aut contra existimabimus puellam Quinti fuisse Laida: tum sic intelligendum: Vrgebis me nimis aperte lusisse in affinitate nominum, ubi pro Laide tua dixi Thaida. Verum non magis hinc notatur quam si appellassem eam Hermionem. Ed. P.

5. *Tu tamen es Quintus*. Et ego Quintum nominavi; unde Quintus videtur notatus. — *Mutemus*. Quum enim meis in locis semper utar nominibus fictis, nihil refert utrum Quintum aut Sextum Thaidis amatorem nominem.

6. *Sextus amet*. Videtur ludere poëta in ambiguitate verborum Quintus et Sextus quae simul nomina propria sunt, et ordinalia (*cinquième, sixième*) et forsan de numero amatorum iocari. Ed. P.

12. — IN FABVLLVM, AVARVM CONVIVATOREM.

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere, et esurire.
Qui non coenat et ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Fabullum nimis elegantem convivatorem carpit, optimo unguento convivas ungentem, et famelicos dimittentem: hominem stolide vanum, qui quum lautus videri velit, in rebus minime necessariis sumptum faciat: in aliis autem, quae sumptum necessario desiderant sordes suas explicet. Ed. P.

2. *Convivis*. A balneis et ante coenam prisci inungebantur, admistis succis odoratis. — *Here*. Heri; ut lib. I, epigr. 44. — *Scidisti*. Verbum est conviviorum proprium: qui vero nihil scindebat, nihil convivis comedendum distribuebat.

3. *Res salsa*. Ironice: id est, ridicula et inepta.

5. *Vere mihi mortuus*. Enim vero non solum ungebantur mortui, sed iis etiam apponebatur coena inutilis, Silicernium dicta: haec postea cum iis cremabatur in rogo. Ed. P. — Ludit sane eodem modo Lucianus,

libro de Mercenariis: ubi sit miseros literatores, aut alios id genus, qui magnatum mensas colebant, cum aliis accumbere solitos, coronatos sane et unguento delibutos; sed saepius mala fame et siti perditos, quum nihil iis ministraretur. Quare mortuorum columnis eos non esse absimiles, quas in parentalibus unguento quidem perfunderent, et coronis ornarent; ipsi autem dapibus, quae simul apponebantur, sese oblectarent. *Herald*. Vid. Iuv. in Sat. de Parasito. Ed. P.

13. — IN NAEVIAM, AVARAM CONVIVATRICEM.

Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
 Et plus quam patri, Naevia, parcis apro;
Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
 Attulerit. Nunquam sic ego crudus ero:

1. *Carpere*. In partes scindere convivis distribuendas. Ed. P. — *Mullum*. Gallice, *barbeau*.

3. *Rumpis*. Caedis, mulctas; ludit in ambiguitate verbi, coquum scindis loco leporis seu mulli; sic epigr. 93 infra: *Esse negas coctum leporem poscisque flagella; Mavis, Rufe, coquum scindere quam leporem*. Ed. P. — *Tanquam*, *etc.* Sic ea in alias coenas reservanda reportantur. Vid. lib. I, epigr. 104, v. 7. Ed. P. — *Cruda*. Male cocta. Ed. P.

4. *Crudus*. Crudus est qui cruda habet in stomacho alimenta, quae propter nimiam copiam concoquere et digerere nequit. Iuven. Satir. I, v. 143: *Et crudum pavonem in balnea portas* Vid. quoque lib. XII, epigr. 77: qui autem non comedit, crudus esse non potest. Ed. P. — Ex nimia saturitate oritur eruditas stomachi, qua non erat laboraturus Martialis, quum cibos crudos praeteriret Naevis, atque a mensa integros auferri iuberet. Ludit Poëta in ambiguitate vocis *crudus*.

14. — DE TVCCIO.

Romam petebat esuritor Tuccius,
 Profectus ex Hispania.
Occurrit illi sportularum fabula:

Quidam Tuccius sportularum fiducia Romam petebat: existimabat enim se solo sportularum proventu posse Romae vivere (vid. infra epigr. 30, et lib. II, epigr. 68). Quum autem in Mulvio ponte, quam fastidiose et avare clientes exciperent patroni, et quam miseris officiis sportula, nec famelico sufficiens, acquireretur, vidisset, in Hispaniam rediit. Ed. P.

3. *Occurrit*. In ponte Mulvio, in via Flaminia sito, et distante mille

A ponte rediit Mulvio.

passibus ab Vrbe, accepit Tuccius, quam tenuis sportula daretur Romae, atque illinc ne periret fame, in Hispaniam rediit. Non de tenuitate sportulae, sed de coena recta (supra epigr. 7) quae pecuniae omnem locum tenebat, hunc locum vult intelligi Ramiresius. Ed. P. — *Fabula*. Saepe accipitur pro narratione ridicula: saepe pro actione theatrali, hic pro rumore publico sportulas iculariter et acerba simul deridente. Ed. P.

15. — DE CODRO.

Plus credit nemo, quam tota Codrus in urbe.
Quum sit tam pauper, quomodo? caecus amat.

1. *Credit*. Ludit in ambiguitate verbi *credere*, quod significat fidem adhibere, et dare pecunias mutuo.

2. In edd. vett. *quomodo coecus amat?* In Pulmanni eodd. *quomodo coecus amat*, sine interrogationis nota. — *Caecus amat*. Hoc est, amore obcaecatus existimat puellam esse formosam, vel castam, quae tamen deformis est, nec casta: multi putant vere fuisse caecum hunc Codrum qui amaret puellam, quam audierat esse formosam. Lib. VIII, epigr. 49. Potest etiam explicari: mala et caeca fiducia deluditur Codrus, qui quum sit omnino pauper, sperat se posse ab amata mutuum amorem impetrare, ut ipsi faciat sui copiam. Ed. P.

16. — IN CERDONEM.

Das gladiatores, sutorum regule, cerdo,

1. *Sutorem* quemdam iusta indignatione suggillat, quod gladiatorium munus exhibuerit; quem Bononiensem esse constat ex epigr. 59 huius libri, et succensuisse Martiali ob haec scommata discimus ex epigr. 99. — *Dat gladiatores*. Constat non esse muneris exhibendi omnibus aequam potestatem. Exstat enim apud Tacitum, lib. IV Annal., senatusqueconsultum, quo cautum est ne quis gladiatorium munus ederet, cui non erat census equestris: et ex Suetonio, Claud. cap. 28, coniici potest, libertis nisi ex voluntate principis hoc ius non competere. Recte igitur deridet Martialis infimum opificem, quod erat spectatarum personarum sibi arrogantem. Ed. P. — Eadem est indignatio Iuvenalis sat. 3: *Quondam hi cornicines et municipalis arenae Perpetui comites, notaeque per oppida buccae, Munera nunc edunt et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter*. Et Pers. sat. 4, vers. penult. *Respice quod non est; tollat sua munera cerdo*. — *Sutorum regule cerdo*. Hoc differunt *sutor* et *cerdo*, quod sutor faciat calceos, cerdo reficiat, ac veteres sarciat: hine veteramentarius etiam appellatur. Itaque cerdonem ironice vocat Martialis sutorum re-

Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.
Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam,
Vt velles corio ludere, cerdo, tuo.
Lusisti, satis est: sed te, mihi crede, memento
Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

gulum et principem. Ed. P.

2 *Quodque tibi, etc.* Quidquid lucri tibi dedit subula, instrumentum tuae artis, hoc tibi rapit sica instrumentum artis gladiatoriae. Ed. P. — *Sica.* Sica est brevis gladius, incurvus instar falculae, a secando dicta. Thrax seu Retiarius contra Mirmillonem sica pugnabat. Vid. epist. libri V.

4. *Velles ut corio* Pulmanni Ms. — *Vt velles corio, etc.* Ludit in verbo Martialis. Enim vero *corio suo ludere* proverbium est, quod significat suis impensis aliquid facere. Ludos autem exhibet suis impensis cerdo, et quidem pecunia per corium comparata. Ed. P.

6. *Nunc in pellicula, etc.* locus idem qui iam in quarto versu. *Se in pelle sua tenere, in propria pelle quiescere,* proverbium est ductum aut ab Aesopica rana quae quum inflasset pelliculam, bovem aequatura, rupto corpore, periit: aut ab asino Cumano quem idem Aesopus fabulatur leonis pellem induisse, et re cognita, usque ad necem verberatum poenas stultitiae dedisse. Suadet igitur Martialis cerdoni ut se in pellicula sua, id est, in conditione et in corio contineat: *ne sutor ultra crepidam.* Ed. P.

17. — AD SABIDIVM.

Circumlata diu mensis scriblita secundis,
Vrebat nimio saeva calore manus;
Sed magis ardebat Sabidi gula: protinus ergo
Sufflavit buccis terque quaterque suis.
Illa quidem tepuit, digitosque admittere visa est:
Sed nemo potuit tangere: merda fuit.

1. *Scriblita.* A verbo στρεβλεῖν, *torquere.* quod in circuitu torqueatur. Similis est origo vocabuli gallici, *tourte.* — *Mensis secundis.* Gallice, *au second service.* Ed. P.

3. *Magis ardebat.* Ludit in verbis *urebat calore,* et *ardebat cupiditate.* Ed. P.

Tangere. Ludit pariter in verbis *digitos admittere* et *tangere.* Ed. P. — *Merda fuit.* Foedo Sabidii halitu fuerat corrupta: ideo nemo voluit aut sustinuit, non tantum edere vel gustare eam scriblitam, quae foetorem veluti stercoris contraxerat; sed nec manibus tangere. Lib. VII, epigr. 94. — *De Sabidio*, vide lib. I, epigram. 33.

18. — IN MAXIMVM.

Perfrixisse tuas questa est praefatio fauces.
Quum te excusaris, Maxime, quid recitas?

Irrisio est cuiusdam Maximi, qui recitaturus raucitatem excusavit, quum posset recitationem ipsam excusare.

1. *Perfrixisse.* Nimio frigore te factum esse raucum. — *Praefatio.* Antequam recitarent, praefabantur aliquid quo monerent auditores ea quae in rem indicabant esse.

2. *Quum tu exuraris* ea ed. Pulmanni citat Langius. — *Quum te excusaris.* Recitare non debuisti, sed tuis faucibus et nostris auriculis parcere: excusatio totum opus removet vel differt.

19. — DE VIPERA IN ORE VRSAE.

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictae qua Platanona ferae.
Huius dum patulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hylas, teneram mersit in ora manum.

Est flebilis narratio casus cuiusdam quo periit pulchellus puer: stabant apud Vipsanam porticum fictiles ferae ad ornamentum loci, apertis rictibus positae: in quarum hiatus ludibundus puer manum immittebat; forte accessit ad ursam quamdam in cuius ore viva latebat vipera: quae irritata pueri manu eum acriter momordit, immisso veneno brevi periturum.

1. *Proxima centenis, etc.* Prope Vipsanam porticum, quae centum columnis fulta est, in loco platanis consito, visuntur multae ferarum imagines ex metallo, seu marmore, seu lapide expressae, inter quas est ursa. — Scaliger interpretatur hunc locum de stadio quod erat prope theatrum Pompeii, regione nona, et temporibus Martialis sub Domitiano exstructum fuit, quod Eusebius in Chronico vocat hecatostylon.

2. *Fictae.* Fingunt statuarii, pingunt pictores. — *Platanona.* Locum platanis ex ordine consitum.

3. *Tentat hiatus.* Faucium altitudinem explorat, quasi provocaret ac diceret: Morde, fera, si potes!

4. *Hylas.* Fuit puer, Theodamae filius, egregiaeque venustatis, Herculi admodum carus. Quum Iasonem et Argonautas uterque ad vellus aureum rapiendum comitaretur, Hylas prope fontem, ad quem accesserat aquam hausturus, a nymphis fuit raptus. Hercules in litus descendit, et Hylam diu vocatum ita flevit amissum, ut Argonautas longius sequi noluerit: quum autem pulchritudinis laude efflureret Hylas, Hylan vocat puerum pulchellum Martialis. Virg. Georg. III, 6: *Cui non dictus Hylas puer?*

Vipera sed caeco scelerata latebat in ore,
Vivebatque anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit: o facinus, falsa quod ursa fuit!

5. *Vipera sed caeco eclata* in Pulmanu. Ms. *latebat in aere* ex Palat. legendum censet Grut. — *Caeco.* Tenebroso, ita ut quid intus abderetur videri non posset.

6. *Vivebatque anima, etc.* Et in hac fera crudeli, quoad corpus innoxia, latebat quasi anima crudelior, scelus meditans nocentius morsura. Ed. P.

7. *Dente recepto.* Venenum viperae in dentibus est, aut in vesica tenui ad guttur inserta, quae, quum viperae dentibus comprimitur, emittit virus.

8. *O facinus, falsa quod ursa fuit!* O factum male, quod non vera fuerit ursa! Tunc enim non inseruisset illi puer manum in os; aut ipsa formoso puero pepercisset vipera clementior.

20. — DE CANIO.

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Vtrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falsus adstruit scriptor?
An aemulatur improbi iocos Phaedri?
Lascivus elegis, an severus herois?

Iocosorum Gaditanorum iocosum concivem Canium, qui lepidissimis suis sermonibus potuisset Vlyssem ipsum detinere, describit perpetuo ridentem.

2. *Victuris.* In omnem posteritatem legendis, et habentibus genium, ut ipse ait lib. VI, epigr. 60, v. 10.

3. *Temporum acta Claudianorum.* Historiam rerum romanarum sub Claudio imperatore, quinto ab Iulio Caesare, gestarum.

4. *An quae Neroni, etc.* Neronis historia a multis scriptoribus mendacissime fuerat composita, qui vivo turpissime adulabantur, vel mortuo, nova, quae non cogitarat, adstruebant scelera. Tacitus in prooemio Annalium: *Tiberii, Caiique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae; postquam occiderunt recentibus odiis compositae sunt.* Ergo sensus hic est: An ad fidem et veritatem historiae revocat componitque, quae per odium aut adulationem excogitata fuerant commenta?

5. *Aemulatur.* Fabulas componit lepidas tersissimasque. — *Phaedri.* Qui fuit Augusti libertus, et fabulas Aesopi ex graeco latinas elegantibus senariis reddidit. Improbum vero dixit, quia fictis animalium colloquiis sui temporis mores acute carpit.

6. *Elegis.* Elegiarum materiam sic

An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otiosus in schola Poëtarum
Lepore tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi;
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatae sole rursus Europae
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?
Titine thermis, an lavatur Agrippae,

definit Horatius in Arte poëtica: *Versibus impariter iunctis querimonia primum, Post etiam inclusa est voti sententia compos.* — *Severus herois.* Grave est enim heroici carminis argumentum.

7. *An in cothurnis, etc.* An tristis et altus maiestate carminis tragici, scribit tragoedias? In tragoediis autem inducti heroës et reges grande loquuti, altis innitebantur calceamentis; claruitque stylo tragico Sophocles. Et quamvis Aeschylus fuerit primus, qui magniloquentiam docuerit, ut testatur Horat. in Arte poëtica; *Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno*, in proverbium tamen abiit *Sophocleus cothurnus*, quod Sophocles caeteros tragicos dictionis gravitate longe superaverit: ut Virg. Eclog. VIII, vs. 10: *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.* Ramir. — *Sophocleis.* Nam Sophocles Atheniensis poëta graecus tragicus insignis fuit, cuius exstant multae tragoediae. Floruit circa annum mundi 3574. Cum Aeschylo poëta item tragico certavit, eumque saepe vicit, ac duodeviginti palmis clarus, ultima demum sic elatus est, ut gaudio victus obierit.

8. *An otiosus, etc.* An in conventu poëtarum recitat elegantes comoedias, vel alia carmina. — *Otiosus*: Ab aliis negotiis vacuus. — *Schola.* Hic schola non proprie sumitur; nullus enim Romae hoc tempore locus destinatus poëtis; sed communiter accipiendum pro quovis hominum conventu ad recitaturos poëtas audiendos. *Ramiresius.*

9. *Attico.* Atheniensium laudatur elegantia et urbanitas.

10. *Porticum terit templi.* Forsan Isidis, quod erat procul porticus Europae, et Argonautarum. Vide lib. II, epigr. 14, v. 7. Ed. P.

11. *Spatia.* Forsan septa, de quibus diximus lib. II, epigr. 14, v. 5, quae erant prope templum Neptuni, iuxta quod porticus pulcherrima, in qua picta erat Argonautarum historia. Ed. P.

12. *An delicatae, etc.* Ordo est: An sedet inter Europae delicatae buxos sole tepentes? Erat prope porticum Europae silvula e buxo. Vid. lib. II, epigr. 14, vs. 3 et 15.

15. *Titine.* Titi Imperatoris, qui deliciae mundi; quem procul dubio versu clariore saepe celebrasset, si per Domitianum licuisset. *Rader.* — Legunt alii *Stertitne thermis*, minus bene meo iudicio, sed forte bene legeretur: *Stertitne, thermis an lavatur Agrippae?* Agrippa quoque thermas construxerat, quibus nomen suum

An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An aestuantes iam profectus ad Baias
Piger Lucrino nauculatur in stagno?
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

imposuerat. M. Vipsanius Agrippa fuit Augusti gener, aedificavit templum in honorem omnium deorum quod appellavit Pantheum, addiditque porticum lauris obumbratam. Vid. lib. I, epigr. 109, vs. 3.

16. *Tigillini*. Legitur et *Tigellini* qui est Sophonius Tigellinus de quo et eius impudicitia Tacitus lib. XIV, Annal.: *Imposuit cohortibus Sophonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo sequutus.* Et paullo post addit: *Validior Tigellinus in animo principis ex intimis libidinibus assumptus.* Et lib. Historiarum I: *Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta*; cuius vitam etiam breviter describit vetus Scholiastes Iuvenalis ad versum: *Pone Tigellinum*, Sat. I, vs. 155. Ed. P.

17. *Tulli atque Lucani*. Fratres hi erant summa inter se caritate coniuncti, ut constat ex lib. I, epigr. 37; et lib. IX, epigr. 12. — *Fruitur*. Hoc est, an rusticatur?

18. *Ad Quartum*. Praedium suburbanum ad quartum lapidem, ita suburbana praedia aut praetoria nominabant, ad Tertium, Quartum, Sextum, intellige lapidem milliarem. Singula passuum ab urbe millia notabantur lapidibus in via publica positis.

19. *An aestuantes*. Aquas calidas Baiarum intellige inter Misenum et Puteolos, in Campania, ubi et stagnum Lucrinum.

20. *Piger Lucrino naviculatur* in ed. antiq. Ferrar. 1471. Ald. Iunt. Colin. Gryph. aliis. Ita Phaedrus in quarta regione saepe posuit anapoestum. Pulmannus legit *naviclatur*. Lectionem nostram testantur optimi Gruteri codd. Sic ex (*navita*) *navta* simplici sincope fit *nauta*; namque veteres Romani *v* consonantem non pronuntiabant. — *Nauculatur*. Pro naviculatur, navigat.

21. *Vis scire*. Respondet Musa.

21. — IN CRVDELEM DOMINVM.

Proscriptum famulus servavit fronte notatus.
Non fuit haec domini vita, sed invidia.

1. *Proscriptum*. Dicebantur proscripti, quorum vita et caput venale proponebatur in tabula, certo adscripto pretio, si quis eos interemisset. Talis fuit is de quo agitur in hoc epigrammate, cui nomen Antius Restio. Ille a Triumviris proscriptus, anno ab urbe condita 710, fugit, uno servo fugae comite et conscio, quem paulo ante per summam crudelitatem

literis in fronte inustis notaverat, quam ignominiae notam et poenam imponebant vulgo domini servis nequam et fugitivis. Supervenientibus militibus quum diutius occultari Antius non posset, servus rogum exstruxit et hominem quemdam ignotum a se comprehensum occisumque in rogum iniecit, quaerentibusque percussoribus ubi esset Antius, rogum ostentans, *ibi*, inquit, *poenas suae in me crudelitatis luit*. Fraeseba spectaculum et praeterita heri culpa fidem fecit; ita servatus est Antius. — *Fronte notatus*. De notis quae servorum frontibus inurebantur, lib. II, epigr. 29. Servus sic notatus vocabatur stigmatias.

2. *Sed invidia*. Summa enim humanitate usus erga dominum crudelem servus omnibus eum fecit odiosum; ita illum multo gravius ultus est vita servata, quam ulcisci potuisset erepta; omnibus indignantibus ab Antio tam indigne habitum fuisse servum, a quo postea tam amanter servatus fuit. *Invidia* latine sumitur pro aliorum offensione et indignatione. Magnam igitur sibi conflavit invidiam Dominus; servus contra miserationem et admirationem nobili facto consequutus est, et hero poenitentiam saevitiae iniecit. Ed. P.

22. — DE APICIO.

Dederas, Apici, bis tricenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ut famem et sitim ferre,
Summa venenum potione duxisti.
Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

Apicii luxuria abiit in proverbium Tiberii Caesaris tempore, quo et ipse vixit, qui helluones omnes longo intervallo superavit. Seneca Consol. ad Helviam cap. 10: *Superfuturum sibi sestertium centies computavit, et velut in ultima fame victurus, si HS. centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria est, cui sestertium centies egestas fuit*. Ed. P.

1. Legendum putat Meursius, *ter trecenties*, quia Seneca testatur Apicium hausisse sestertium nongenties in comessationibus. — *Bis tricenties*. Apicius septingenta millia sestertium habebat in bonis, nostrae monetae 8,750,000 franc.; sexcenta millia luxu consumpserat, centum vero millia supererant.

2. *Centies laxum*. Hoc est, non minus centies, immo vero amplius, et nostrae monetae, 1,250,000 francorum, ex Rollino.

3. Edd. vett. *et famem ne sitim ferres*. Nostram lectionem ex codd. auis dedit Gruterus. — *Hoc tu gravatus*. Hoc gravatus, quasi hanc summam habere esset famem et sitim ferre, quasi haec pecunia non sufficeret ad arcendam famem et sitim. Ed. P.

4. *Summa potione*, scilic. ultima.

5. *Gulosius*. Nunquam ullo tuo facto clarius ostendisti quam esses gulosus. Vel Poëta irridet Apicium, quasi centies emisset summam potionem qua periit, unde cariore pretio nunquam biberat.

23. — IN AVARVM INVITATOREM.

Omnia quum retro pueris obsonia tradas :
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Triclinium tres lectos babebat ita dispositos, ut unum complecterentur alii duo, referrentque formam Π maiusculae; in medio orbis collocabatur ad ponendas dapes, qui orbis mensa dicebatur, ut inde convivae recumbentes in lectuli tricliniis possent sibi desumere quod libuisset. Quum autem hic omnia obsonia statim ac ponerentur in mensa traderet pueris retro, ait satius fuisse ut a pedibus collocaretur. *Ramires.*

1. *Omnia quum retro.* Quidam pueri vocabantur ad pedes, qui ad pedes lecti, in quo recumbebat dominus, retro stabant, et a tergo, eius soleas servantes. — Seneca de Beneficiis, lib. III, cap. 27 : *Vt primum diluxit, servus qui caenanti ad pedes steterat, narrat quae inter coenam ebrius dixisset.* Quum igitur traderet omnes dapes avarus ille invitator famulis auferendas, vel delicatulis pueris edendas, commodius hoc factum fuisset, si a tergo accumbentium fuisset posita mensa; quae posita in fronte, non magis utilis erat convivis. — *Opsonia.* Cibi omnes, praeter panem ita vocabantur ab ὀπτάω, coquo.

24. — DE HARVSPICE HERNIOSO.

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.
Quem Tuscus mactare deo quum vellet haruspex,
Dixerat agresti forte rudique viro,
Vt cito testiculos peracuta falce secaret,
Teter ut immundae carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus

1. *Vite nocens rosa.* Hircus Baccho immolabatur, quia vites rodit, ut porcus Cereri, quod frugibus obest. Ovid. lib. I Fast. Ennii poëtae versus graecos imitatus, quos παρῳδικῶς adducit Suetonius in Domitiano, cap. 14 : *Rode, caper, vitem, tamen hinc quum stabis ad aras, Intus quod spargi in cornua possit, erit.* Lib. XIII, epig. 39 : *Lascivum pecus et viridi non utile Baccho, Det poenas : nocuit iam tener ille deo.*

3. *Quem Tuscus.* Ex Tuscia, sive Hetruria, hodie *la Toscane*, Romam allata est baruspicina. Haruspex autem, teste Donato ad Phormionem Terentii, act. IV, scen. 4, ab baruga nominatur. Nam baruga dicitur hostia, ab bara in qua concluditur et servatur. Alii, qui sine aspiratione hoc vocabul. scribunt, dici putant quia aruspex *in ara inspicit exta.*

7. *Virides.* Hoc est, alstas herba viridi. Vide Terent. act. IV, scen.

Dum resecat cultro colla, premitque manu;
Ingens iratis apparuit hernia sacris.
Occupat hanc ferro rusticus, atque secat:
Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
Talibus et fibris numina prisca coli.
Sic modo qui Tuscus fueras, nunc Gallus haruspex,
Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.

4, de more berbis aras aternendi.

9. *Iratis*. Forte propter irreverentiam haruspicis, cuius hernia apparebat, quam exsecuit rusticus, quum hirci testiculos abscindere debuisset.

13. *Qui Tuscus*. Ludit poëta in voce *Gallus*, quasi ille haruspex patriam commutasset; sed intelligit Gallum fuisse factum, hoc est, castratum: Sacerdotes enim Cybeles castrati dicebantur Galli.

14. *Ipse caper*. Hircus et caper in eo differunt, quod hic castratus *sit*, ille vero minime, aliquando tamen confunduntur. Virg. Eclog. VII: *Vir gregis ipse caper*. Vide Gell. lib. IX, cap. 9.

25. — AD FAVSTINVM, DE SABINEO RHETORE FRIGIDO.

Si temperari balneum cupis fervens,
Faustine, quod vix Iulianus intraret:
Roga, lavetur, rhetorem Sabineum.
Neronianas hic refrigeret thermas.

Iocus est in Sabineum Rhetorem frigidissimum in dicendo, quem ait hyperbolicōs, posse fervens balneum refrigerare.

2. *Iulianus*. Aliquis Faustino notus, qui aquis nonnisi fervidissimis lavabat.

3. *Sabineum*. Ineptum nempe.

4. *Neronianas*. Caeteris calidiores. Vide lib. II, epigr. 48; et lib. VII, epigr. 34. — *Refrigeret*. Hoc est, qui vel aquam calidissimam refrigerare possit. Iocus est a frigore aëris ad orationis frigus seu potius ineptias. Dicimus enim orationem ineptam frigere. Suet. in Claudio cap. 41: *Et quum primum frequenti auditorio commisisset, aegre perlegit refrigeratus saepe a se ipso.*

26. — IN CANDIDVM.

Praedia solus habes, et solus, Candide, nummos,

Candidum eumdem avarum et sui unius amantem, quem iam (lib. II, epigr. 24 et 43) suggillavit, quod suas sibi reservaret delicias, nec amicis communicaret, nunc deridet Noster, quod unam tantum rem habeat

Aurea solus habes, myrrhina solus habes;
Massica solus habes, et Opimi Caecuba solus;
Et cor solus habes, solus et ingenium.
Omnia solus habes; nec me puta velle negare:
Vxorem sed habes, Candide, cum populo.

communem, scilicet uxorem. Eo P.

1. *Solus habes.* Sensus est: Tibi soli habes, licet hoc Pythagoricum semper habeas in ore praeceptum: κοινὰ φίλων. Ed.P.

2. *Aurea, myrrhina.* Vasa; vid. XIV, epigr. 113. Sic fere myrrhina describit Plinius lib. XXXVII, cap. 2: *Oriens*, inquit, *myrrhina mittit ex humore sub terra calore densata. In pretio sunt ob nitorem et coloris varietatem, purpurei, candidi, et tertii ignescentis. Aliqua et in odore commendatio, etc.* Ios. Scalig. ad versum illum Propertii lib. IV, *Murrheaque in Parthis pocula cocta focis*, adversatur Plinio, asseritque murrhina pocula ex Signino cocto apud Sinas facta esse, quae gallice *porcelaine* vocatur. Vide Pancirolum, et ad eum Salmuth.

3. *Massica.* Massicus mons in Campania fuit, vini generosi ferax. Nunc est in ea parte Italiae, quae vocatur Terra Laboris in regno Neapolitano, *Monte Marsico* appellatus, inter Minturnas et Calenum. Vide lib. XIII, epigr. 3. — *Opimi.* Lucio Opimio consule, anno ab Vrbe condita 633, ante I. C. 119, vini optimi felix et ingens in Italia tota proventus fuit; quod in testas seu amphoras diffusum, in annos 200 duravit. — *Caecuba.* Caecubum vel Caecubus, mons et ager est in Latio, vini optimi fertilis, prope Fundos et Amyclas urbes, ad sinum Caietanum. Mons ille nunc vocatur *Monte di Gaeta.* Caecubum vinum per se ipsum iam generosum, inde maioris pretii est quod Opimio consule fuit recollectum; hine avaritiam Candidi gravius increpat Noster qui merum tam eximium sibi soli reservat. Ed. P.

4. *Et cor.* Solus tibi sapere videris, cordati dicuntur qui sapientiam aut fortitudinem habent. Vid. epigr. 27 infr. v. 4. Sic et apud Ennium: *Egregie cordatus homo Catus Eliu' Sextus.* — Est metonymiae genus haud infrequens, quo variae partes corporis sumuntur pro quibusdam animi affectibus, aut indolis qualitatibus: verbi causa, pectus, spiritus, etc. Ed. P.

27. — IN GALLVM.

Nunquam me revocas, venias quum saepe vocatus;
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas.

Gallum saepe a se vocatum ad coenam dicit, se autem nunquam revocatum a Gallo. Indignatur; et se stultum, qui hoc fecerit; et Gallum impudentem, qui non fecerit, et tamen alios invitet, affirmat. *Raderus.*

Invitas alios: vitium est utriusque. Quod? inquis.
Et mihi cor non est; nec tibi, Galle, pudor.

3. *Vtriusque.* Meum aeque ac tuum.

4. *Et mihi cor non est.* Nec enim te invitare deberem. Vid. praecedens epigr. v. 4. — *Nec tibi, Galle* Quum me de te bene meritum ad coenam non reveces.

28. — IN NESTOREM.

Auriculam Mario graviter miraris olere!
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.

2. *Tu facis hoc.* Tu causa es cur illi male oleat auricula, cui graveolentiam affers impuro tuo halitu. De τῷ in aurem garrire, vid. lib. I, epigr. 90.

29. — IN SERVVM EQVITEM FACTVM.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Zoilus, e servo ergastulario, eques factus fuerat. Hunc ut pristinae conditionis admoneat Poëta, fingit eum suas Saturno dedicare catenas; et ludit in voce *annulos* quod ad catenas pertinet et ad equestrem dignitatem. Eo. P.

1. *Gemina compede.* Servi improbi, compedibus vincti, opus in ergastulo faciebant. — *Dedicat catenas.* Servi libertate donati compedes et catenas consecrabant Saturno; qui quidem deus, in compedes olim a filio Iove coniectus, adeptus deinde libertatem, servos in clientelam suam videbatur accepisse; itaque, ut Apollodorus ait, Saturnus per totum annum laneo vinculo alligabatur, qui mense decembri tantum solvebatur; quum per Saturnalium dies servi libertatem adepti incederent per urbem pileati. Horat. sat. I, 5: *donasset iamne catenam.*

2. *Annulos* olim ferreos gerebat in pedibus; nunc gerit aureos in digitis. Lib. XI, epigr. 38: *Zoile, quid tota gemmam praecingere libra Te iuvat, et miserum perdere sardonycha? Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus; Non eadem digitis pondera conveniunt.* — Est alter iocus de annulis, lib. VIII, epigr. 5. — Huius epigrammatis carmen est e Sotadico genere, ut diximus lib. II, epigr. 86, v. 2. Hic versus a phaleucio seu hendecasyllabo in eo tantum discrepat, quod ante dactylum, qui mediam versiculi partem obtinet, habeat anapaestum; ita constat 14 sillabis, quae sex pedes efficiunt.

30. — AD GARGILIANVM, CLIENTEM EGENVM.

Sportula nulla datur; gratis conviva recumbis:
  Dic mihi, quid Romae, Gargiliane, facis?
Vnde tibi togula est, et fuscae pensio cellae?
  Vnde datur quadrans? unde vir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te vivere summa:
  Quod vivis, nulla cum ratione facis.

1. *Sportula nulla, etc.* Domilianus rectas coenas restituit (vide supr. epig. 7); nihil dalur iam pecuniae clientibus: quomodo poteris iam Romae vivere, quippe nullam artem calles, unde tibi compares togam, solvas pensionem domus tenebricosae, pretium meretricis, etc. Ad haec omnia praestanda utebantur clientes centum illis quadrantibus quibus, ut ait Iuvenalis: *Hinc toga, calceus hinc est, Et panis, fumusque domi.* — *Gratis conviva.* Vide infr. epigr. 60.

3. *Fuscae pensio cellae.* Tenebricosae sordidaeque habitationis pretium annuum.

4. *Quadrans.* Quo pretio lavabant Romani. Horat. I, sat. 3: Dum te quadrante lavatum Rex ibis. *Vir es Chiones.* Chione, scortum sui corporis copiam egenis faciens.

5. *Cum ratione licet.* Iocus est in ambiguo; in priori versu moderationem, in posteriori vero iudicium significat: enimvero mori praestaret, quam vitam tam miseram ducere. Gallice versum: *Tu vis raisonnablement, mais sans raison de vivre.*

31. — AD RVFINVM, DIVITEM ARROGANTEM.

Sunt tibi, confiteor, diffusi iugera campi,
  Vrbanique tenent praedia multa Lares:

Rufinum monet ne pauperiores despiciat, quum videat ditiores quam se, et quidem viles homines. Ed. P.

1. *Sunt tibi, etc.* Magnum soli spatium possides.

2. *Albanique* codex Thuaneus. — *Vrbanique, etc.* Multae sunt tibi domus; vel tibi est domus tam vasta, ut spatium complectatur quod multis domibus esset satis. Ed. P. — *Vrbanique tenent praedia multa Lares.* Sensus est: habes multa praedia urbana. Praedium urbanum aedificium quodlibet est, seu in urbe seu rure positum: praedium rusticum omne terrae spatium, seu in urbe seu rure, in quo non aedificatur. *Aedificia omnia urbana praedia appellamus*; Iustinianus, instit. lib. II, tit. 3, § 1. Ed. P. — *Lares.* Lares sunt dii domestici, cuiusque domus proprii: accipiuntur pro ipsa domo. Nota Brissonii haec est: Dii tui Penates occupant in urbe quantum soli esset multis domibus. Vel: Domus tuae ur-

Et servit dominae numerosus debitor arcae,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, minores.
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

banae, quas multas habes, habent singulae praedia sua suburbana: etenim solum et superficies iunctim dicitur plerumque praedium; sed proprie praedium est solum ipsum; idque si rure, rusticum, si in urbe, urbanum. Iunctim vero etiam ruri urbanum esse potest, et in urbe rusticum. Ed. P.

3. *Et servit domino numerosae* in cod. Thuan. ut et in cod. Vaticano. — *Et servit dominae.* Multis credisti nummos debitoribus; multos habes obaeratos et foeneratos. — *Dominae arcae.* Dominam arcam vocat, quasi debitoribus imperitantem; nihil est enim misero debitore et egeno subiectius, nihil magis servile: vel quia pecuniae omnia obediunt. Videantur quae adnotavimus lib. I, epigr. 77, versui 7.

4 Non est temere, quod in Thuan. membr. legebatur: *aurea massa dapes.* Gronovius. — *Aurea mensa.* Coronas tantum mensarum, non totas mensas aureas fuisse interpretatur Raderus: vel forte mensam auream dixit, quae nempe ornata esset multis vasis aureis. Vel, simpliciter intellige auream fuisse, aut inauratam.

5. *Minores.* Minus divites quam te.

6. *Didymus.* Malis artibus multa consequutus erat infamis hic Didymus de quo lib. XII, epigrammate 43. Philomelus vero (φιλεῖν, *aimer*; μέλος, *chant*) citharoedus forte fuit tempore Martialis locupletissimus; qui ambo utpote ditiores Rufinum fastidire possint. — *Habet.* Ergo, non est magnum, Rufine, ea possidere quibus vilioris notae isti homines abundarunt.

32. — IN MATRINIAM.

Num possim vetulam, quaeris, Matrinia? possum
Et vetulam: sed tu mortua, non vetula es.
Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia: sed si

1. *Num possim.* Haec vetula accusabat Martialem, quod parum vir esset. Excusat hoc quum dicat eam non vetulam, sed iam mortuam. *Ramiresius.* — *Possum.* Nota φράσις, *posse vetulam.* Multa enim reticebant in rebus turpioribus; unde *Caetera quis nescit?* et similia. Sic Plautus: *quae cum viris suis praedicant nos solere.* Et συνεῖναι Graecis, *esse cum muliere.* Latinis: *consuescere* etiam frequenter usurpatum, ut κοινωνεῖν graece. Vide infra epigr. 75.

3. *Hecubam, possum Nioben.* Tot filiorum matres necesse est veterrimas esse. *Ramires.* — *Sed si nondum erit, etc.* Notissima fabula ea Metam. Ovid. de Niobe, occisis filiabus, in saxum mutata; de Hecuba autem in canem conversa quum Polymne-

Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

stori, Thraciae regi, ob occisum Polydorum filium oculos eruisset, et a Thracibus lapidibus impeteretur.

4. *Nondum erit illa lapis.* His verbis significat se posse quidem vetulas, sed si nondum formam mulierum nimia senectute exsuerint, quod tu fecisti, canis iam et saxum, altera Niobe et Hecuba.

33. — QVALEM PVELLAM VELIT.

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est:
Extremo est ancilla loco; sed vincet utramque,
Si facie nobis haec erit ingenua.

1. *Ingenuam.* Ingenui dicuntur, qui statim ut nati sunt, liberi sunt: libertini vero qui ex iusta servitute manumissi sunt. Iustinianus, Instit. lib. I, tit. 4 et 5.

3. *Sed vincet.* Ancilla vincet ingenuam et libertinam, si formosa fuerit; atque ita solius formae, non conditionis rationem habet Poëta. Ludit in vocabulo *ingenua* Noster; quemadmodum qui liber statim ut natus est, dicitur *ingenuus*, sic quidquid bonum est latine dicitur *ingenuum*. Ed. P.

34. — AD CHIONEM.

Digna tuo cur sis, indignaque nomine, dicam.
Frigida es, nigra es: non es, et es Chione.

2. *Chione.* Χιὼν nix est; haec mulier erat quidem *Chione*, quia frigida erat, ut nix; at quum non esset candida, ut nix, sed nigra, non erat *Chione.* — Notanda est istius versus ratio metro repugnans; *frigida* et *nigra* non occursu duarum vocalium eliduntur. Ed. P.

35. — DE PISCIBVS SCVLPTIS.

Artis Phidiacae toreuma clarum,
Pisces aspicis: adde aquam, natabunt.

1. *Artis Phidiacae.* Non quod a Phidia fabrefacti fuerint hi pisces, sed quod ille Phidias, sculptor Atheniensis clarissimus, qui anno ab Vrbe condita circiter 300 floruit, toreuticen invenit, id est, artem conficiendorum toreumatum: est autem toreuma opus torno factum at caelatum (τορεύω, *torno*, *sculpo*). Quam artem in summo habitam fuisse pretio docet Plinius lib. XXXV, cap. 10.

2. *Adde aquam.* Adeo naturam aemulantur, ut addita aqua videantur nataturi. Vid. infra epigr. 51.

36. — IN FABIANVM, ARROGANTEM PATRONVM.

Quod novus et nuper factus tibi praestat amicus,
Hoc praestare iubes me, Fabiane, tibi.
Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum :
Lassus ut in thermas decima, vel serius, hora
Te sequar Agrippae, quum laver ipse Titi.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Vt sim tiro tuae semper amicitiae ?
Hoc merui, Fabiane, toga, tritaque, meaque,
Vt nondum credas me meruisse rudem?

De Fabiano conqueritur, quod quum vetus esset ipsius amicus, nihilominus easdem semper a se posceret anteambulonis operas, quas a tironibus clientibus, eius amicitiam primum captantibus, exigebat.

3. *Horridus.* Matutino frigore rigens. Iuvenalis sat. V, v. 20: *Sollicitus ne Tota salutatrix iam turba peregerit orbem, Sideribus dubiis, aut illo tempore quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootae.* — Vel *horridus* intelligatur cultu neglectus, quum properat Martialis inter primos salutatores venire.

4. *Per mediumque, etc.* Me iubes in sella recubantem te praecedere, comitari vel sequi, quasi a te, tui honoris causa, traherer. Ed. P. — *Sella.* Lectica, cathedra gestatoria. *Lutum.* Miserorum clientium incommoda multa erant, tum in primis quod saepe per lutum, occupante viam lectica, eundum esset.

5. *Decima, vel serius, hora.* Hoc est, duabus horis tardius solito; aestate enim octava hora lavabant, nona vero coenabant. De horis vid. lib. IV, epigr. 8.

6. *Te sequar.* Conqueritur Martialis, quod iam lassus, hora decima vel serius, quando iam coenandum esset, cogeretur Fabianum ad thermas Agrippae, honoris causa, comitari; ubi eo relicto, quod scilicet simul lavari clientes non sineret patronus ille arrogans, properabat ipse ad Titi Thermas, quae longo spatio dissitae erant ab Agrippae thermis.

7. *Decembres.* Annos. Ramiresius putat hinc argui avaritiam Fabiani non munera clientibus, ut mos erat Saturnalium tempore mittentis.

8. *Tiro.* Hoc verbum militare cum verbo *merui* sequentis versus recte congruit. Ed. P.

9. *Trita.* Quam detrivi, ea in honorem tuum utendo. — *Meaque.* Quum vestibus clientes suos donare soleant alii patroni. Pers. Sat. I: *Scis comitem horridulum trita donare lacerna.*

10. *Meruisse rudem.* Hoc est liberationem officiorum: tractum est a gladiatoribus; nam gladiatores, ingravescente aetate segnes, vel laudem praeclaro quodam facinore adepti, rude donabantur, ut apud Horat in

epistolis, et Iuven. Qua rude accepta non cogebantur amplius pugnare, sed publica alebantur pecunia. Sensus est: Putas me nondum meruisse rudem, ut me alas sine officio? *Domitius.* — Ramiresius putat Poëtam ambigue allusisse ad togam rudem, tritae scilicet oppositam, et villosam, quam pexam dixit lib. II, epigr. 44.

37. — IN IRASCENTES AMICOS.

Irasci tantum felices nostis amici.
Non belle facitis: sed iuvat hoc facere.

Est reprehensio divitum, qui irarum occasionem quaerunt, ne officia inferiorum amicorum remunerentur; ita fingentes se per inimicitiam non dare, quod per avaritiam non dant. Sic lib. XII, epigr. 13: *Genus, Aucte, lucri divites habent iram: Odisse quam donare vilius constat.* Ed. P.

1. *Irasci tantum.* Nihil scitis nisi irasci, sine ulla iusta causa. — *Felices.* Divites; quo sensu vox ea, ut *beatus*, saepissime usurpatur.

2. *Sed iuvat.* Lucro est vobis. — *Iuvat hoc facere.* Sic nihil largimini amicis quibus succensetis.

38. — AD SEXTVM.

Quae te causa trahit, vel quae fiducia Romam,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus causas, et Caius: utrumque
Noras; sed neutri pensio tota fuit.

Vt lib. IV, epigr. 5, Fabianum, sic hoc epigrammate Sextum inducit quemdam, Romae vivere meditantem, et forsan e Gallia Cisalpina, ubi tunc erat Noster, ad hoc migraturum; quem dissuadet Martialis, quum vir probus sit; Romanis scilicet ad id pravitatis lapsis, ut bonis artibus nullus sit in urbe locus. Ed. P.

2. *Refer.* Mihi responde.

4. *In triplici foro.* Vetus seu Romanum unum, alterum Iulii Caesaris, tertium Augusti intellige: de quibus copiose Alexander Neapolitanus, lib. II, cap. 12. Vide quae adnotavimus lib. I, epig. 77, v. 12. In tribus foris agebantur causae. Vide lib. VII, epigr. 65, v. 2.

5. Pro *Caius* multi legunt *Civis*, pro nomine proprio: quod et Gruterus confirmat. *Marcus* ex ed. Pulmanni citat Langius. — *Egit Atestinus causas et Caius.* Nomina forte ficta aut pauperum causidicorum, qui ex causis non erant consequuti unde totam solverent annuam conductae domunculae pensionem.

6. In margine Iuntin. *secta fuit.*

Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis :
Audieris, dices esse Maronis opus.
Insanis : omnes gelidis quicumque lacernis
Sunt ibi, Nasones, Virgiliosque vides.
Atria magna colam. Vix tres, aut quatuor ista
Res aluit : pallet caetera turba fame.
Quid faciam ? suade: nam certum est vivere Romae.
Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

7. *Si nihil, etc.* Respondet Sextus.

9. *Insanis.* Refert Martialis: Omnes istos quos videre est lacernis tritis, et ab omni parte frigus admittentibus, horridulos, totidem sunt, aut totidem se putant esse Nasones Maronesque, nec tamen rem familiarem magnam faciunt. Ed. P.

11. *Atria, etc.* Refert Sextus. — *Atria magna.* Hoc est, potentiores colam, in atriis quippe magnum amicum exspectabant clientes. — *Vix tres, etc.* ait Martialis.

13. *Quid faciam ?* Inquit Sextus. — *Certum est.* Decrevi Romae vivere.

14. *Si bonus es.* Bonis fortuitus est Romae victus et incertus; malis stipendium certum. — Iuvenalis, sat. III, v. 41 : *Quid Romae faciam? mentiri nescio, etc.*

39. — DE LYCORI.

Iliaco similem puerum, Faustine, magistro
Lusca Lycoris amat : quam bene lusca videt !

1. *Iliaco magistro.* Pecoris scilicet magistro; Paridem forte intelligit. Legunt alii *ministro*, id est, Ganymedi Iovis pocillatori.

2. *Quam bene lusca videt!* Quae tam bene de forma iudicat. Quintus, contra (epigr. 8 supr.), caecus erat, quamvis oculos haberet.

40. — IN THELESINVM.

Mutua quod nobis ter quinquaginta dedisti
Ex opibus tantis, quas gravis arca premit;

1. *Ter quinquaginta* scilicet 150,000 sestertium, vel 18,750 franc. mon. Gall. Legunt alii *ter quinquagena*, ne finalis in *ginta* producatur; verum est anceps : reperitur longa lib. XII, epigr. 8; et brevis lib. XII, epigramm. 26.

2. *Premit.* Stipatas vix capit.

Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus.
Tu magnus, quod das? immo ego, quod recipis.

4. *Tum magnus, quod das* Langius aliique. *Tun' magnus, etc.* legendum censet Ramiresius. — *Tu magnus quod das?* Tune es liberalis et magnificus, quod mutuam hanc mihi summam des? Immo pusillus es et parcus, qui, quum dives sis, pauperi mutuum dare non erubescas, cui par erat te donare gratis. Ego magni animi sum, qui licet pauper non decoquo, sed mutuum tibi solvo.

41. — IN LACERTAM CAELATAM.

Inserta phialae Mentoris manu ducta
Lacerta vivit, et timetur argentum.

1. *Inserta, etc.* Caelata in superficie ampullae argenteae lacerta, ita est affabre expressa, ut vivere videatur et timeatur, liceat argentea sit et expers animae. — *Mentor* caelator fuit clarissimus. Lib. IX, epigr. 60: *Et si qua fuerunt pocula Mentorea nobilitata manu.* Plin. lib. XXXIII, cap. 11: *Lucius vero Crassus orator duos schyphos Mentoris artificis manu caelatos habuit centum sestertiis*, gallicae monetae, 12,500 franc. ex Rollino. Ed. P. — *Ducta.* Proprium est caelatorum et sculptorum verbum. Virg. Aen. VI, 848: *Excudent alii spirantia mollius aera, Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.*

2. *Et timetur.* Quum lacerta vivere videatur.

42. — IN POLLAM.

Lomento rugas uteri quod condere tentas,
Polla; tibi ventrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum:
Quod tegitur, maius creditur esse malum.

1. *Lomentò.* Lomentum, teste Roberto Stephano, farina fabacea, qua ad eruganda corpora usa est antiquitas. Verum vero linebat Polla, ut sulcis absconditis puella videretur.

2. *Non mihi labra linis.* Id est, non me decipis hoc fuco, quo sensu Plautus dicit, *os sublinere*. Haec dicendi formula originem traxit a genere ludi quo dormientibus ora pinguntur: quos quum aliis ludibrio esse vellent antiqui, eos dormientes per iocum liniebant colore aliquo, vel fuligine. Haec formula potest etiam desumi ab iis qui amaras potiones aegrotis vel pueris exhibentes, labra poculorum mellis illinunt, ut hac dulcedine primum decepti potionem hauriant.

3. *Simpliciter.* Candide, absque fuco: lib. I, epigr. 88, v. 8, et lib. VI, epigr. 7, v. 6.

43. — IN LENTINVM.

Mentiris iuvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito corvus, qui modo cycnus eras.
Non omnes falles: scit te Proserpina canum;
Personam capiti detrahet illa tuo.

1. *Mentiris iuvenem.* Lentinus canos capillos tingebat, ut iuvenis videretur. Vid. Auson. epigr. 16, ubi Lais respondet Myroni, quod Adrianus seni fucato: *patri iam negavi tuo.*

3. *Scit te Proserpina.* Iovis et Cereris filia, quae a Plutone rapta est in coniugium, unde Inferorum regina dicitur. Qui autem morituri sunt priusquam a Proserpina tondeantur, animam efflare nequeunt, ut canunt Poëtae. Hanc causam affert Virgilius, cur Dido difficulter animam emitteret, Aen. IV, v. 698: *Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.*

4. *Personam.* Persona sic dicitur ficta imago vultus, seu larva: illa vero capillorum tinctura eleganter capitis persona dicitur, qua ablata Lentinus canus videbitur, atque Orco damnandus; caput igitur simul tondebit et larva nudabit Proserpina.

44. — IN LIGVRINVM.

Occurrit tibi nemo quod libenter;
Quod, quacumque venis, fuga est, et ingens
Circa te, Ligurine, solitudo;
Quid sit, scire cupis? nimis poëta es:
Hoc valde vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,

Hoc epigrammate et sequenti, et epigr. 50 infra, indefessum deridet suorum carminum recitatorem Ligurinum, qui probus quidem ac integer, sed in aurium supplicium natus, omnes circa se poëtica sua fugabat importunitate.

4. *Nimis poëta es.* Horatius in fine artis poëticae: *Furit, ac velut ursus Obiectos caveae valuit si frangere clathros, Indoctum doctumque fugat recitator acerbus; Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo, Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.* En. P.

6. *Non tigris.* Quae tamen periculosissima est, dum equitem suorum catulorum raptorem insequitur, perniciosissimum animal: quam ille ut videt, unum abiicit e catulis quem mater ad cubile reportat, rursusque raptorem insequenti alterum abiicit, mox tertium, etc. Ita illa unicum vix nactus, navem conscendit.

Non dipsas medio perusta Sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, et legis sedenti:
Currenti legis, et legis cacanti.
In thermas fugio; sonas ad aurem.
Piscinam peto; non licet natare.
Ad coenam propero; tenes euntem.
Ad coenam venio; fugas edentem.
Lassus dormio; suscitas iacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir iustus, probus, innocens timeris.

7. *Dipsas.* Serpens a quo icti vexantur et tandem enecantur siti et aestu: δίψα, *sitis*, unde nomen deducit: *perusta sole* dicitur, vel quod apricetur ad solem meridianum, vel quod plaga meridiana vivat. Freqnens est in Africa pestiferum hoc serpentis genus.

13. *Piscinam peto.* Locus erat domi ubi aqua frigida lavabant; fuisse etiam piscinas tepidas constat ex Plinio iuniore, lib. V, epist. 3. Fuit etiam piscina publica.

15. *Edentem.* Hanc lectionem cum Ramiresio adoptavimus, quia iam versu decimo legebatur *sedenti*. Ed. P. — Alii tamen legunt *sedentem*; nempe qui ad coenam maturius veniebant, dum sternerentur lecti, sedebant. Lib. VIII, epigr. 67; *Sternantur lecti: Caeciliane, sede.*

18. *Vir iustus, etc.* Caetera quum bonus sis ac iustus et propter innocentiam atque probitatem expetendus, propter hanc tamen importunam recitationem, te fugiunt omnes caventque diligenter.

45. — DE EODEM.

Fugerit an mensas Phoebus coenamque Thyestae,

Eiusdem est cum superiore argumenti, quo renunciat coenae Ligurini, quod acerba et molesta recitatione convivas enecet.

1. *Fugerit an mensas.* Thyestes filius fuit Pelopis ex Hippodamia, atque nepos Tantali, qui uxorem fratris sui Atrei in adulterium pellexit, atque ex ea suscepit filios, quos Atreus in vindictam tanti sceleris eidem Thyestae comedendos apposuit. Propterea poëtae fingunt Solem orrore tantae immanitatis expalluisse, mutatoque solito cursu, rediisse ad Auroram. Vide Senecam in Thyest. et ibi argumentum Farnabii. Vid. etiam versu 774: *O Phoebe patiens, fugeris retro licet, Medioque ruptum merseris coelo diem, Sero occidisti.*

Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis:
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem:
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

2. *Fugimus nos.* Ne cogamur audire te recitantem. Epigr. 50 infra.

5. *Rhombum.* Gallice, *turbot.* — *Mullum.* Gallice, *barbeau.* —*Bilibrem.* Mulli bilibres magno in pretio erant, propterea quod id pondus raro excedebant. Horat. Satir. lib. II, vs. 33: *Laudas, insane, trilibrem mullum.* Recitatione importuna fastidium paris ciborum exquisitissimorum (inter quos apud Veteres, rhombus, mullus, boleti et ostrea). Ed. P.

6. *Boletos.* Fungos exquisitos, quos argento et auro praefert Martialis.— *Tace.* Volo tantum ut taceas.

46. — AD CANDIDVM.

Exigis a nobis operam sine fine togatam.
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem: multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor; ille feret.
In turbam incideris; cunctos umbone repellet:

Candidum quemdam ut illiberalem iam non semel vidimus a Martiale reprehensum. Hic ad eumdem revertitur, sive alterum sub eodem nomine incusat superbiae, qui omnes clientium operas ab amicis exigebat, et aegre sinebat ab eorum libertis praestare. Ed. P.

1. *Operam togatam.* Id est, officium anteambulonis: patronos enim comitabantur clientes toga induti, quam alii cives raro sumebant. Iuvenalis Sat. III: *Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua Nemo togam sumit, nisi mortuus.*

3. *Non est idem.* Maiori, inquis, mihi honori esset tuus quam liberti comitatus. — *Plus esse probabo.* Sunt verba poëtae respondentis: Minori honori hoc tibi esse putas; maiori utilitati hoc tibi esse puto; quum libertus meus, homo rusticus et inelegans, tibi, quae ego dubitarem homo delicatus, non dubitabit officia praestare. Ed. P.

4. *Subsequor.* Vid. supra epigr. 36, v. 4.

5. *In turbam incideris.* Iuvenalis, sat. III, v. 243: *Nobis properantibus obstat Vnda prior; magno populus premit agmine lumbos Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam; Pinguia crura luto, planta mox undique magna Calcor, et in digito clavus mihi militis haeret.* — *Cunctos umbone repellet.* Vmbo est quidquid extumidum prominet; unde pars illa

Invalidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo:
At tibi tergeminum mugiet ille sophos.
Lis erit; ingenti faciet convicia voce:
Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, praestabis amicus?
Quidquid libertus, Candide, non poterit.

quae in Romano clypeo, instar dimidii ovi eminebat, *umbo* appellabatur, atque per synecdochen totus clypeus dicebatur umbo. Igitur sensus hic est: Libertus meus, cubiti, vel ventris, vel laterum opposita praestato, quasi firmo clypeo turbam reiiciet ingruentem. Turnebus, l. XIII, cap. 15 et 19. — Nescio tamen an non eum Beverl. legendum ait *cuneos*; sic enim metaphora eleganter producta continuaretur, scilicet, populus cunei (qui est decursionis militaris genus) forma quasi dispositus, regis et clientium ordines rupturus irruet; quem fortiter franget quasi umbone libertus, etc. Ed. P.

6. *Ingenuum*. Debile; hominis enim ingenui, calamo scriptorio potius quam rastro utentis, modicae sunt vires, et impetui magno ferendo impares. Ed. P.

8. *Tergeminum*. Id est, magnam; qua in significatione numerus ternarius saepe usurpatur. Censemus contra sic explicandum: ter *mugiet sophos*. Ed. P. — *Sophos*. De hac voce vide lib. I, epigr. 4, v. 7.

9. *Lis erit*. Si litigaveris cum aliquo, tuo nomine lacerabit adversarium conviciis.

10. *Esse pudor*. Nam rusticorum est voce alta clamare.

12. *Quidquid*. Officis liberalis praestabo, quae nec servus nec libertus praestare possunt; famam, exempli gratia, et nominis aeternitatem meis versibus tibi conciliabo.

47. — DE BASSO.

Capena grandi porta qua pluit gutta,

Bassus, ad quem epigr. 58 infr. de Faustini villa fructuosissima, sterilissimam villam habebat, in quam eum pingit Martialis omnia ex Vrbe importantem, quae in urbem ex villis vulgo deportantur. Villam Bassi villamque Faustini comparat, epigr. 58. Ed. P.

1. *Capena grandi*. Ordo est: qua Capena porta stillat grandibus guttis. Ed. P. — *Capena* Qua itur Capuam urbem Campaniae nobilissimam, *Capue*: eadem dicta *Fontinalis* propter aquaeductum de quo infra loquemur, vel *Triumphalis*, vel *Appia*, ab Appio Censore qui viam Appiam munivit. Hodie dicitur *Sancti Sebastiani*. Erat in prima regione Vrbis. — *Pluit*. Propter aquaeductum, quo super eam portam aqua in Vrbem fluebat. Iuvenalis sat. III: *Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam*.

Phrygiaeque Matris Almo qua lavat ferrum,
Horatiorum qua viret sacer campus,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum,
Faustine, plena Bassus ibat in rheda,
Omnes beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice nobili caules,
Et utrumque porrum, sessilesque lactucas,

2. *Phrygiaeque Matris, etc.* Ordo est: qua fluvius Almo lavat ferrum Phrygiae Matris. Ed. P. — *Phrygiaeque.* Cybele deorum mater ex Phrygia Romam fuerat advecta, unde Phrygia Mater dicitur. Almo, fluvius territorii Romani, in Tyberim defluit, hodie *Dachia.* Per Appiam viam elabebatur qui a porta *Capena* incipiebat. In eo Cybeles *ferrum*, id est, cultros ad hostias mactandas utiles lavabant Galli sacerdotes, imo et ipsum Cybeles simulacrum. Ovid. Fast. IV: *Illic purpurea canus cum veste sacerdos Almonis dominam sacraque lavit aquis.*

3. *Horatiorum.* Nempe extra portam Capenam erat sepulcrum Horatiorum, et campus ubi cum Curatiis pugnaverant. Ed. P. — *Sacer.* Agros sepulcris addictos religiosos esse, et *res nullius* fieri diximus, lib. I, epigr. 115 et 117. Ed. P.

4. *Et qua pusillum* Ant. *de Rooy,* ut *pusillum* ad *fanum* referatur. Siquidem in regione I Vrbis, ubi et porta Capena, aedicula tantum Herculis locatur. Itaque *pusillum* dicit, ut distinguat ab aede Herculis Custodis Circi Flaminii, quae erat in regione IX, et a templo Herculis in regione XIV. — *Pusilli.* Pusillum appellat Herculem, ad assentationem Domitiani, qui se maiorem Herculem praedicabat, ut patet ex lib. Spect. epigr. 16; et lib. IX, epigr. 65, 66 et 102. Hic tamen sensus non Gronovio placet qui quidem sic alterum proponit: In Aurelii Victoris Regionibus Vrbis sub porta Capena reperio *Aediculam Herculis*, quae est illa ipsa hic commemorata Martiali. Si ergo nolumus *Herculem puerum* Romanis fuisse cultum, ut *Iovem puerum*, tutissimum est decurrere ad hypallagen, et *pusilli Herculis fanum* explicare, pusillum Herculis fanum, sive aediculam. Sic lib. VII, epigr. 68, *magni senis Atticus hortus*, pro *Attici.* — *Fervet.* Vel ob aestum et calorem solis, vel potius ob frequentiam eorum qui id fanum salutabant, per viam Appiam commeantes.

5. *Plena Bassus, etc.* Non ut *Mathonis lectica.* Iuvenalis Sat. I. *Plena ipso*, sed ruris honoribus quos ex urbe in rus suum, non rus, portabat.

6. *Omnes beati.* Faceta irrisio, quum ab urbe in rus ruris traheret copias. Sic lib. X, epigr. 58: *Dura suburbani dum iugera pascimus agri;* et epigr. 96: *Pascitur hic, ibi pascit ager.*

7. *Illic videres, etc.* In rheda Bassi, velut altero copiae cornu. — *Frutice.* Caudice, stolone.

8. *Vtrumque porrum.* Sectivum intellige et capitatum. Lib. XIII, epigr. 17 et 18. — *Sessilesque lactucas.* Lactucarum genus quoddam sessile dicitur, seu laconicum. Plinius, lib. XIX, cap. 8, tria genera lactucarum

Pigroque ventri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus gravem turdis,
Leporemque laesum Gallici canis dente,
Nondumque victa lacteum faba porcum.
Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta foeno cursor ova portabat.
Romam petebat Bassus? immo rus ibat.

esse dicit: unum laticaulis; alterum rotundi; tertium sessile, seu laconieum, quod et capitatum appellant.

9. *Pigroque ventri.* Quem solvunt betae.

10. *Coronam.* Vimen in orbem nexum, ex quo pendebant turdi. Ovid. lib. I Art. Amat. v. 269: *Quin etiam turdoque licet, missaque corona, Te memorem dominae testificere tuae.* Videndum lib. XIII, epigr. 51.

11. *Gallici canis dente.* Velocissimi nimirum, utpote lupino satu editi. Vide Plinium lib. VIII, cap. 11, et qui scripserunt Cynegetica, Nemesianum, Gratianum, etc.

12. *Nondumque victa.* Hoc est, porcellum *lacteum*, qui *fabas* frangere nondum posset, et dente tenero *vincere*.

13. *Nec feriatus.* Nec famulus vacuus et sine onere currebat ante rhedam, sed ova portabat foeno munita, ne collisa contererentur.

15. Heraldus legit interrogatorie: *Romam petebat Bassus? — Romam, etc.* Quis non arbitraretur Bassum e villa in Vrbem venire, his onustum rebus? Atqui ibat in villam, amoenam forte, sed ita inopem, ut in eam omnia essent inferenda, quae in urbem ex illa deferri debuissent.

48. — DE OLLO.

Pauperis exstruxit cellam, sed vendidit Ollus

1. *Exstruxit cellam* Lipsio teste in Senecae epist. 18, divites exstruebant conclavia quaedam angusta quae *Diaetam* vel *pauperis cellam* vocabant, contiguam scilicet aut in viciniis suarum aedium, in quam fastidiosi miseros, tribules, et advenas pauperes, amicosque minorum gentium recipiebant; ne intra aedes admitterent. Vide lib. VIII, epigr. 14. Quum vero Ollus esset dives, ex more reliquorum divitum construxerat cellam pauperis; sed bonis abliguritis, et praedio divendito, unam sibi cellam reliquam fecit, quae tunc pauperis cella verius quam olim dici posset. — Haec vellem leviter mutato sensu intelligere: nam *pauperis cellam* ab Ollo exstruetam, *praedio*, quod coactus est vendere propter inopiam, connexam esse, non absurdum est putare: ideo et cellam pauperis simul vendidit, neque in ea potuit habitare; nisi pactis quibusdam conditionibus, de quibus Martialis tacet et nos tacemus. Verum egenus factus sibi emit vili pretio, vel potius conduxit, sive in Vrbe, sive rure

Praedia: nunc cellam, pauperis Ollus habet.

exiguam aliquam et miseram domum, quae iure et merito appellari potest pauperis cella potius quam prior, ad ostentationem liberalitatis accommodata. Prior sensus tamen nullo modo abiiciendus videtur. Ramires. etiam explicat: Ollus qui per μελωειν dicebat se pauperis cellam quandam exstruere, nunc quum in eadem cella factus pauper habitat, vere cellam pauperis habet. Ed. P. — Seneca, epist. 100, et 8 ubi Lipsius: *Desit sane varietas marmorum, et concisura aquarum cubiculis interfluentium, et pauperis cella, et quidquid aliud luxuria, non contenta decore simplici, miscet.* Idem Seneca divites hortatur ut similes habeant cellulas, ubi aliquando se recipiant ad tenuiorem victum, quasi praeexercitationem ad inopiam, si forte adveniat, facturi.

49. — IN INVITATOREM.

Veientana mihi misces, tu Massica potas:
Olfacere haec malo pocula, quam bibere.

Perstringit impudicum invitatorem, qui diversa vina ponebat, pretiosa sibi, meram fecem convivis: tantumque haec duo vina inter se distabant, ut dicat se malle invitatoris pocula olfacere, quam siccare sua. *Ramiresius.*

1. Codex Bodl. *tibi Massica ponis*, ut et conj. Ramiresius. Raderus legendum censet: *tu Massica potas.* — *Veientana mihi.* Vinum Veientanum vilissimum, lib. II, epigr. 53. Massicum vero optimum, lib. XIII, ep.

3. — *Misces.* Vinum etsi insipidum aqua misces: at tu Massicum merum potas. Ed. P.

2. *Olfacere.* Tua. — *Quam bibere.* Mea. Quum tamen in secundo versu non Poëta opposuerit *haec* olfacere, *ista* bibere, forsan verus sensus est: Malo olfacere vinum Veientanum quam bibere; quippe gratior odor quam gustus. — Raderus putat pocula esse myrrhina, quae bene olebant; quod subtilius videtur. Ed. P.

50. — IN LIGVRINVM.

Haec tibi, non alia, est ad coenam causa vocandi,
Versiculos recites ut, Ligurine, tuos.
Deposui soleas; affertur protinus ingens

Eumdem persequitur Martialis recitatorem alios suis carminibus persequentem, quem iam sup. epigr. 44 et 45. Ed. P.

3 *Deposui soleas.* Quum coenaturi essent Veteres, deponebant soleas, ne stragula lecti, in quo recumbebant, luto foedarentur. Has asservabant servuli a pedibus stantes. — *Soleas.* Gellius, lib. XIII, cap. 20:

Inter lactucas oxygarumque liber.
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur:
Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.
Et quartum recitas, et quintum denique librum.
Putidus est, toties si mihi ponis aprum.
Quod si non scombris scelerata poëmata donas;
Coenabis solus iam, Ligurine, domi.

»Omnia quibus plantarum calcea tantum infime teguntur, caetera prope nuda, et teretibus habenis iuncta sunt, soleas dixerunt.» *Ingens liber.* Qui ingens malum. Lib. I, epigr. 119.

4. *Lactucas.* Inchoabant Romani coenam a lactucis et helvellis quae ventrem cient et lubricant: contra maiorum morem qui iisdem eam finiebant. Lib. XIII, epigr. 14: *Claudere quae coenas lactuca solebat avorum, Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?* — *Oxygarum.* Condimenti genus ex garo et aceto confectum: est garum succus quidam seu muria e pisciculorum intestinis. Acetariis quoque coenam inchoabant, contra maiorum usum.

5. Alli *porrigitur.* — *Morantur.* A pigris ministris tarde afferuntur. Ed. P.

6. *Mensa secunda. Le second service*; vel potius, *le dessert*, quum bellaria et fructus apponuntur. Ed. P.

8. *Putidus est.* Aper (qui erat antiquis in deliciis), licet *animal ad convivia natum*, si toties mihi optimus apponeretur, quoties pessimus liber recitatur, mihi sorderet, puteretque. Ed. P.

9. Gruterus mallet legi *damnas.* Vid. sup. epigr. 2, v. 2. — *Scombris.* Versus mali scombris et aliis piscibus involvendis inserviebant. Vid. supr. epigr. 2. — *Scelerata.* Audientes lento enecantia supplicio. Ed. P.

10. *Domi.* Invitatori soli licebat recitare: domi itaque solus coena, ibique recita; foris te cavebimus.

51. — AD GALLAM.

Quum faciem laudo, quum miror crura manusque;
Dicere, Galla, soles: Nuda placebo magis.
Et semper vitas communia balnea nobis.
Numquid, Galla, times, ne tibi non placeam?

3. *Et semper vitas.* Ironixῶs carpit Gallam, quae formosa videri volabat, nec tamen unquam cum Poëta lavabat, ne corporis deformitas pateret. — *Communia balnea.* Qui mos, satis mirabilis, erat antiquis. Vid. lib. VII, epigr. 35, v. 5.

4. *Ne tibi non placeam.* Ne tibi videar parum vir. Vid. lib. I, epigramm. 24.

52. — AD TONGILIANVM, DE VTILI INCENDIO.

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis:
Abstulit hanc nimium casus in Vrbe frequens.
Collatum est decies. Rogo, non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

1. *Ducenis.* Sestertiis, vel ducentis millibus sestertium, sive viginti quinque millia. franc. nost. monetae.
2. *Casus in Vrbe frequens.* Frequentia fuisse Romae incendia patet ex Iuven. sat. III, et ex Nostro lib. V, epigr. 7.
3. *Collatum est decies.* Hoc est, tui amici et clientes tibi donarunt decies centena millia sestertium. Gallice: *Une souscription s'est ouverte.* Ed. P. — *Non potes.* Nempe ut ex incendio lucrum faceres. Eodem sensu Iuvenalis, sat. III: *Et merito iam Suspectus tanquam ipse suas incenderit aedes.*

53. — AD CHLOEN.

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibusque, cruribusque,
Et mammis, natibusque, clunibusque:
Et, ne singula persequi laborem,
Tota te poteram, Chloë, carere.

1. *Et vultu poteram.* Singula sua membra laudabat Chloë, ut amore Martialem accenderet; at vero illam sprevit Poëta affirmans singulis illis tam laudatis membris et ipsa tota carere posse. — *Poteram.* Pro *possem.* Ed. P.

54. — AD GALLAM.

Quum dare non possim, quod poscis, Galla, rogantem;
Multo simplicius, Galla, negare potes.

Detegit Gallae fallaciam quae ne poëtae petenti et sollicitanti daret, poscebat ea quae ipse praestare non poterat; hoc autem reapse negare erat, non simpliciter sed artificio quodam: simplicius ergo dicit Gallam potuisse negare. *Ramires.* Schrevel. sic: Quum a me noctem poscente, tu ultra quam possim praestare poscas vices, malim simpliciter mihi neges, quam cogas me impotem fateri.

1. Beverlandi MS. exhibet, *quod poscis, Galla, roganti.*

55. — IN GELLIAM.

Quod quacumque venis, Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa vitro:
Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.
Scis, puto, posse meum sic bene olere canem.

Gelliam nimium sibi placentem, quod exoticis odoribus delibuta quacumque incederet, monet canem quemlibet hoc artificio posse bene olere.

1. *Quod*, etc. Subauditur: *Nimium tibi places*, quod quacumque iter facis, tam suavem odorem spargis, ut videatur Cosmus myropola cum sua tota officina incedere; et e phialis vitreis effusa fluere aromata videantur. — *Cosmum*. Vnguentarium, cuius mentionem saepe facit Poëta; ut et lib 1, epigr. 88, v. 2.

2. *Excusso*. Succusso, vel fracto. — *Cinnama*, etc. Oleum Cinnami. Cinnamum enim et cinnamomum idem asserunt nonnulli. Plinius, lib. XV, cap. 7. Cinnamum, seu cinnamomum frutex odoratus ex Asia devehebatur; eo condiebatur aqua odoris suavissimi.

3. *Peregrinis*. Odoribus alienis, et longe petitis. Sunt tibi dotes animi et corporis, virtus, pulchritudo, etc. ut non egeas ad tibi satisfaciendum auxiliis aliunde conquisitis, et quae omnes homines, vel etiam canis meus, in suum usum convertere possunt. En. P. — *Nugis*. Nugas appellat unguenta, quemadmodum omnia, quibus sine incommodo carere possumus: sic versus *nugas* vocat saepe. *Ramires*.

4. *Sic bene olere*. Vid. lib. II, epigramm. 12.

56. — DE CISTERNA RAVENNATE.

Sit cisterna mihi, quam vinea, malo Ravennae:
Quum possim multo vendere pluris aquam.

Ravenna, alias Aemiliae, nunc Romandiolae caput, oppidum est Italiae maritimum in intimo sinu Adriatico. Quae quum in mediis paludibus aquoso nimium solo sita sit, mira est in ea siccitas potabilium aquarum; quia quum maris aestus augescente luna eam urbem alluat, tum salsedine sua, tum uligine soli et coeno vitiantur omnino aquae; ita ut *sitiant vivi, natent sepulti*. Sidon. Apollin lib. I, epigr. 5 et 8; idem usus est alia antithesi carmine nono: *Vndosae petiit sitim Ravennae*. In eadem vero magna vini copia, atque adeo illic pluris aqua, quam vinum vendebatur.

1. *Cisterna*. Locus est, ait Festus, ubi aqua pluvialis collecta servatur, a *cis* et *terra* dictus: quia cis terram, hoc est, infra terram non habet perpetuam undam, nec vivam aquam.

57. — DE CAVPONE.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennae:
Quum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Patet hoc epigramma ex praecedente; quum enim aqua Ravennae carior esset vino, dilutum aqua vinum carius erat mero.

1. *Imposuit*. Me decepit: gallice, *Il m'en imposa*. Hodie multi cuperent ita decipi, sed nemo est qui decipiat. Schrev.

58. — DE VILLA FAVSTINI, AD BASSVM.

Baiana nostri villa, Basse, Faustini,
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonsilique buxeto
Ingrata lati spatia detinet campi:
Sed rure vero barbaroque laetatur.

Studiosior utilitatis quam elegantiae, Faustinus villam emerat opum rusticarum copia luxuriose abundantem: nec delicatum illum imitatus erat Bassum, qui, villae compos voluptatibus sterilibus affluentis, res rusticas non ex rure suo in urbem, sed in suum rus ex urbe deportare cogebatur (supr. epigr. 47). Laudat igitur copiose Faustini suburbanum Noster, et Bassi suburbano anteponit hoc epigrammate, ad Bassum ipsum misso. Ed. P.

1. *Baiana*, *etc*. Ordo est: Basse, villa Baiana nostri Faustini, non detinet ingrata spatia lati campi ordinata otiosis myrtetis, viduaque platano, tonsilique buxeto; sed, etc. Ed. P. — *Baiana*. Prope Baias sita.

2. *Otiosis*. Sterilibus, si cum frugiferis conferantur; quamvis baccae myrtorum in medicinis utiles sint. — Vel intellige *otiosis* quae umbram hominibus otio abundantibus praebent. — *Ordinata*. Id est, spatiis consita myrtis in quincuncem, vel alias figuras ordinatis. Ed. P.

3. *Viduaque platano*. Vidua dicitur platanus, quia vitibus non maritata ut ulmus vel populus, caelebs est, vel quia, ut foemina vidua, non parit fructus. Plin. sec. lib. V, epist. 6. Ed. P. — *Tonsili*. Buxi enim, ut nunc, in varias animalium et aliarum rerum formas tondebantur. Plin. lib. XII, cap. 2, hanc artem primum Cn. Manlium equitem Romanum invenisse testatur. — *Buxeto*. Vt *myrtetum*, locus consitus myrtis; sic *buxetum*, locus frequens buxis.

4. *Ingrata lati*, *etc*. Nihil fructus aut proventus domino reddentia, more ingratorum hominum. — *Detinet*. Inutiliter occupat. Ed. P.

5. *Vero*. Rus verum illud est quod ad fructus percipiendos colitur; hortenses enim delicias in villam transponere rus mentiri, ut ita dicam, est. Ed. P. — *Barbaroque*. Non ad ordinem rectamque proportionem exa-

Hic farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat testa senibus autumnis.
Hic post Novembres, imminente iam bruma,
Seras putator horridus refert uvas.
Truces in alta valle mugiunt tauri,
Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba sordidae cortis,
Argutus anser, gemmeique pavones,
Nomenque debet quae rubentibus pennis,
Et picta perdix, Numidicaeque guttatae,

cto, sed arboribus fecundo, prout natura ferat, passim crescentibus, et quidem frugiferis; ut placet homini non delicato, sed barbaro qui utilitatem elegantiae praeponit. Ed. P.

6. *Hic, etc.* In hac villa in omnibus horreorum angulis stipatum invenies frumentum, *ex villae ipsius agro recollectum*, et fragrat vinum vetus iam ex multis autumnis in testis servatum, *et ex villae vineis recollectum*. Ed. P. — *Farta*. In acervos stipata. Ed. P. — *Ceres*. Cerea, frumenti dea, pro frumento ipso ponitur. Ed. P.

7. *Testa*. Quodvis vas fictile significat, proprie hoc loco vas vinarium. — *Fragrat senibus autumnis*. Id est, fragrat vino iam ex multis autumnis senescente; sic *autumnos* vocat fructus autumnales; et eos vocat senes, ut testam vocavit anum, lib. I, epigr. 106, v. 4.

9. *Seras*. Vvas intellige duracinas quae in vitibus asservabantur usque ad putationem vitium; quas ergo in palmitibus relictas potator, post Novembres referebat; quod erat tempus putationis. Ed. P. — *Putator*. Vinitor, qui putat falce vitem luxuriantem. — *Horridus*. Pannosus, frigens.

11. Pulmannus *prurit ad pugnam*. — *Inermi fronte*. Sine cornibus. Idem de haedo dicit Horat. III, od. 13: *Cui frons turgida cornibus Primis et Venerem et praelia destinat Frustra.*

12. *Turba sordidae cortis*. Gallinae, anserea, caeteraeque cicures volucres quas infra enumerat, quasque appellat, lib. VII, epigr. 31, vs. 1, *Rauconae cortis aves*.

13. *Argutus*. Quia semper strepit, gratitat, et clangit stridula voce et alarum motu. Hoc epitheton ab ansere ad cygnum translulit Virgilius, eclog. IX: *Argutos interstrepere anser olores*. — *Gemmeique pavones*. Pavonum cauda gemmis varii coloris ornata videtur.

14. *Nomenque debet*. Phoenicopterum intellige, sic dictum ab alis rubris (φοίνιξ, purpura; πτερόν, ala). Lib. XIII, epigr. 71: *Dat mihi penna rubens nomen*.

15. *Picta*. Ob pennas maculosas et varias. — *Numidicaeque guttatae*. Hoc est, gallinae Africanae, quarum plumae versicoloribus maculis, veluti guttis distinctae. Numidia est pars Africae, unde illae deportabantur.

Et impiorum phasiana Colchorum.
Rhodias superbi feminas premunt galli;
Sonantque turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.
Avidi sequuntur villicae sinum porci;
Matremque plenam mollis agnus exspectat.
Cingunt serenum lactei focum vernae,
Et larga festos lucet ad Lares sylva.
Non segnis albo pallet otio caupo:

16. *Phasiana.* Avis nota, sic dicta a Phasi, Colchidis fluvio. — *Impiorum Colchorum.* Qui male audiunt propter parricidia, impietatem et veneficia Medææ, Aeetae, regis Colchorum, filiae. Est in Asia, ad Pontum Euxinum, nunc *la Mingrélie.*

17. *Rhodias feminas.* Gallinas Rhodias habebant in pretio Romani.

18. *Turres.* Columbaria in turribus; namque suprema tectorum amant aves. — *Plausibus.* Alarum plaudentium clangore.

19. *Palumbus.* Columba silvestris. — *Cereus.* Obesus, pinguis; nam expallidus apparet ille color, cerae colorem referens. Quum autem is color nisi in turture plumis exuto et ad coenam parato videatur, nunc autem de gemente et vivo mentio fiat, putat Musambertius ex plumarum colore epitheton quaesivisse Martialem, ut supra quaesivit vs. 13, 14 et 15; et dorsum turturis rufo superinspersum in superficie pennarum, ait cereum colorem referre. Ed. P.

20. *Villicae sinum.* Hordeum, siliquas, glandes, vel alium pastum in sinu vestis suae ferentis: quod sentiunt porci. — Legunt alii *sonum:* sueuli enim villicae vocem ens ad pastum vocantis agnoscunt et sequuntur.

21. *Plenam.* Lacte distenta ubera gerentem. — *Exspectat.* Domi seclusus a matre pastum profecta.

22. Calderinus legit *lutei*, i. e. sordidi infantes. Vide lib. I, ep. 50. Codex Farnabii habet: *Cinguntque circum lutei focum vernae.* — *Serenum.* Igne claro collucentem. — *Lactei.* Pulchro colore candidi; lauta pinguedine renidentes. Sic Horat. Epod. *Positosque vernas, ditis examen domus, Circum renidentes Lares.* Ed. P. — *Vernae.* Pueri servorum, in domo nati. Ed. P.

23. *Larga festos, etc.* Luculentus est focus, lignis e vicina silva descendentibus, ut ipse ait lib. I, epigramm. 50, vs. 27. — *Festos.* Laetos et nitentes, ollis et cacabis quasi coronatos. — *Ad Lares.* Ad focum circa quem erant Larium simulacra, quibus erat sacer focus. Sic Horatius: *Sacrum vetustis exstruat lignis focum.*

24. *Albo pallet otio.* Otiosi flaccido luteoque pallent colore. — *Caupo.* Caupo servus erat qui domini vinum, in urbe commorantis, vendebat, institoresque habebat qui vinum vel per theatra vel per vicos ferebant

Nec perdit oleum lubricus palaestrita:
Sed tendit avidis rete subdolum turdis;
Tremulave captum linea trahit piscem,
Aut impeditam cassibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus urbanos,
Et paedagogo non iubente, lascivi

vseuum. Rure autem cauponas quaestus causa coustituebant domini, quibus praefectus hic servus, *caupo* nominatus, obsonia, hospitium, vinumque e villa collectum viatoribus pretio venderet. Quum autem istae cauponae non aden frequentarentur, eaupo villae Faustiui fuisset otiosus, nisi aucupio, venstui, etc. operam dedisset.

25. *Nec perdit oleum lubricus palaestrita*. Palaestrita servus erat qui in palaestra oleum, pulverem et ceroma luctaturis suppeditabat, ipseque aliqusndo luctabatur: quum autem esset amplissima villa et familia Faustini, erat in illa palaestra, in hae palaestrita. Sed ille non ut in publicis palaestris totum diem occupari debebat in eo ministerio; ne igitur otiosus langueret, iisdem exercitationibus quibus caupo occupabatur Vid. inf. epigr. 82, v. 20. — *Perdit oleum.* Ludit in verbo Martialis: *perdere* enim *oleum* est tempus perdere; non igitur *tempus perdit* palaestrita, qui vulgo in ungendis luctatoribus *oleum perdit.* En. P. — *Lubricus.* Luctaturi se ceromate ex oleo, eera et pulvere Aegyptio seu Puteolano, ungebant, quo membris flexibilioribus valerent, difficiliusque ab adversario prensari aut deiici possent. Hinc vocem illam explica *lubricus.* — *Palaestrita.* Est palaestra locus in gymnasio, palae seu luctae destinatus.

26. *Avidis turdis.* Sie Horatius: *Aut amite levi rara tendit retia Turdis edacibus dolos.* — *Turdis.* Gallice, *grives.*

27. *Tremulave, etc.* Sic venatui et piscatui operam dantes caupo et palaestrita non inutiles terunt horas En. P.

29. *Exercet hilares facilis hortus urbanos.* In hoc versu, et praecedentibus, et sequentibus, vult significare Noster domum Faustini adeo esse coustitutam ut omnes quibus constat eius familia, quin etiam et hospites, aliquid habeant quod faciant, et laborem ament. En. P. — Ergo si nostram lectionem in hoc versu retinemus, intelligemus eives qui rusticandi eausa in villam conveniunt, suaviter in horto exerceri, cursitare, forsan et terram colere per volnptatem. — Alii legunt *ancillas*, quia prae caeteris operibus quae dura, facilia sunt hortorum; itaque his idoneae ancillae. Ostendit enim poëta per enumerationem, omnibus qui de familia Faustini, esse, quo in villa eius occupentur; cauponi, palaestritae, ancillis, pueris, eunucho. Caupo vinum vendit palaestrita aves captat, etc. ancillae hortum colunt, etc. *Musamb.* Alii legunt *umbellas*, et sie exponunt: hortus nullo artificio exquisito compositus, sed paratu facilis eo fine consitus est, ut possit hilares umbras praebere recubantibus.

30. *Hudrian de Valois* ad Iuven. sat. IX, 130, legit: *non vidente la-*

Parere gaudent villico capillati;
Et delicatus opere fruitur eunuchus.
Nec venit inanis rusticus salutator:
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis: Sassinate de silva
Somniculosos ille porrigit glires;
Hic vagientem matris hispidae foetum;
Alius coactos non amare capones;
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.
Facto vocatur laetus opere vicinus,
Nec avara servat crastinas dapes mensa;

scivi Patere gaudent, etc. Video et *iubeo* saepe permutantur ut apud Propert. II, 26, 51. Valesii notae in Iuvenalem nuper Parisiis repertae sunt, et in lucem productae a viro doctissimo N. L. *Achaintre.* — *Et paedagogo non iub. etc.* Capillati pueri soli paedagogo parebant, in caeteros servos contumaces et procaces. Laudat igitur hanc villam Martialis tam bene moratam ut lascivi illi pueri, non cogente paedagogo laborem ipsi quaerant, et fruges colligendas, plantas irrigandas, pisces capiendos, etc. villico iubente, libenter suscipiant.

31. *Capillati.* Filiifamilias, vel pueri delicati comas alentes Lib. X, epigr. 62. Vsque ad pubertatem vulgo coma nutriebatur.

32. *Et delicatus, etc.* Et ipsi delicati seu in deliciis habiti spadones atque cubicularii, delectantur labore, omnium exemplo incitati.

33. *Nec venit inanis, etc.* Alii pro *nec* legunt *non.* Non portat nudum et inane *Ave*, ut clientes in Vrbe, sed affert munera quae sequuntur.

35. *Metamque lactis.* Intellige caseum in formam metae Circensis, quae oblonga est et e basi lata in acutum verticem desiuit, coagulatum. Vide lib I, epigr. 44, vs. 7. — *Sassinate de silva.* Baiis vicina, ut videtur. Legunt alii *Sarsinate.* Sarsina vero Vmbriae urbs, Plauti patria; sed longe distat a Baiis. Videat lector.

36. *Glires.* Gallice, *loirs.*

37. *Matris hispidae foetum.* Hoc est haedillum, qui vagitu suo matrem capellam abesse queritur.

38. *Coactos non amare.* Quia sunt castrati.

39. *Et dona matrum.* Agricolarum filiae a matribus suis afferunt munera. Legunt alii, *et ova matrum*, hoc est, gallinarum. Lib. VII, epigr. 30: *Raucae cortis aves, et ova matrum.* — *Vimineo texto.* Calathis, canistro, sportula.

41. *Facto opere.* Labore rustico absoluto. — *Vocatur.* Vid. lib. I, epigr. 50, vs. 29.

42. *Crastinas.* Crastino et sequenti die iterum apponendas, ut eadem fercula duas expleant coenas; quod in urbe fit.

Vescuntur omnes, ebrioque non novit
Satur minister invidere convivae.
At tu sub urbe possides famem mundam,
Et turre ab alta prospicis meras laurus,
Furem Priapo non timente securus.
Et vinitorem farre pascis urbano,
Pictamque portas otiosus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caseum, mustum.
Rus hoc vocari debet, an domus longe?

44. *Satur minister*. Quia saturatus est dapum reliquiis quae non servantur in crastinum, et a domino clementi largae potionis copiam obtinet, sic saturantur servi nec invident convivis, quod secus fit in urbe.

45. *At tu sub urbe, etc.* Iam alloquitur Bassum, eiusque villam deridet ab omnium rerum inopia, ut alteram a copia laudarat. — *Possides famem mundam*. Suburbanum munditiis hortensibus elegans, et ad famem levandam inutilibus, hinc sterile et ieiunum. Ed. P.

46. *Meras laurus*. Laurus solas, quibus nullae arbores fructuosae interseruntur.

47. *Priapo non timente*; hortorum custode, qui fures quidem non metuebat, quum illic nulli essent fructus. Nihil autem miserabilius rure in quo non timentur fures; beatum illud, in quo et domino et furi multa supersunt, ut de domo locuplete dixit Horatius lib. I, epist. 6, vs. 45: *Exilis domus est, ubi non et multa supersunt, Et dominum fallunt, et prosunt furibus.*

48. *Et vinitorem, etc.* Quum sterilis villa non alat villicum suum. — *Vrbano*. Hoc versu et sequentibus breviter perstringit, quae latius de Basso villam petente dixerat supr. epigr. 47.

49. *Pictam*. Visu amoenam, sed oculos tantum pascentem, nec magis saturam, quam quae in picta tabula exprimitur. Alludit forte ad illud Cynici, qui servo esurienti pictas ostendebat dapes, quae oculos pascerent, non ventrem. — *Otiosus*. Omnis autem familia diverse erat occupata in villa; vid. supr. v. 24 ad 32. Ed. P. — Vel intellige *otiosum* ex urbis curis, et laboribus solutum.

51. *Rus hoc vocari debet, an domus longe?* Villa tua, o Basse, an debet vocari praedium, an potius urbana domus, sed longe ab urbe posita; nihil ab urbanis domibus discrepans, nisi quod non in urbe sit? — *Domus longe*. Hellenismus: ὁ πόῤῥω οἶκος; sic Propertius, lib. I, eleg. 20: *Egressam longe Phasidos esse viam.*

59. — DE SVTORE ET FVLLONE MVNERARIIS.

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinae: nunc ubi caupo dabit?

Indignatur Poëta, quod vilissimi etiam homines edant munera gladiatoria, quum id olim nonnisi clarioribus viris liceret. Est enim apud Tacitum, lib. IV Annal. senatusconsultum, quo cavetur, ne quis gladiatorium munus edat, cui minus quadringentorum millium res sit. Vid. quae adnotavimus epigramm. 16 supr.

1. *Sutor cerdo.* Hoc enim auget indignitatem; non quivis sutor dat munera, sed sutor cerdo, hoc est sutorum postremissimus. Sutor enim et cerdo hoc differunt quod sutor faciat calceos: cerdo reficiat veteres, unde hic veteramentarius etiam appellatur. — *Culta.* Culta moribus, literis et hominum frequentia. — *Munus.* Ludum gladiatorium; unde munerarii, editores munerum.

2. *Fullo.* Qui lavat vestes, tingit, purgat, etc. — *Vbi caupo dabit?* An etiam dabit Romae, ne quid ad ignominiam nostram desit?

60. — IN PONTICVM.

Quum vocor ad coenam, non iam venalis, ut ante,
Cur mihi non eadem, quae tibi, coena datur?
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
Sugitur inciso mytilus ore mihi.
Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos.

Sportularum morem antiquatum, et coenarum rectarum usum revocatum fuisse a Domitiano vidimus ep. 7 et 24 supr. Imperatoris autem edicto fraus fiebat, nec in recta coena recte coenabatur, quum potentiores sibi optimos, clientibus vilissimos apponi iuberent cibos; sicque minus forte in coena, quam prius in sportula, impenderent. Quam quidem superbi regis avaram inhumanitatem increpat Martialis hoc epigrammate, et sup. lib. I, epigr. 21, et infr. lib. lib. VI, epigr. 11, etc. Ed. P.

1. *Non iam venalis.* Non iam misellam quasi mendicans sportulam. Ed. P. — *Vt ante.* Ex edicto Neronis nunc abrogato. Ed. P.

3. *Stagno saturata.* Ostreis optimi saporis abundabat lacus Lucrinus in Campania, hodie *Lago Licola* vel *Mare morto.*

4. *Sugitur inciso mytilus, etc.* Mytilus est vilis pisciculus testa inclusus, *une moule*; qui non dentibus vel cultro avellendus, sed cum testa sugendus est, qua, dura scilicet et inaequali, labra sugentis scindi possunt. Ed. P.

5. Alii legunt: *fungos ego sumo pusillos*; et sic in Beverlandi MS. — *Suillos.* Qui suibus immundis coma-

Res tibi cum rhombo est : at mihi cum sparulo.
Cereus immodicis turtur te clunibus implet :
Ponitur in cavea mortua pica mihi.
Cur sine te coeno, quum tecum, Pontice, coenem?
Sportula quod non est, prosit : edamus idem.

dendi relinquuntur; hoc per contemptum dictum a Martiale. Tria genera fungorum, boleti, suilli vel porcini, et amanitae.

6. *Rhombo*. Gallice, *turbot*. — *Sparulo*. Vili pisciculo, qui fortasse nomen habet a sparo, telo quodam agresti, cuius formam imitatur. Rhombus et sparulus uterque e genere passeris marini, sed hic multo vilior.

7. *Aureus*. Seu legatur *aureus*, seu legatur *cereus*, utraque vox significat colorem pallidulum e pinguedine ductum. Ed. P. — *Immodicis*. Obesis.

8. *In cavea mortua*. Non in mensam occisa, sed per morbum aut senectutem in cavea mortua, quo vilioris est saporis vilis per se avis. Ed. P. — *Cavea*. Cavea hic significat septum in quo aves et bestiae includuntur: alias, locus est ubi populus sedens ludos spectabat.

9. *Cur sine te, etc.* Tecum, quia coena nobis et mensa eadem: non tecum, quia tu meliora, ego deteriora coenem.

10. *Sportula quae non est* Beverlandi MS. *Sportula quod non sit* conj. Ramiresius. — *Prosit*. Voluit Domitianus sublata sportula, miseris clientibus favere; coena sit ergo recta, nec sportula peior. Ed. P.

61. — IN CINNAM.

Esse nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna :
Si nil Cinna petis; nil tibi, Cinna, nego.

1. *Esse nihil*. Rem nullius aut exigui momenti. Sic enim extenuabat quod petebat importunus flagitator Cinna.

2. *Nil tibi*. Nil petis; tibi do quod petis, id est nihil; ergo ne irascaris. *Nihil* ibi ambigue dictum: nihil relate, seu rem levem, (gallice, *un rien*), petebat Cinna; at absolute intelligit *nihil* poëta, nec quidquam dat aut negat. Ed. P.

62. — IN QVINTVM.

Centenis quod emis pueros, et saepe ducenis :

Est epigramma in Quintum quemdam, qui suam laudem et quasi veram animi magnitudinem in lusu explicando, et emendis rebus opinione vulgi pretiosis ponebat: hoc autem ait Martialis non esse magni animi, qui a se ipso tantum pendet et in se sita omnia existimat, sed contra pu-

Quod sub rege Numa condita vina bibis:
Quod constat decies tibi non spatiosa supellex:
Libra quod argenti millia quinque rapit:
Aurea quod fundi pretio carruca paratur:
Quod pluris mula est, quam domus empta tibi:
Haec animo credis magno te, Quinte, parare?
Falleris: haec animus, Quinte, pusillus emit.

silli, qui, suae exiguitatis conscius, externis sese augere tentat praesidiis, ita ut divitias non in liberalitatem utilem, sed in nugas steriles effundat. Ed. P.

1. *Centenis*. Millibus centenis sestertium, nostrae monetae decem millibus francorum. Ed. P.

2. *Sub rege Numa*. Hyperbolice: vina vetustissima, ideoque rara et pretiosa.

3. *Decies*. Decies centenis millibus sestertium, nostrae monetae 125 millibus francorum. Ed. P. — *Non spatiosa supellex*. Non multiplicibus, sed pretiosis rebus conspicua; non multum occupans loci, sed ita affabre laborata et caelata, ut de ea dici possit, ut apud Ovidium de regia solis: *Materiam superabat opus*.

4. *Libra quod argenti, etc.* Consequentia versus praecedentis. Argentea vasa possides tanto confecta artificio, ut labor (gallice, *la main-d'œuvre*) pluris quam pondus constet; omnia enim ex raritate et pretio, non ex utilitate aestimabat Quintus. Ed. P. — *Rapit*. Metaphora sumpta fortasse ex trutinae lancibus quorum altera alteram rapit pondere minori leviorem; hic autem levior libra argenti; sed gravior videtur propter operis artificium. Ed. P.

5. *Aurea quod*, etc. Intellige currum non ex auro solido factum, sed ex ligno, aptatis aureis bracteis; qui quidem maiori pretio quam fundus emitur.

6. *Quod pluris mula, etc.* Idem sensus quam versu praecedenti. Mulabus autem vehi Romanos solitos esse patet ex lib. IX, epigr. 23, v. 13. Iuvenal. Sat. VII: *Mundae nitet ungula mulae*.

7. *Haec animo*. Qui tantas impensas facit in rebus tam pusillis, non magno, sed pusillo est animo: habendus autem magnanimus ille, qui pecuniam pauperibus amicis largitur, etc.

63. — IN COTILVM.

Cotile, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.
Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo?

A Cotilo, homine bello, quid sit *bellus homo* postulat Noster; eumque ita fingit respondentem, ut non videatur antiquum illud epigramma; nam quod fuit bellus homo Romae, hoc est bellus homo Lutetiae. Ed. P.

Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines;
Balsama qui semper, cinnama semper olet;
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat;
Qui movit in varios brachia vulsa modos;
Inter femineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat;
Qui legit hinc illinc missas, scribitque tabellas;
Pallia vicini qui refugit cubiti;

3. *Bellus homo est, etc.* Hic versus et novem sequentes sunt ex persona Cotili, Martiali quasi respondentis. Ed. P. — *Flexos qui digerit ordine crines.* Capilli vel arte flectuntur et calamistro crispantur; vel contra, ingenio suo flexi, nulla arte adhibita tales sunt. Petronius: *Crines ingenio suo flexi per totos se humeros effuderant.* Elegantium autem leviculorumque hominum comam fuisse in cirros ordinatam patet ex lib. II, epigr. 36, v. 1, et lib. X, epigr. 65, vs. 6. Ed. P.

4. *Balsama qui, etc.* Mollium est unguentis alienis semper bene olere. — *Balsama.* Balsamum est arbuscula unde per incisionem extrahitur liquor odorifer, qui balsamum quoque vocatur. Ed. P. — *Cinnama.* Cinnamum, seu cinnamomum, (nam idem esse asserunt nonnulli), est frutex odoratus qui ex Asia devehebatur; quo condiebatur aqua suavissimi odoris. Vid. supr. epigr. 55, vs. 2.

5. *Cantica qui Nili, etc.* Aegyptiorum, maxime Alexandrinorum summa mollities, petulantia, et procacitas in factis dictisque, ut etiam canticis lascivis. De Canopo vide Iuven. sat. I, v. 26; sat. VI, vs. 85. — *Nili.* Nilus fluvius Aegypti, quem usurpat pro Aegypto. — *Gaditana.* Gaditani populi Hispaniae (hodie *Cadix*), obscoenis choreis impudicisque saltationibus ac carminibus dediti. Vid. lib. I, ep. 42, v. 12, et 62, v. 9; et Iuvenal. sat. II, vs. 162. — *Susurrat.* Gallice, *fredonne*; quod est hominum delicatorum. Ed. P.

6. *Qui movet, etc.* Ad leges et modos Chironomiae saltabant, ut hodie Hispani. Ovid. Art. I. *Si mollia brachia, salta.* — *Vulsa.* Depilata enim et rasa brachia, mollium sunt; ut et crura et pectus.

7. *Cathedras.* Intellige sellas in quibus feminae sedentes inter se colloquebantur; hic autem bellus homo variis fabulis toto die eas detinebat.

8. *In aure sonat.* Insusurrat, garrit; quod est hominis intimae cum feminis consuetudinis. Vel intellige rumusculorum aucupem vel architectum (gallice *nouvelliste*), semper aliquid novi habentem quod in aures credulas inserat. Prior sensus potior est. Vid. lib. I, epigr. 90. Ed. P.

9. In quibusdam libris: *recipitque tabellas.* — *Tabellas;* amatorias nempe. Vid. lib. XI, epigr. 65.

10. *Pallia vicini.* Ut manum timebat Priscus (lib. II, epigr. 41, v. 10), sic delicatus quisque in convivio accumbens ne a vicino tangeretur, magno scilicet periculo plicarum

Qui scit, quam quis amet; qui per convivia currit;
Hirpini veteres qui bene novit avos.
Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
Res praetricosa est, Cotile, bellus homo.

vestie artificio elegauti concinnatae. Ed. P. — *Pallia.* Vestes coenatoriae, ut syntheses.

11. *Qui scit, quam quis amet.* Curiosus ardelio qui narrare ea gaudet quae Gelli appellant *la chronique scandaleuse.* Vid. Iuven. sat. VI, v. 405.

12. *Hirpini veteres.* Hirpinus equus nobilis multas in circo palmas retulerat, cuius meminit Iuvenalis sat. VIII, vs. 61. Bellus itaque homo amat circum, et equos victores; stemmaque studiose recenset, et proavos equi Hirpini usque eb Aquilone avo. Vid. Lips. cent. unic. epist. 26.

13. *Quid narras, etc.* Decastiehon praecedens fuit e persona Cotili; distichon quod sequitur est Poëtae, ut et primum. — *Quid narras.* Belli hominis definitionem miratur Poëta.

14. *Res petricosa* in ed. entiq. Ferrar. enn. 1471; Ald. ann. 1501; Iunt. 1512; Colin. 1528; Ald. 1550; Gryph. etc. *pertricosa* in quibusdam aliis. — *Res praetricosa est.* Sive *pertricosa*, sive *praetricosa* legamus, utramque vocem e *Tricae* venire non dubitabimus; quid sunt autem *tricae?* Si hanc vocem eo sensu intelligimus quem iam lib. I, epigr. 114, vs. 2, explicavimus, tum dicemus, bellum hominem esse rem minutissimem, ut minutissima erant oppide *Tricae* Apinaeque. Sin autem *tricas* intelligimus fila quaedam et impedimenta pullorum gallineceorum pedibus innescentia, dicemus hominem bellum esse omni nugarum genere impeditum et quasi involutum, ut pes pullorum tricis involvitur. Denique si legimus *petricosa*, metaphorice intelligemus nugis, quasi *petris* et *salebris* impedita, quod erit prope idem sensus. Ed. P. — Simplicius italice verterer: *è una cosa piena di suggezioni.* T.

64. — AD CASSIANVM, DE CANIO.

Sirenas hilarem navigantium poenam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,

Iocosi illius poëtae Canii vere Gaditani semperque ridentis sermones, faceto lepore delicatos, ait Noster leniorem vim habere quam Sirenum cantus, ad aures tormento dulci detinendas. Ed. P.

1. *Sirenas.* Sirenes, Acheloi et Calliopes filiae, nomine Leucosia, Ligia et Perthenope, erant monstre quaedam, mulierum superne formam referentia, et in pisces desinentia, quae in promontorio Luceniae babitantia, illectos suavitate cantus nautas in scopulos attrahabant, ettractosque devorabant. Ed. P. — *Hilarem navigantium poenam.* Elegantissimis entithetis ornatum est hoc gemmeum epigramma in quo est *hilaris poena*, *blanda mors*, *crudele gaudium.* Ramiresius.

2. *Blandas mortes.* Sopiti enim suavitate cantus nautae in mare a Sirenibus devolvebantur.

Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Cassiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

4. *Fallax Vlysses. Fallax* apud Martialem, *duplex* apud Horatium, πολύμητις apud Homerum vocatur dux ille dolosus Ed. P. — *Dicitur reliquisse.* Obturatis cera sociorum auribus, seque ad navis malum alligari iusso, Sirenas effugit Vlysses, Homer. Odyss. M; quas victas fuisse ita puduit, ut in mare sese praecipitaverint; sic enim fatum insserat. Ed. P.

6. *Si fabulantem, etc.* Suaviter ac nequiter garrientem; tam blanda suavisque est eius facundia liberior!

65. — AD DIADVMENVM PVERVM.

Quod spirat tenera malum mordente puella;
Quod de Corycio quae venit aura croco;
Vinea quod, primis floret quum cana racemis;
Gramina quod redolent, quae modo carpsit ovis;

Diadumeni pueri sui basiis (quae numerari non vult l. VI, epigr. 34), quidquid in rerum natura suavissimi est odoris, tam eleganter comparat, ut nihil in eo epigrammate, leporis antiqui dulcedine penitus delibuto, nihil sit forte desiderandum, nisi quod Noster in eo inscribendo misere erraverit. Si secum certantis Poëtae foecundam varietatem mirari volueris, lege lib. II, epigr. 8. Ed. P.

1. *Quod spirat tenera, etc* Ordo est: tua basia fragrant quod fragrat pomum, puella mordente, etc. Ed. P. — *Tenera malum mordente puella.* Dens iuvenilis puellarisque halitus olentia reddebat et gratiora amasiis poma; erat enim eo tempore puellis mos, ut poma suis amatoribus semirosa mitterent, et attritas etiam corollas, et huiusmodi nugas, ad eorum amorem captandum. Testis Lucianus in Toxare. *Ramiresius.* — *Malum.* Vid. infr. lib. XI, epigr. 8, v. 3. Ed. P.

2. *Quod de Corycio, etc.* Corycus mons est Ciliciae: Ciliciae autem nobilissimum esse crocum diximus lib. Spect. epigr. III, v. 8, et patet etiam ex lib. IX, epigr. 39, versu 5. Ed. P.

3. *Cana.* Quum emittit flores suaveolentes.

4. Multi codd. inquit Calderinus, habent *quae modo carpsit apis*, ut de thymo intelligatur; hoc etiam habent codd. Scriverii, et sic conj. Barthius, probante Gronov. Nonnulli exhibent, *quae modo carpsit avis*, ut de Phoenice possis intelligere, quae nidos construit ex cinnamomo et casia. Nostram lectionem testantur edd. vett. Vide Var. notas. — *Gramina quod redolent; quae modo carpsit ovis.* Hanc lectionem omnino reiicit Gronovius, vultque legi *carpsit apis*,

Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita,
Pallidus Eoo thure quod ignis olet;
Gleba quod, aestivo leviter quum spargitur imbre;
Quod madidis nardo sparsa corona comis;
Hoc tua, saeve puer Diadumene, basia fragrant.
Quid, si tota dares illa sine invidia?

dicens: Ego vero, quis dixerit gramina esse odoratiora a morsu ovis, nescio: sed de api dixit Quintilianus, decl. 13: *Non ex omnibus floribus carpunt utilia operi suo, sed in omnibus quaerunt. Praesens et quidem protinus illa redditur merces, quod omnibus, quibus insedere, odorem mellis inspirant, et brevi contactu vim sui relinquunt.* Legatur igitur *apis*, praesertim quum et MSS. sic habere complures testis Scriverius et Calderinus: et nobis etiam alicubi obvium fuerit. Ed. P.

5. *Messor Arabs.* In Arabia Felici messes bene olentium herbarum erant, exempli gratia, nardi; messor itaque fragrabat earum odoribus. Ed. P. — *Succina.* Succinum (gallice *ambre jaune*) succum arborum esse putabant antiqui, unde et nomen acceperat. Plinius Nat. Hist. l. XXXVII, cap. 3: *Quod arboris succum esse prisci credidere, ob id succinum appellantes.* Tacitus etiam in fine libri de moribus Germanorum fere idem, succinumque affirmat esse succum hoc argumento. *Quin terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata humore mox durescente materia cluduntur.* — Succinum quod in Saxonum et Prussiorum regione potissimum invenitur ad os Vistulae, in insula *Narwig*, ubi antiqui insulas nominaverant *Electridas*, inter fossilia annumeraverunt quidam eruditi; *Formey* et alii putant esse succum pinorum populorumque. Magno habebant in usu electrum Romani; Plinius testis est Neronis tempore pondus tredecim librarum unum Romae fuisse allatum. Ed. P. — *Trita.* Succinum manu tritum bene olet.

6. *Pallidus.* Colorem enim ignis rutilum, immissum thus in pallidum vertit. — *Eoo thure.* Id est, Sabaeo et orientali.

7. *Gleba quod, etc.* Terrae odor superat omnes narium delicias. Plin. lib. XVII, cap. 5, ait, divinum illum terrae halitum talem esse, ut ei nulla suavitas comparari queat. — *Aestivo.* Terra calore solis perusta, et imbre dulci refrigerata, gratum mittit odorem. Ed. P.

8. *Quod madidis*, etc. Sensus est: quod fragrat corona florea iam bene per se olens, imposita capiti unguentis delibuto. Ed. P. — *Quod madidis nardo.* In hoc variant lectiones; forsan melior est codicis Thuan. *madidas nardo passa corona comas;* id est, corona quae bibit odorem, quo fragrabat caput cui fuit imposita. Ed. Par. — At alii: *sparsa corona comas;* quod hellenismus est; tum τὸ *comas* sumitur pro ramusculis florum quibus constat corona. — *Nardo.* Crines nardo ungebantur, quod ex Arabia venit et partibus Orientalium.

10. *Tota.* Non dimidio labro, ut Posthumus illa, lib. II, epigr. 10, cuius basia aliter fragrabant. Ed. P.—

Sine invidia. Non parce nec reluctanter, graece ἀφθόνως: hellenismus; sic dicunt οὐδεὶς φθόνος pro, libenter. At contra hoc sibi placere dicit Martialis, lib. V, epigr. 45 et 83.

66. — IN M. ANTONIVM.

Par scelus admisit Phariis Antonius armis,
Abscidit vultus ensis uterque sacros.
Illud, laurigeros ageres quum laeta triumphos;
Hoc tibi, Roma, caput, quum loquereris, erat.

Est hoc epigramma eiusdem prope argumenti ac libri V, epigr. 69. Antonii triumviri, qui Ciceronem morti dedit, scelus confert cum scelere Pothini, qui veneraudum illud Pompeii caput amputavit; osteuditque causam esse peiorem Antonii, quod Pothinus id facinus domino Ptolemaeo praestitisset, cuius in gratiam hoc suasit, uude excusari potest; Antonius autem sibi soli, nulla relicta excusatione.

1. *Pharus.* Aegyptiis. Vid. quae adnotavimus lib. I, epigr. 89, v. 3. — *Pharus armis.* His verbis intellige Puthinum, sica nocenti utentem. Ed. P.

2. *Vultus.* Capita. — *Vterque.* Pothini et Antonii. — *Sacros.* Propter sacros magistratus qu a gesserant, vel propter gloriam, bene merita, res gestas, etc. ἱερὰς κεφαλάς; vocabant Graeci viros celeberrimos.

3. *Illud, etc.* Caput Romae bellantis Pompeius; caput Romae loquentis Cicero. Ed. P. — *Laurigeros ageres.* Dignum sane caput Pompeius, quod Romam in suscipienda belli cura, et in ciogenda laurea triumphali repraesentaret uoiversam. Ed. P. — *Triumphos.* Pompeius de tribus Orbis partibus triumphavit.

4. *Hoc tibi, etc.* Digna sane lingua Cicero, per quam nobiles sensus suos exprimeret nobilissima terrae civitas. Ed. P. — *Quum loquereris.* Val. Max. lib. V, cap. 3, vividis indignationis et eloquentiae coloribus pingit Ciceronis mortem, et nefandi facinoris ministrum exsecratur: *Cicero Cn. Popilium Laenatem, Picenae regionis, rogatu M. Coelii, non minore cura quam eloquentia defendit, eumque causa admodum dubia fluctuantem, salvum ad Penates suos remisit. Et hic Popilius postea, nec re nec verbo a Cicerone laesus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum atque iugulandum mitteretur: impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exsultans Caietam cucurrit, et virum, omitto quod amplissimae dignitatis, certe salutis eius auctorem, certe studio praestantis officii privatim sibi venerandum, iugulum praebere iussit; ac protinus caput romanae eloquentiae et pacis, clarissimam dextram per summum et securum otium amputavit, eaque sarcina, tamquam opimis spoliis alacer in Vrbem reversus est: neque ei scelestum comportanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam peroraverat. Invalidae ad hoc monstrum sigillandum literae: quoniam qui talem Ciceronis causam satis digne

Antoni tamen est peior, quam causa Pothini:
Hic facinus domino praestitit; ille sibi.

explorare possit, *alius Cicero non exstat*. Super hac nefaria caede vid. et declamatio Senecae.

6. *Hic facinus domino*. Pothinus in gratiam Caesaris regi Ptolemaeo suasit, ut Pompeium interfici iuberet; Ciceronem vero occidi iussit Antonius, ut animi sui crudelitatem expleret: ergo gravius est Antonii scelus, quam Pothini. — *Sibi*. In suam solius vindictam, in nullius gratiam.

67. — DE PIGRIS NAVTIS.

Cessatis, pueri, nihilque nostis,
Vatreno Eridanoque pigriores:

In pigros quosdam nautas est epigramma, quod Argonautas dicit se vocare proprio nomine, non quod strenuis illis heroibus qui Iasonem comitati sunt ad Phasin similes sint, sed a proprietate vocis sumpto ioco, quod ἀργός graece pigrum et desidiosum significet; dicitur enim quasi ἀεργός, id est sine opere. *Ramires*. — Nullum est huius poëtae epigramma cuius inconstantior sit lectio; multiplices inter criticorum emendationes quid nobis videatur verisimilius dicemus: iudicabit lector. Eo. P.

1. *Cessatis pueri*, *nihilque möstis Veientone asinoque*; haec est emendatio Lipsii, quam probat Turneb. et recipit Scriverius. Farnabius, si quid mutandum, adoptaret: *Cessatis pueri*, *et nihil movetis*. Ant. *de Rooy* malit: *Cessatis*, *pueri*, *nihilque motis*, etc. ut τὸ *motis* referatur ad fluvios, qui sequuntur, hoc sensu: Cessatis, pueri, et pigriores Vatreno Eridanoque nihil motis a vobis (acri scil. ut oportebat, remorum impulsione), tingitis lentos ad celeusma remos. *Pellere* in eadem re utitur idem Ovid. Pont. IV, 10, 33, et Tibull. II, 5, 34, ubi vide Brouck. — *Nihilque nostis*. Imperiti estis in arte navigandi, navigare non novistis; gallice, *Vous n'y connaissez rien*. Genus dicendi atticum est. — Haec est lectio quam adoptavimus; reiicimus *nihil möstis*, *nihil pistis*, quia dura et insolens est dicendi ratio, a gustu sicut et ab auribus absonans; *nihil movetis*, quia hoc tantum coniicitur a Farnabio, nec habet quo confirmetur, alioquin lectio non contemnenda; *nihilque motis*, quia repetitio foret inelegans sonans cum versu tertio et quarto. Eo. P.

2. *Vatreno Eridanoque pigriores*. Vt hunc versum intelligamus, meminerimus tum fuisse Martialem in Gallia Cisalpina, et fortasse per hos amnes navigasse, quibus per se ipsos lentis lentiores erant cymbae ductores. Vid. epigr. 4 et 4 sup. Eo P. — Nostram lectionem dedit Cl. Ph. Cluverius in opere elaboratissimo laudatissimoque *Italia antiqua*. Is infra Imolam (Forum Cornelii ubi tunc Noster), Vatrenum lentissime fluere asserit, ut et Padi alveum, quem

Quorum per vada tarda navigantes,
Lentos tingitis ad celeusma remos.
Iam prono Phaëthonte sudat Aethon,
Exarsitque dies, et hora lassos
Interiungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per undas
Tuta luditis otium carina.

Vatrenus auget, proprie vocatum Eridanum, in stagna se diffundere. Vide ipsum, lib. I, cap, 35, Vatrenum amnem Leander *Santerno* hodie vocat: Vatrenus et Vaternus promiscue dicit Ferrarius. Vid. Plin. lib. III, cap. 16. — Alii: *Vatreno rasinaque pigriores.* — Quae lectio tam probanda quam praecedens, quum Rasina sive Tesina, ut scribit Bernardinus Scardeonius, libro I Antiquitatum urbis Patavinae, sit amnis, ut Vatrenus, ex agro Foroiuliensi in Padum influens. Ed. P. — Alii: *veterno resinaque.* Veternus enim torpor est somni morbosi; sic veternosum appellant, quod pigerrimum est, et quasi veterno occupatum; itaque videtur Martialis per hyperbolen dicere, *pigritia ipsa pigriores.* Resina vero sua tenacitate et lentitudine pigerrima est, vel quod ipsa per arborum truncos lentissime fluat; vel quod detineat. *Ramiresius.* — Quum autem haec lectio adoptari nequeat nisi *Quorum* in tertio versu mutemus in *quorsum* quam emendationem a Ramiresio factam merito queritur Scriverius, hanc reiecimus lectionem. Ed. P. — Alii denique *Vaternoque Sapique pigriores*, quae lectio forsan tam probanda quam *Vatreno Eridanoque* et *Vatreno resinaque*, quum Sapis sit fluvius Aemiliae ex monte Apennino supra Sarsinam oriens, etc. Vid. Ferrar. Iudicet inter haec omnia lector. Ed. P.

3. *Quorum.* Sic super Vatreno vel Eridano navigare Martialem supponimus. Ed. P.

4. *Tingitis.* Hoc est vix aqua madefacitis; hanc lectionem praetulimus, et *figitis* reiecimus, quia pigrioris aliquid in *tingitis* quam in *figitis* inesse videtur; licet intelligant *figitis* interpretes *fixos tenetis, non movetis.* Ed. P. — *Celeusma.* Clamorem et hortationem nauticam, ad quosdam numeros factam, quo se invicem incitant nautae ad remum promovendum seu retrahendum (κέλευσμα, hortatio, incitatio). Vel a celeustis incitantur, hominibus penes quos imperium est in caeteros nautas, et qui praesunt naviculationi, remorumque actitationem cantico speciali in numerum moderantur.

5. *Prono. Phaethonte.* Sole scilic post meridiem iam inclinante. — *Aethon.* Unus e quatuor equis Solis cursum trahentibus.

7. *Interiungit equos* Et hora meridiana fessos calore iubet equos interiungi, id est abduci a curribus vel aratris, quietus vel pastus causa. Gallice, *dételer.*

9. *Tutae luditis otium carinae* legit Scriverius. *Tarde luditis* alii. Vide Gronovium in var. not. — *Tuta luditis, etc.* Quum festinare citra peri-

Non nautas puto vos, sed Argonautas.

culum ae tuto possetis, tarde et quasi caute inceditis; sie *otium luditis*, id est, *otiamini ludentes*: ludere otium dicitur ut *ludere operam*, pro *perdere*.

10. *Sed Argonautas*. Ludit in hoc verbo: Argonautae fuerunt heroës fortissimi Iason, Theseus, Hereules et alii; hi vero pueri erant Argonautae, hoc est, nautae inertes et desidiosi, composito nomine ab ἀργός, *piger*, et ναύτης, *nauta*.

68. — AD MATRONAM PVDICAM.

Huc est usque tibi scriptus, matrona, libellus.
  Cui sint scripta rogas interiora? Mihi.
Gymnasium, thermae, stadium est hac parte: recede.
  Exsuimur: nudos parce videre viros.
Hic iam deposito post vina rosasque pudore,
  Quid dicat, nescit saucia Terpsichore.
Schemate nec dubio, sed aperte nominat illam,
  Quam recipit sexto mense superba Venus:

Admonitionem continet ad pudicas matronas, ne sequentia legant epigrammata, quod praetextata sint, nec digna castis earum auribus. Sed suspicatur fore ut post hanc admonitionem, avidius quam praecedentia, matrona legat quae sequuntur, quod factum esse testatur infr. epigr. 86. *Ramires*.

2. Beverlandi MS. *inferiora*. — *Interiora*. Id est, subsequentia; ducta metaphora a domo, cuius interiores partes dicuntur, quae a primo limine sunt remotiores. Virg. Aen. lib. I: *At domus interior regali splendida luxu*, etc. Dicit autem Poëta huius libri epigrammata hucusque scripta esse matronis pudicis: quae vero subsequuntur lasciva prorsus, et castis auribus aliena.

3. *Gymnasium, thermae, etc.* Eamdem persequitur metaphoram: haec loca erant ubi nudi homines, gymnasium a γυμνάζεσθαι, *denudari*, dictum.

6. *Saucia*. Saucia Baccho, id est, ebria, lib. IV, epigr. 66, v. 12: *Incaluit quoties saucia vena mero*. Eo sensu usurpatur Iustino, lib. I, et II, atque Apuleio, Metam. lib. VII, et IX. — *Saucia Terpsichore*. Musam hanc nominavit, quia praeest choreis (unde nomen ei inditum) et lascivis voluptatibus, quibus deinceps indulgebit Poëta. Ed. P.

7. *Schemate nec dubio*. Non tectis et figuratis verbis, sed recta rerum appellatione, quod est latinae linguae, et potissimum linguae epigrammatum. Vid. epigr. lib. I. Ed. P. — *Illam*. Nomen quod subauditur vid. epigr. sequenti, v. 2.

8. *Quam recipit*. Priapum matronae Romae (ritu ab Aegyptiis ducto, qui Isidis iussu pudenda circumferebant in

Custodem medio statuit quam villicus horto;
  Opposita spectat quam proba virgo manu.
Si bene te novi; longum iam lassa libellum
  Ponebas: totum nunc studiosa leges.

cultum Osiridis, cui invento virilia defuerunt) VII kal. Augusti extra portam Collinam eum pompa ad Veneris fanum ferebant, inque Deae sinu ponebant. Vide et annot. poster. Baptistae Pii eap. 146. — *Sexto mense*. Mens sextilis sive Augustus sextus est a mense Martio a quo annum incipiebant Veteres.

9. *Custodem medio, etc.* Altera eiusdem periphrasis obscoenae partis, quam enormem in Priapo hortorum custode figurabant porreeto ab inguine palo. Nam Priapus, ut decet Veneris filium, praegraudi pene insignitus. *Ramires.*

10. *Opposita spectat, etc.* Iocus in virgines pudicas specie, reapse vero apectaculum non fugientes, quae manum oculis admovebant, tanquam avertentes visum a re tam turpi, digitulis tamen parum apertis ut quasi per rimulas viderent. *Ramires.*

12. Edd. vett. pro *leges* habent *legis*. — *Studiosa leges.* Res enim obscoenae et libidinem cientes plerumque magis placent, quam honestae per se frigidulae.

69. — AD COSCONIVM.

Omnia quod scribis castis Epigrammata verbis,
  Inque tuis nulla est mentula carminibus,
Admiror; laudo: nihil est te sanctius uno:
  At mea luxuria pagina nulla vacat.
Haec igitur iuvenes nequam facilesque puellae,
  Haec senior, sed quem torquet amica, legat.
At tua, Cosconi, venerandaque sanctaque verba

2. *Inque tuis.* Vid. lib. I, epigr. 36, v. 5. — Ausim fere suspicari latere illic iocum ex ambiguitate quadam vocis *mentula*; quae nempe praeter vulgarem significationem usurpari potest, ut sit quasi diminuta vox, a τῷ *mens* detorta, et illi sensu cohaerens. Inde irridet Poëta Cosconium quod versus sine mente, id est, stolidos et inficetos, scripserit; et simul eum carpit sales nequitiae et libidinis insulsa verecundia versibus abigentem. Eo. P.

3. *Laudo.* Ironice *laudat* et *admiratur* Cosconii eastitatem in verbis.

4. *At mea pruritu.* Iuntina nostra in margine.

7. *At tua, Cosconi.* De quo iam dictum lib. II, epigr. 77, quem laudat Martialis ironice, quum dicat epigrammata eius, tanquam insulsa et sine acumine, legenda a simplici-

A pueris debent virginibusque legi.

bus atque ab indoctis, quales sunt virgines et pueri, sua autem a lascivioribus puellis legi; quasi dicat plures esse, qui sua legant quam Cosconii, ob eum pruritum qui in omni pagina est.

70. — AD CERVINVM.

Moechus es Aufidiae, qui vir, Cervine, fuisti.
Rivalis fuerat qui tuus, ille vir est.
Cur aliena placet tibi, cui sua non placet uxor?
Numquid securus non potes arrigere?

Mirabilem Cervini cuiusdam in amore mutabilitatem describit, qui Aufidiam uxorem per fastidium repudiaverat, deinde nuptam rivali suo priori deperibat, ita ut eius moechus euraverit fieri: simile argumentum habet lib. VI, epigr. 71. Est enim communis hominum consuetudo in velita ferri impotentius. Horat. sat. 11, lib. I: *Leporem venator ut alta in nive sectetur, positum sic tangere nolit; Cantat et apponit: meus est amor huic similis; nam Transvolat in medio posita, et fugientia captat.* Et supra, lib. I, epigr. 74, hanc sententiam complexus est. *Ramires.*

4. *Numquid, etc.* Elegans quaestionis praepositae per interrogationem solutio. Causa enim cur Cervinus iste repudiatam uxorem et alteri nuptam amabat, erat quod feminam quam secure possidebat appetere non poterat. *Ramires.*

71. — IN NAEVOLVM.

Mentula quum doleat puero; tibi, Naevole, culus:
Non sum divinus, sed scio quid facias.

1. *Quum doleat* Naevolum pathicum insectatur, qui paedicabatur a servo. *Ramir.*

2. *Divinus.* Non opus est Oedipo ad hoc aenigma solvendum. — *Quid facias.* Immo quid patiaris.

72. — AD LAVFEIAM.

Vis futui, nec vis mecum, Laufeia, lavari.
Nescio quod magnum suspicor esse nefas.
Aut tibi pannosae pendent a pectore mammae:

1. *Nec vis mecum.* Communia fuisse viris cum feminis balnea constat etiam ex epigr. 51 supra.

3. *Pannosae.* Quodcumque rugosum est et lacerum laxumve, pannosum aut pannuceum dicitur. *Ramires.*

Aut sulcos uteri prodere nuda times:
Aut infinito lacerum patet inguen hiatu:
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Sed nihil est horum: credo, pulcherrima nuda es.
Si verum est, vitium peius habes: fatua es.

5. *Inguen hiatu.* Has partes vocant nympham et eugium. *Schrevel.*

8. *Fatua es.* Insulsa, nullo lepore meretricio instructa. Lib. XI, epigr. 61, v. 7. Intelligerem: inconsultae levitati obnoxia. Ed. P.

73. — IN PHOEBVM.

Dormis cum pueris mutoniatis,
Et non stat tibi, Phoebe, quod stat illis.
Quid vis me, rogo, Phoebe, suspicari?
Mollem credere te virum volebam:
Sed rumor negat esse te cinaedum.

2. *Non stat.* Vid. lib. II, epigr. 45, vs. 1: *Quae tibi non stabat, praecisa est mentula, Glypte.*

4. *Mollem.* Id est, cinaedum.

5. *Sed rumor.* Fellatorem carpit, qui quum feminis nequiret, pueris mutoniatis morem gerebat: spurcissimo ore pathicum forte intelligit. De voc. *rumore* vid. lib. II, epigr. 72, v. 6.

74. — IN GARGILIANVM.

Psilothro faciem laevas, et dropace calvam.
Numquid tonsorem, Gargiliane, times?

Fellatorem Gargilianum perstringit, quod faciem et calvam resinis quibusdam depilaret.

1. *Et dropace culum* legit Musambert. quam lectionem margini adscriptam exhibet etiam nos penes Iuntina ann. 1512. — *Faciem laevas.* Faciem depilas psilothro, quod erat unguentum evellendis pilis aptum, de quo Plinius, lib. XXIV, cap. 9: *Amerinae nigrae semen cum spuma argenti pari pondere a balneo illitum, psilothrum est.* Videatur etiam libri XXII, cap. 1. — *Et dropace.* Est etiam unguentum, quod pilis evellendis inservit, de quo lib. X, epigr. 65, v. 8. — *Calvam.* Per *calvam* intelligit calvariam seu cranium, paucos enim pilos superstites ibi non ferebat Gargilianus; volebatque nitidam omnino esse calvam, ideo dropace utebatur. *Herald.* Lib. II, epigr. 29, v. 6.

2. *Numquid tonsorem.* Poëta irridet Gargilianum, qui pauper tonsorem

Quid facient ungues? nam certe non potes illos
Resina, Veneto nec resecare luto.
Desine, si pudor est, miseram traducere calvam:
Hoc fieri cunno, Gargiliane, solet.

timere non debuit ad exemplum Dionysii tyranni. Vel sic intelligendum: An adeo mollis es et timidus, ut novaculam experiri nequeas?

3. *Quid facient ungues.* Veteres solebant non solum barbam, sed et resecandos ungues tonsoribus praebere: hoc est, saltem ad resecandos ungues ferro uti debes, et tonsori te committere. Vid. lib. XIV, epigr. 36.

4. *Veneto nec.* Mixta aceto terra ex Cypro advehebatur, quam vocabant lutum Venetum, ex quo psilothrum unguentum fiebat ad evellendos crines.

5. *Traducere.* Reddere infamem et malo *rumori* obnoxiam. De hoc verbo dictum lib. Spect. epigr. 4.

6. *Solet.* Sensus est: O Gargiliane, videris te componere ad fellandum, etc.

75. — IN LVPERCVM.

Stare, Luperce, tibi iam pridem mentula desit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucae faciunt, bulbique salaces;
Improba nec prosunt iam satureia tibi.
Coepisti puras opibus corrumpere buccas:
Sic quoque non vivit sollicitata Venus.
Mirari satis hoc quisquam, vel credere possit,

1. *Desit* in Pulmanni codice. — *Stare.* Irrisio est in Lupercum quemdam iam enervem, qui ἀστυσίᾳ laborabat: ipse tamen omnem movebat lapidem, ut posset. *Ramires.* — *Desit.* Desiit.

3. *Erucae, etc.* Erucam, bulbos, atque satureiam, Venerem excitare notissimum est ex medicis: erucam enim alibi appellat salacem herbam, lib. X, epigr. 48, v. 10.

4. *Improba nec, etc.* Salax, venerem improbam irritans.

5. *Coepisti puras Opicus*, Lipsius epistolarum lib. V, 6, quasi sit fellatio. Farnabio placet vulgata lectio, quam astruit in ultimo versu, *magno stare.* — *Puras buccas.* Magno dicit constare Luperco, quod opibus corruperat buccas puras puerorum, qui, nisi oblato summo pretio, non possent ad tantam allici turpitudinem.

6. *Sic quoque non vivit.* Bene *vivit*, quod mortua membra communiter dicat iacentia. Vide lib. VI, epigr. 71, v. 3; et lib. VIII, epigr. 56, v. 16: *Quae poterant ipsum sollicitare Iovem.* Ramires.

Quae non stat, magno stare, Luperce, tibi?

8. *Quae, etc.* locum quaerit ab ambiguo τοῦ *stare*: prius obscoenum significat, posterius *constare*. Vid. lib. II, epigr. 45.

76. — IN BASSVM.

Arrigis ad vetulas; fastidis, Basse, puellas:
  Nec formosa tibi, sed moritura placet.
Hic, rogo, non furor est, non est haec mentula demens?
  Quum possis Hecubam, non potes Andromachen.

Notat Bassi in vetulas furorem, qui puellas fastidiebat; nec in vetulis forma, sed senectus hominem delectabat; nec quidem erat haereditatum captator Bassus. *Ramires.*

2. *Sed moritura placet.* Capularis anicula, et morti vicina.

4. *Hecubam.* Vetulam. *Andromachen.* Iuniorem.

77. — IN BAETICVM.

Nec mullus, nec te delectat, Baetice, turdus:
  Nec lepus est unquam, nec tibi gratus aper.
Nec te liba iuvant, nec sectae quadra placentae:
  Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aves.
Capparin, et putri cepas halece natantes,
  Et pulpam dubio de petasone voras.

Baeticum hoc loco, tecte eo vitio notat, quod epigr. 81 describitur, scilicet fellatione; et ducitur hac coniectura, quod putrida quaeque appetat, fastidiatque bonos cibos. Primis quatuor versibus enumerat pretiosa aedulia, a quibus Baeticus abhorrebat; et quatuor sequentibus, vilissima quaeque ac putrida. *Ramires.*

3. *Sectae quadra placentae.* In quadrata frusta secabantur placentae, et quodque eorum quadra dicebatur, ut ipsa verba declarant: *Quadra sectae placentae.*

4. *Nec tibi, etc.* Nec tibi sapit avis numidica, nec phasiana.

5. *Capparis et turpis* Beverlandi Ms. Miror, ulcus, quod hic versus habet, adhuc intactum. Quid enim cappari, quid cepis cum halece? Nullus dubito, quin a manu Hispani nostri sit: *Cammaron et putri moenas halece natantes* Cammarus certe, sive gammarus, vilior piscis est, et tenuiorum cibus. Ant. *de Rooy.* — *Halece.* Alex vel halec, liquamen ex intestinis piscium, capparis vero (gallice *câpre*) flos est nondum evolutus fruticis.

6. *Dubio, etc.* Sal semiputido.

Teque iuvant gerres et pelle melandrya cana:
Resinata bibis vina, Falerna fugis.
Nescio quod stomachi vitium secretius esse
Suspicor: ut quid enim, Baetice, saprofagis?

7. *Gerres et pelle.* Minuta salsamenta e locustarum genere. — *Melandrya cana.* Pars thynni vilissima, Plin. lib. IX, cap. 15; sed Athenaeo salsamenta ex thynnis maximis, lib. III, cap. 33.

8. *Resinata bibis vina, etc.* Corrupta et oleutia picem vasis.

9. *Vitium secretius esse.* Lingendi scilicet, vel fellandi quum tuus stomachus sit gustui tetro assuetus.

10. Ramiresius *de Prado* emeodavit κοπροφαγεῖς, quod verbum est Galeni de Simpl. Medic. lib. X, c. 4, significatque *vorare stercus*: ubi vide quae dicit de Xenocrate. Si quid mutandum, forte: *ecquid enim, Baetice, turpe fugis?* — *Saprofagis.* Σαπροφαγεῖς, putrida edis? ex σαπρὸς, *putridus*, et φάγω, *edo.*

78. — AD PAVLINVM.

Minxisti currente semel, Pauline, carina.
Meiere vis iterum? iam Palinurus eris.

Quum cymba vel navi currente praeceps veheretur Paulinus, in aquam minxerat non sine quodam periculo, utpote qui, vi subita excussus, in undam facile delabi posset. Hunc igitur idem tentare volentem dissuadet Martialis, ne e Paulino Palinurus fiat. *Palinurus* quidem nomen est gubernatoris illius, qui, somno oppressus, e navi Aeneae in mare lapsus periit; sed eadem vox *Palinurus* significat *iterum meiens* (πάλιν, *rursus*; οὐρεῖν, *meiere*); in hac ambiguitate iocatur Noster, dicens: Cave ne sis *Palinurus*, id est, ne sis *iterum meiens*; et cave ne sis *Palinurus*, id est, ne in aquam decidas, ut *Palinurus*. Eo. P.

79. — AD SERTORIVM.

Rem peragit nullam Sertorius, inchoat omnes.
Hunc ego, quum futuit, non puto perficere.

2. *Perficere.* Festive Sertorium irridet, qui quum omnia inchoaret, nihil tamen perficiebat, quod ut augeat usque ad summum, ait se non putare, Sertorium perficere rem quam ipsa natura non patitur imperfectam relinqui. Vid. lib. I, epigr. 47. *Ramir.*

80. — AD APICIVM.

De nullo quereris, nulli maledicis, Apici:
Rumor ait, linguae te tamen esse malae.

Fellatorem Apicium perstringit, qui linguae malae erat etiam tacens.
1. *Maledicis*. Lib. II, epigr. 61, eodem vitio notat maledicum.
2. *Linguae malae*. Ad quod allusit Minutius Felix in Oct. *Apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas; qui medios viros lambunt, etc. homines malae linguae, etiamsi tacerent.* Sic κακὴ γλῶσσα Graecis, maledica. *Herald.*

81. — IN BAETICVM.

Quid cum foemineo tibi, Baetice Galle, barathro?
Haec debet medios lambere lingua viros.
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,
Si tibi tam gratus, Baetice, cunnus erat?
Castrandum caput est: nam sis licet inguine Gallus,
Sacra tamen Cybeles decipis: ore vir es.

1. *Quid*. Insectatur Baeticum, quem fellantem epigr. 77 supr. reprehenderat. At nunc cunnilingum eumdem carpit, miraus illum sibi virilia exsecuisse femineae partis amatorem. En. P. — *Galle*. Qui sacerdos es Cybeles eviratus. — *Barathro*. αἰδοίῳ.
3. *Samia testa*. Samos, nota insula in Ionio mari in qua Iuno colebatur, quod in ea nata, educata et Iovi nupta fuerit; huic tamen anteponebat dea Charthaginem. Virg. Aen. lib. I, v. 15: *Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo*. In ea fiebant vasa fictilia quae Samia vocabantur, quibus amputabant sibi virilitatem Galli. Videatur Catullus, in Aty, ep. 64.
5. *Castrandum, etc.* Es enim impuri oris et malae linguae.

82. — IN ZOILVM.

Conviva quisquis Zoili potest esse,
Summoenianas coenet inter uxores,

Describit Martialis quo fastu utatur in conviviis excipiendis fellator quidam Zoilus, homo superbe mollis, ac divitiis insultans, qualem Trimalcionem suum describit Petronius. Imaginem fere similem habes apud Athenaeum, lib. VI, in Paphii regis adolescentuli descriptione.
2. *Summoenianas coenet inter uxores.* Scilicet inter meretrices, quae in

Curtaque Ledae sobrius bibat testa:
Hoc esse levius puriusque contendo.
Iacet occupato galbinatus in lecto:
Cubitisque trudit hinc et inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci;

lupanari prostabant, in eo loco qui Summaenianum dicebatur. *Ramires.*

3. *Curta.* Mutilata. — *Ledae.* Meretricis. — *Sobrius.* Quod maioris est turpitudinis, quam si ebrius faceret, ut supr. epigr. 46: *Ebrius es, nec enim faceres haec sobrius unquam.* — *Testa.* Calicea quo utebantur ad impurum usum meretrices. Vid. lib. I, epigr. 93, v. 6.

4. *Hoc esse levius, etc.* Coenare apud Summoenianas lupas.

5. *Occupato.* Quem ipse iam occuparat, antequam caeteri sederent; iis etiam qui nondum venerant, non exspectatis. — Alii intelligunt: *quem totum ipse solus occupat*; ut ait Iuvenalis de lectica Mathonis, quae erat *Plena ipsa.* Sed hunc sensum putavimus reiiciendum, quum versu sequenti dicat Poëta *Cubitisque trudit hinc et inde convivas; quod non faceret, si solus recubaret.* Ed. P. — Forsan sic intelligendum: Iu lecto quem superbe primus ipse conscendit, atque ita sibi vindicat, ut non iustam partem vicinis secum recumbentibus relinquat: *occupare* enim est latine *praeripere*, et quasi *vi expugnare.* Ed. P. — *Galbinatus.* Galbinis indutus. Galbinum vel galbanum genus est vestimenti delicatioris, albi et subluci di, quod nullos habet pilas. Iuven. Sat. II, 9: *Caerulea indutus scutulata, aut galbana rasa.* Vide lib. I, epigr. 97, v. 9.

6. *Cubitisque trudit hinc et inde convivas.* Sic erat in medio honoratiori loco quem occupaverat inciviliter; et nolebat a convivis tangi, vel ut laxius recumberet, vel ne pretiosae vestes a vicinis tererentur.

7. *Ostro, sericisque, etc.* Id est, pulvinis sericis et ostro tinctis. Ed. P.

8. *Stat.* Ministri et pocillatores *stare* dicuntur. Pocillatores exquisita forma conquirebant Antiqui. — *Exoletus.* Puerum intellige a deliciis sui domini. — *Suggeritque ructanti.* Pinna in os immissa exonerare stomachum solebant hi helluones. Sueton. in Claud. cap. XXXIII: *Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, et ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum:* Quae consuetudo ei exitium attulit, ut narrat Tacitus, extrem. lib. XII Annalium. *Igitur exterrita Agrippina, et quanda ultima timebantur, spreta praesentium invidia, praevisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tanquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus eius demisisse creditur.* Spectabat igitur exoletus ructus Zoili, ut hianti *ore* pinnas ingereret. *Ramires.*

9. *Pinnas rubentes.* Phoenicopteri pennas in hoc negotium adhibuisse videtur. — *Cuspidesque, etc.* Dentiscalpia, lib. XIV, epigr. 22.

Et aestuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello;
Fugatque muscas myrtea puer virga.
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus membris
Digiti crepantis signa novit eunuchus,
Et delicatae suscitator urinae
Domini bibentis ebrium regit penem.
At ipse retro flexus ad pedum turbam,
Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palaestritis,

11. *Prasino flabello, etc.* Viridi.

12. *Myrtea virga.* Indicium libidinis: Veneri enim sacra.

13. *Tractatrix.* Molles enim Veterum deliciae eo processerant, ut ad fricanda membra delectationis causa, in conviviis mares vel feminas adhiberent, qui artificio quodam membra contrectarent: Lampridius, in Heliogab. *In conviviis exoletos maxime iuxta se ponebat, eorumque attrectatione et tactu praecipue gaudebat.* Hi *tractatores*, feminae *tractatrices*, dicebantur. Tractatoris meminit Seneca, in epistola 66, sub finem: « An potius optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam? » *Ramiresius.*

14. *Manumque dextram* Beverlandi MS. forte, *Manumque dextre.*

15. *Digiti crepantis.* Digitorum crepitu matella poscebatur, ut etiam constat ex lib. VI, epigr. 89; l. XIV, epigr. 119: *Trimalcio digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.* Petron.

16. *Et delicatae sciscitator* in quibusdam vett.

18. *Pedum turbam.* Puerorum qui ad pedes stant. Epigr. 23 supr.

19. *Anserum exta.* Quae pinguibus farta ficis, erant Romanis in deliciis; ut et iecur. Ovidio, Fast. I: *Nec defensa iuvant Capitolia, quominus anser Det iecur in lances, Inache laute, tuas.* Vide quoque Iuvenalem, sat. V; Horatium, lib. II, sat. ultima; et Nostrum, lib. XIII, epigr. 58. Sed Zoilus haec catulis, velut in contemptum convivarum, dabat.

20. Lipsius legit *Palaestritae*, vel etiam *Palaestritis* genitiv. ut *Orestae* et *Orestis*, et refert ad *apri* ex Varronis lib. III, cap. 13, ubi *palaestra* ostenditur esse septum in villa, ubi apri erant inclusi. Vide var. not. — *Apri glandulas.* Pars est apri iuxta cervicem delicata, et callosae materiae. — *Palaestritis.* Palaestrita servus erat qui in palaestra oleum, pulverem et ceroma luctatoris suppeditabat. Vid. supr. epigr. 58, v. 25. — Quum vero molles hic enumeret Zoili ministros, pueros exoletos, concubinas, moriones, etc. quid si intelligamus *depilatores*? Sic enim eos Persius appellat sat. IV, vs. 39: *Quinque Palaestritae licet haec plantaria vellant.*

Et concubino turturum nates donat:
Ligurumque nobis saxa quum ministrentur,
Vel cocta fumis musta Massilitanis;
Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque myrrhinisque propinat.
Et Cosmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescit murice aureo nobis
Dividere moechae pauperis capillare.
Septunce multo deinde perditus stertit:
Nos accubamus, et, silentium ronchis
Praestare iussi, nutibus propinamus.
Hos Malchionis patimur improbi fastus;
Nec vindicare, Rufe, possumus; fellat.

23. *Vel cocta fumis musta Massilitanis.* Id est, vina Massilitana fumo maturata; vina enim asperiora fumo maturabantur, Horat. lib. III, od. 8: *Amphorae fumum bibere institutae Consule Tullo.* Columella, lib. I, cap. 6: *Apothecae recte superponentur his locis; inde plerumque fumus earum exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.*

26. *Cosmianis.* Cosmus ille myropola, de quo iam multa mentio incidit, ampullas quasdam invenerat vendebatque, quae eius nomine Cosmianae vocabantur, ut patet ex lib. XIV, epigr. 110. Vnguenta in iis servata, et quae aliquando bibebantur (vid. idem epigr.), exhauserat in se ungendo Zoilus. Ed. P.— *Fusus.* Perfusus, delibutus. — *Ampullis.* Ampulla, vitreum vas rotundum: sed hic largam innuit copiam unguenti a Zoilo adhibiti, dum parce contra convivis daret vile unguentum, sicut satis apparet ex versu sequenti. Ed. P.

27. *Murice aureo. Murex aureus* concha erat vel aurata, vel ex auro facta, qua unguentum parce sumebatur. Horat. II, od. 7: *Funde capacibus Vnguenta de conchis.*

28. *Capillare.* Vnguentum ad capillos ungendos, quali utebantur vel pauperrimae moechae.

29. *Septunce multo, etc.* Multis cyathis septem sextarii partes capientibus. — *Perditus.* Sepultus.

31. *Nutibus propinamus.* Non prolato eius nomine cui propinamus; sed nutibus invicem. Attamen mos erat nominare hunc cui propinabatur. Vid. lib. II, epigr. 15.

32. *Malchionis.* Hoc est, effeminati: nomen fictum a μαλακὸς, *mollis.* Forsan ut uno ictu pingat superbos fastus in insulsam impotentiam Zoili, eum hinc designat nomine famoso Trimalchionis Petronii, quod una syllaba deminuit, credo, ut metro satisfaciat. Ed. P.

33. Scriverius, auctore Ioseph. Scaligero, scripsit: *Nec vindicare, Rufe, possumus? fellas;* h. e. ineptis;

stultos quippe vocabant homines *spurco ore*. — *Nec vindicare*. Etenim impuri hominis os valde timendum. Se potest vindicare Postbumum imitando, id est, basistiones invitis ingerendo. Vid. lib. II, epigr. 23. Vel etiam alterum sensum intellige ex epigr. 97 infr. scilicet: mordicus appetere mentulam potest, ad ulciscendum. Malo explicare: Hominis spurci impurae et foetidae basistiones, quas volenti nolenti dare potest per amicitiae simulationem, sunt timendae. Ed. P.

83. — IN COCLITEM.

Vt faciam breviora mones Epigrammata, Cocles.
Fac mihi, quod Chione: non potui brevius.

2. In quibusdam *non potuit brevius*, quod Calderinus interpret. Non potuit dicere tibi ut des, etc. — *Fac mihi, etc.* Vide quam te utar brevitatis magistro; nec potui paucioribus verbis notare te vitio fellandi, quam conferendo te cum Chione. Infr. epigr. 87 et 97.

84. — IN TONGILIONEM.

Quid narrat tua moecha? non puellam
Dixi, Tongilion; quid ergo? linguam.

Vocat Tongilionis linguam *moecham*, quod is ore moechus esset; percontatur ergo quid narret eius moecha: ex hac interrogatione poterat quis existimare Tongilionem puellam habere quacum moecharetur. Corrigit statim, non dico puellam, sed linguam. *Ramires*.

2. *Linguam*. Quae λείχουσα καὶ μύζουσα, patitur quod moecha. Sic lib. XI, epigramm. 62: *Moechus ore Manneius*. Id verbum etiam *narrat* linguae impuritatem innuit. Vel per *linguam* innuit puellam istam adeo fuisse loquacem, ut *lingua* dici mereatur; aut linguam instar canis Apulae, et quidem sitientis ubique et semper linguam exserentis. Probanda nobis videtur prior explicatio. Ed. P.

85. — AD MARITVM.

Quis tibi persuasit nares abscindere moecho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit uxor,
Quum sit salva sui mentula Deiphobi.

1. *Abscindere moecho*. Quem castrare debuit.

4. *Quum sit salva tibi* in Ald. Iunt. Colin. aliisque vett. — *Sui Deiphobi*.

Alludit Poëta, ut aiunt interpretes, ad illum Virgilii locum, Aeneid. VI, v. 494, quo Deiphobus naribus truncatis describitur: *Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.*

86. — AD CASTAM MATRONAM.

Ne legeres partem lascivi, casta, libelli,
  Praedixi et monui: tu tamen, ecce, legis.
Sed si Panniculum, si spectas, casta, Latinum,
  Non sunt haec mimis improbiora: lege.

Iusserat, supr. epigr. 68, ne matrona casta ab eo epigrammata sequentia legeret, sed praedixerat futurum, ut totum librum studiosa legeret. Nunc autem id exitum dicit comprobasse; sed tamen quum mimos lascivos spectet, non inhonestius legere potest hosce versus. *Ramires.*

2. *Tu tamen usque legis* adscriptum margini habet nos penes Iuntina.

3. *Sed si Panniculum.* Latinus et Panniculus mimi in Comoediis petulanter lasciviebant.

87. — IN CHIONEM.

Narrat te rumor, Chione, numquam esse fututam,
  Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris.
  Si pudor est, transfer subligar in faciem.

1. *Narrat te.* Fellatricem Chionem reprehendit, quod tecta pudenda parte corporis lavaretur, quum tamen illa non peccasset, monetque ut velamen transferat ad os, quo peccaverat. *Ramires.*

3. *Tecta tamen non hac, etc.* Si subligari tegas inferiora prae pudore, cur non potius os tegis? namque hac parte *rumor* est te peccare μύζουρειν. In voce *rumor* latet ulcus Paronomasticon.

4. *Si pudor est.* Si facis prae pudore. — *Transfer subligar in faciem.* Vt contegat os impurum.

88. — IN FRATRES FELLATORES.

Sunt gemini fratres, diversa sed inguina lingunt.
  Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

1. *Diversa, sed, etc.* Ὁ μὲν τὰ τῆς γυναικὸς λείχει, ὁ δὲ τὰ τοῦ ἀνδρὸς μύζει. Vide Plinius, lib. VII, cap. 12.

89. — AD PHOEBVM.

Vtere lactucis, et mollibus utere malvis:
Nam faciem, durum, Phoebe, cacantis habes.

1. *Vtere lactucis*. Lacturae et malvae utiles sunt ad solvendum ventrem pigrum.

2. *Nam faciem*. Phoebi iam meminit lib. I, epigr. 87. Similis locus est apud Suetonium in Vespasiano, cap. 20: *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis, etc.* Vid. et lib. X, epigr. 48.

90. — DE GALLA.

Vult, non vult dare Galla mihi: nec dicere possum,
Quod vult, et non vult, quid sibi Galla velit.

Epigramma est in Gallam deformem, fortasse et anum, quae volebat dare (sui copiam) nec volebat dare (pecuniam). Lib. VII, epigr. 74: *Vis futui gratis, quum sis deformis, anusque, Res perridicula est; vis dare, nec dare vis.* Vide etiam an hoc ex inconstantia Gallae, ut lib. II, epigramm. 25.

91. — DE MISITIO, ET ACHILLA.

Quum peteret patriae Misitius arva Ravennae,
Semiviro Cybeles cum grege iunxit iter.
Huic comes haerebat domini fugitivus Achillas,
Insignis forma nequitiaque puer.
Hoc steriles sensere viri: qua parte cubaret,

Continet hoc epigramma narrationem de sene Misitio, qui quodam errore a Cybeles sacerdotibus exsectus est, dum putant se servulum Achillam, formosum puerum, qui una cum sene iacebat in lecto, excidere. *Ramires.*

1. *Ravennae*. Ravenna, aliter Aemiliae, nunc Romandiolae caput, oppidum est Italiae maritimum in intimo sinu Adriatico.

2. *Semiviro*. Sacerdotibus Cybeles eviratis, Gallis.

3. *Achilles* legit Dousa, quod eo nomine formosos pueros a poculis nominasse Veteres e Luciano constet. Vide lib. VII, epigr. 57. — *Huic.* Scilicet Misitio. — *Domini fugitivus* Servus qui fugerat a domino et Misitium senem sequebatur.

5. *Steriles, etc.* Galli sacerdotes castrati. — *Qua parte cubaret Quae-*

Quaerunt; sed tacitos sensit et ille dolos.
Mentitur, credunt: somni post vina petuntur:
Continuo ferrum noxia turba rapit;
Exciduntqne senem, spondae qui parte iacebat;
Namque puer pluteo vindice tutus erat.
Suppositam, fama est, quondam pro virgine cervam;
At nunc pro cervo mentula supposita est.

runt. Quum Achilles in eodem lecto cum Misitin recubare soleret, sciscitantur Galli, qua in parte lecti, utrum in sponda, an in pluteo, dormiret, per somnum eum aggressuri et similem sibi facturi. Ed. P.

6. *Sed tacitos sensit, etc.* Sed puer eorum mentem intellexit.

7. *Mentitur, etc.* Dicit se in alia parte lecti, quam qua dormiebat, dormiturum, in spondae scilicet parte.

8. *Continuo ferrum.* Posuit ferrum pro Samia testa, seu cultro ex terra Samia, quo Sacerdotes illi exsecabant mares, epigr. 81, v. 3, supr. lib. II, epigr. 45.

10. *Namque puer pluteo.* Lecti duo erant latera, exterius *sponda* vocabatur, interius vero, versus parietem, *pluteus* dicebatur. Achillas vero Gallis dixerat parte spondae cubiturum se, quum in pluteo esset dormiturus tutus ab illorum iniuria.

11. *Pro virgine cervam.* Notissima est historia Iphigeniae, quam in Aulide immolare pater Agamemnon parabat, quum a Diana fuit rapta, et eius loco cerva supposita, quam Graeci duces pro Iphigenia immolarunt. Ovidio Metam. XII: *Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.*

12. *Cervo.* Cervi a pedum velocitate dicebantur servi nequam et fugitivi, qualis fuit hic Achillas. Vide Pet. Crinitum lib. XIX, de Honest. Discipl. cap. 8; et Lud. Caelium, lib. XIII, cap. 15. — Quum autem editiones veteres habeant *pro puero*, ego sic legerem cum Ramiresio libenter: antithesi salva inter *virgine* et *puero.* Ed. P. — *Pro cervo.* Servos Antiqui appellarunt *cervos*; Festus in voce *servorum dies.* Alii legunt *pro puero.* Sed prior lectio videtur melior, propter similitudinem cum praecedenti versu. Non mirarer mentem Nostri fuisse simpliciter *servo*; hinc tantum feriente aures ambiguitate. Ed. P.

92. — AD GALLVM.

Vt patiar moechum, rogat uxor, Galle; sed unum:

1. *Vt patiar, etc.* De more saeculi. Seneca, de Benef. lib. III, cap. 16: « Infrunita et antiqua est, quae nesciat matrimonium vocari unius adulterium. » *Heraldus.* Sic videbatur uxor petere quasi honesta, quum unicum adulterum peteret, quod erat veluti matrimonium. *Ramires.*

Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos?

— *Moechum unum*. Vid. lib. VI, epigramm. 90, ubi eadem fere antithesis.

2. *Oculos duos*. Vid. lib. I, epigr. 93, v. 12. Ludit autem in auxesi ab *uno* ad *duos*.

93. — IN VETVSTILLAM.

Quum tibi trecenti consules, Vetustilla,
Et tres capilli, quatuorque sint dentes,
Pectus cicadae, crusculumque formicae;
Rugosiorem quum geras stola frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas;
Quum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus angusta,
Meliusque ranae gariant Ravennates,
Et Adrianus dulcius culex cantet,
Videasque quantum noctuae vident mane,

Est invectiva in Vetustillam, seu ut alii legunt Vetustinam quamdam, cuius nomen a vetustate deducit, quae in extrema senectute virum quaerebat; estque totum id epigramma hyperbolicum, ut moris est huic poëtae. *Ramirez*.

1. *Quum tibi*, *etc*. Id est, quum numeres 300 vel saltem 150 annos aetatis; namque Romanis annorum computatio erat a pari consulum pro singulis annis creato. — *Trecenti consules*. Dictum hyperbolice, ut pleraque huius epigrammatis.

3. Gruterus legit, *crus colorque formicae*; quod exhibet etiam Beverlandi MS. — *Crusculum*. Crus pusillum.

4. *Rugosiorem quum geras*, *etc*. matronarum stola seu vestis exterior in multas plicas rugabatur.

5. *Aranearum cassibus pares*, *etc*. Id est, flaccidas, pannosasque, ut tela araneae quae mollis pendet, et impulsioni levissimae cedit.

6. *Quum comparata rictibus tuis ora*. Mira hyperboles audacia. Enim vero rictus est crocodilo, os Vetustillae; sed quum hoc macilentum, extendatur in deformem latitudinem, transponit rerum vocabula Martialis, et os crocodili angustius rictu Vetustillae ait. Ed. P.

8. *Ranae garriant Ravennates*. Raucum coaxantes in paludibus quibus madet Ravenna, ut diximus supr. epigr. 56.

9. *Adrianus*. Sive culex ad litora maris Adriatici circumstrepens; sive in Adria, quae Romanorum colonia est in Piceno.

10. *Videasque*. Et oculorum aciem tam hebetem habeas ut oculis noctuae nocturnae volucris, solem fugientis, comparari apte possint tui oculi. Ed. P.

Et illud oleas, quod viri capellarum,
Et anatis habeas orropygium macrae,
Senemque Cynicum vincat osseus cunnus;
Quum te lucerna balneator exstincta
Admittat inter bustuarias moechas;
Quum bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia possit:
Gaudes ducentas nupturire post mortes,
Virumque demens cineribus tuis quaeris
Prurire. Quid, sarrire si velit saxum?
Quis coniugem, quis te vocabit uxorem,
Philomelus aviam quam vocaverat nuper?

11. *Viri capellarum.* Hirci.

12. *Orropygium.* Ὀῤῥοπύγιον seu οὐροπύγιον est extremitas illa vertebrae podici proxima, gallice, *le croupion.* Vide infr. epigr. 98. — *Anatis orropygium macrae.* In macris avibus eminentior est illa pars; in pinguibus, sebo et pinguedine rotundatur.

13. *Senemque Cynicum vincat.* Scilicet macie et squalore; sordidam Cynici imaginem depinxit Martialis lib. IV, epigr. 53. Ed. P.

14. *Quum te lucerna, etc.* Vulgaria atque diobolaria scorta inter busta et monumenta, paeneque in propatulo prostantia, inde bustuariae moechae vocabantur, ut diximus lib. I, epigr. 35, 8. Vid. Turneb. lib. XIII, c. 19. Vilissimae illae meretrices et ad balnea aliquando quaestus vel aucupii causa se conferebant, ut constat ex Lampridio at Ammiano Marcellino. Corrupto igitur donis balneatore, haec vetula intrabat cum bustuariis moechis, quae exstinctis tantum lucernis, ne internosci possent, admittebantur.

16. *Quum bruma, etc.* Quum eo usque tibi exstinctus sit naturalis calor, ut vel anni parte calidissima frigeas.

17. *Regelare nec te pestilentia possit.* Vel intellige mensem pestilentem Augustum, vel ipsam pestilentiam qui morbus est ardentissimus. Senes autem, quum pigri sint, minus hoc morbo uruntur. Sic Seneca, ep. 68: *Iam aetas mea contenta est suo frigore, vix media regelatur aestate.* Et Iuven. sat. X, v. 218: *Febre calet sola.*

18. *Ducentas post mortes* maritorum; hyperbolice.

19. *Virumque demens, etc.* Maritum quaeris qui pruriat in te, quae iam nihil aliud es quam cadaver, vel cinis.

20. *Quid sarrire.* Qui vellet saxum sarrire non magis operam perderet quam qui vellet te, saxeam exercere. Vid. epigr. 32 supr. v. 4. *Sarrire* proprie est sarculis humum fodere, quum nempe ab infelicibus et noxiis herbis leviter scalpendo purgantur segetes.

22. *Philomelus aviam, etc.* Et ipse

Quod si cadaver exigis tuum scalpi;
Sternatur a Coricle clinico lectus,
Thalassionem qui tuum decet solus,
Vstorque taedas praeferat novae nuptae:
Intrare in istum sola fax potest cunnum.

senex, quem maritorum supremum extulisti.

24. *Sternatur a Coricle.* Tibi nubere volenti non genialis lectus, sed feretrum vel saodapile parande est, imo lectus ubi mortui in etriia, pedibus ad fores porreetis locabantur, ut inde simul cum ipso lecto efferentur et cremarentur. Vide lib. X, epigr. 97. Pers. sat. III, versus 103: *Tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, In portam rigidos calces extendit.* — *Clinico.* Id est, Vespillone quem irrisorie clinicum vocat, sicut supra, lib. I, epigrammate 31: *Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus: Coepit quo poterat clinicus esse modo.*

25. *Thalassionem.* Carmen nuptiis solemne apud Romanos, ut Hymenaeus apud Graecos. Vid. lib. I, epigramm. 36, vs. 6. — *Solus.* Thalassio dici solebat a multis, nempe ad nuptias vocatis: *solus* vero vespillo aptus erat qui id carmen caneret Vetustillae. *Langius.*

26. *Vstor.* Vstores sunt pyrarum in quibus mortui cremabantur aedificatores, et qui cadevera in ustrinam coniiciebant et silicernium, hoc est, feralem coenam custodiebant a pauperibus et mendicis, qui eas dapes in rogum coniectas semiustuletas sibi solebant rapere. Catull. epigr. 60, vs. 3: *Quam in sepulchretis Vidistis ipso de rogo rapere coenam.* — *Taedas praeferat.* Solebant Veteres taedas praeferre novis nuptis. Dicit Poëte taedas Vetustillae esse praeferendas ab ustore, aut potius facea quibus rogus incendatur.

27. *Fax.* Taeda feralis; quemquam aliquando pro nuptiali taeda, sed etiam pro Cupidinea, adhibeatur a scriptoribus.

94. — IN RVFVM.

Esse negas coctum leporem, poscisque flagella:
Mavis, Rufe, coquum scindere, quam leporem.

1. *Esse negas.* Rufum quemdem avarum irridet Poëta, qui fingebat crudum esse leporem, ne illum scinderet, et coquum veluti iratus invadebat, et loris conscindebat. Similis iocus est in Naeviam supr. epigr. 13.

2. *Mavis, Rufe, etc.* Coquum mavis scindere flagellis, quam leporem cultello scindi iubere: duplex τοῦ *scindere* sensus. Eo. P.

95. — IN NAEVOLVM.

Nunquam dicis Ave, sed reddis, Naevole, semper,
  Quod prior et corvus dicere saepe solet.
Cur hoc exspectes a me, rogo, Naevole, dicas?
  Nam puto, nec melior, Naevole, nec prior es.
Praemia laudato tribuit mihi Caesar uterque,
  Natorumque dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notumque per oppida nomen
  Non exspectato dat mihi fama rogo.
Est et in hoc aliquid: vidit me Roma tribunum,

Naevoli cuiusdam fastum et arrogantiam increpat, qui semper exspectabat dum a Martiale salutaretur, nec ipse prior salutabat unquam. Comparat in multis utrumque, et ostendit nulla in re se Naevolo esse inferiorem; sola mollitie et turpitudine fatetur eum priorem esse. *Ramires.*

1. *Numquam dicis, etc.* Exspectas dum te prior salutem, quasi esset alienum a tua dignitate prius compellare alios et salutare. — *Sed reddis.* Priorem salutare confitentis erat se inferiorem esse salutato; reddere autem, vel resalutare erat superioris. Vid. lib. IV, epigramm. 84, in eumdem Naevolum; vid. et lib. X, epigramm. 70, vs. 5, in quo *resalutantes* intelligit potentes et fastuosos: *Ramiresius.* Non tamen erat superior Martiali Naevolus, ut infra probabit. Ed. P.

2. *Quod prior et corvus, etc.* Licet corvi ipsi, voces humanas docti, salutem dicant. Notissima est historia corvi qui Augustum salutavit. Vide Macrob. Saturn. lib. II, cap. 4. — Alii legunt *Curius*; tum sensus est: Quum Curius ipse vir prisca et insigni nobilitate, prior alios salutet. Sic per synecdochen ponitur Curius pro quolibet gravi et egregio viro; multi, modestiae vel benevolentiae causa salutationem antevertebant, ut ille Philippus apud Horatium, lib. I, epist. 7, qui Menam praetorem prior salutavit: *Vulteium mane Philippus Vilia vendentem tunicato scruta popello Occupat, et salvere iubet prior.*

3. *Cur hoc expectas* legunt alii.

4. *Prior.* Nobilior, insignior.

5. *Praemia.* Quae sint haec praemia eius poëticae laudi assignata infra dicet, scilicet, ius trium liberorum, titulum tribuni et equitis honorarium, denique creatos cives in eius gratiam ab imperatoribus. *Vterque.* Titus et Domitianus.

8. *Non expectato.* Mihi vivo et sentienti.

9. *Est et in hoc aliquid.* Iam haec omnia me tibi superiorem praestant, sed sunt et alia, scilicet, etc. Ed. P. — *Tribunum.* Tribuni militares inter primos militiae ductores censebantur; ita vocati sunt quia e primis tribubus olim lecti fuerunt. Praeerant toti legioni per vices, erant vulgo seni in unaquaque legione; ius dice-

Et sedeo qua te suscitat Oceanus.
Quot mihi Caesareo facti sunt munere cives,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi.
Sed paedicaris; sed pulchre, Naevole, ceves:
Iam iam sic prior es, Naevole; vincis: Ave.

bant militibus, signum dabant excubiis, etc. Praeter illos veros et legitimos tribunos, alii erant tribuni nomine tenus, et honoris gratia, qui licet nunquam vidissent castra, iisdem tamen atque veri tribuni iuribus ac privilegiis gaudebant, principis beneficio. Talis idcirco Martialis noater fuit.

10. *Et sedeo qua te, etc.* Vt tribunus honorarius, sic et honorarius eques fuit Martialis, non censu et genere, sed favore principis; et es munere tribunitio, quo qui fungebantur intra quatuordecim gradus apectare poterant. — *Qua te suscitat Oceanus.* Oceanus, sicut et Lectius, erant homines quorum munus erat designare suum cuique locum in theatro, et ne quis alienum occuparet providere. Naevolum ergo non equitem ex quatuordecim subselliis, ubi sedebant equites, amovissent, si ibi sedere fuisset ausus. — *Suscitat.* Verbum est theatrale: hoc est: quodam loco amovet. Ed. P.

11. *Quot mihi Caesareo, etc.* Innuit a se impetratum esse multis, a Caesaribus ius civitatis, ut Plinius impetravit multis; quod constat ex toto libro X Epistolarum.

12. *Nec famulos totidem.* Non sunt totidem quos tenes in servitute, quot homines quasi donavi civitate. Ed. P.

14. *Iam iam tu prior es* Pulmannus, aliique. — *Sic prior es.* His pulchris artibus me vincis. Alii intelligunt: Non honore prior es, sed loco, dum inclinaris; quod qui paedicatur anterior est. — *Ave.* Ergo te prior salutabo, et quidem incipio facere dicens: *Ave.*

96. — IN GARGILIVM.

Lingis, non futuis meam puellam:
Et garris quasi moechus, et fututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

1. *Lingis.* Gargilius quidam cunnilingus iactabat se tanquam moechum et corruptorem puellae Martialis. Interminatur ei, si prehensus fuerit, ore ut irrumetur; sic turpi ministerio versata tacebit lingua. Similis iocus apud Catullum in quemdam Gellium, epigr. 75, v. 5: «Quod voluit fecit: nam quamvis irrumet ipsum Nunc patruum, verbum non faciet patruus.» *Ramiresius.* Vel sic interpretare verbum *tacebis*, quod nempe linguam sit abscissurus illi Poëta. Deprehensis enim ea pars auferebatur qua peccaverant. Rutgers. VI, cap 2.

3. *Si te prehendero.* Proprio moechorum verbo utitur, de quo supra

epigr. 1, 35. — *Tacebis.* Obturatur enim os τοῖς γλωσσοιοῦσιν. Idem minatur Priapus in obscoeno carmine : « Paedicaberis irrumaberisque. » *Ramires.*

97. — AD RVFVM.

Ne legat hunc Chione, mando tibi, Rufe, libellum.
Carmine laesa meo est; laedere et illa potest.

Quum in hoc libro multis epigrammatibus insectatus est Chionem fellatricem, mandat Rufo ne illa hunc librum legat, quia potest ipsa ulcisci dentibus, quum irrumatur. *Ramires.*

2. Ald. Iunt. Colin. et Gryph. *laedere et ipsa potest.* — *Carmine.* Supr. epigr. 34, 83, 87, ubi illam fellationis vitio notaverat. — *Laedere.* Mordicus enim ulcisci potest.

98. — IN SABELLVM.

Sit culus tibi quam macer, requiris?
Paedicare potes, Sabelle, culo.

2. *Paedicare potest.* Prae macie in tantum prominet orropygium.

99. — AD CERDONEM.

Irasci nostro non debes, cerdo, libello.
Ars tua, non vita est, carmine laesa meo.
Innocuos permitte sales. Cur ludere nobis

Est epigramma in eumdem illum Bononiensem sutorem, quem munera gladiatoria edentem insectatus fuerat Noster, epigr. 16 et 59 supra: quae excusando, magis ludos accusat et illudit. Hunc fingit subiratum ob haec scommata, et placare tentat probando se suo iure fecisse. Ed. P. Noli nobis irasci, cerdo, non carpsimus mores, sed vile artificium, vel potius artem gladiatoriam, licet iocati sine famae iactura, ut lib. V, dixit : « Innocuos censura potest permittere lusus. » *Raderus.*

3. *Cur ludere nobis.* Si enim tibi licuit munus edere in quo gladiatores, verso pollice vulgi iugulabantur, cur mihi ludos non gladiatorios sed poëticos facere haud liceret? Ed. P. — A maiori convincit Cerdonem: si tibi iugulare homines, cur nobis non liceat ludere homines? Iugulasti autem, quum munus dedisti, licet ergo ludere in corium tuum, quod item iugulasti. Videtur poëta simul respicere pelles ferarum iugulatarum, quas trahebat, tractabat, vellebat pro arbitratu cerdo, et alio interiore sensu homines. *Raderus.* Subtilior tamen et ex obliquo arcessita nimis explicatio. Ed. P.

Non liceat, licuit si iugulare tibi?

100. — AD RVFVM.

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis caelum nam forte ruebat;
Non aliter mitti debuit iste liber.

1. *Cursorem*, seu tabellarium. De cursoribus et cursu publico, vide quae Lipsius collegit epist. 59. — *Sexta hora*. Sexta post ortum solis; hoc est meridie.

2. *Madidum* pluvia inopinata.

4. *Non aliter mitti*. Modeste significat Poëta mala esse sua carmina, et digna quae aqua deleantur. Sic lib. IV, epigr. 10: *Curre: sed instructum comitetur pumice librum Spongia: muneribus convenit illa meis.* Digna carmina, quae aqua deleantur, ut indocta, intelligi vult Domitius, inde Noster: *Vis puto cum libro, Marce, notare tuo.* Raderus contorte explicat, carmina, quae madeant aeque nequitiis, atque caelum aquis. Vide et lib. I, epigr. 6; et lib. IX, epigr. 59, v. 8. Mollirem libenter horridulam sententiam, reputans voluisse forsan intelligi poëtam, a carminibus quibusdam suis non alienam esse undae lotionem, qua a foedioribus spurcitiis repurgentur; in quo plurimos certe consentientes inveniet.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER IV.

I. — DE NATALI DOMITIANI.

Caesaris alma dies, et luce sacratior illa,
Conscia Dictaeum qua tulit Ida Iovem,
Longa, precor, Pylioque veni numerosior aevo,

Celebrat natalem Caesaris Domitiani diem, et hinc duo a diis precandi occasionem arripit; scilicet ut numerosior quam Nestori redeat illa dies Imperatori, utque semper felix alboque notanda lapillo redeat. Ed. P.

1. *Alma. Almus* ab *alendo* dicitur, et accommodatur diis et rebus, quae vel ad generationem vel ad procreationem hominis pertinent. Sic *alma* Venus et *alma* Ceres dicitur, non *alma* Pallas aut Bellona. Quum igitur hic natalis esset dies qui edidit in lucem Domitianum, ideo dixit *alma dies*. — *Et luce sacratior illa, qua, etc.* Sensus est: O dies natalis Domitiani sacratior die illa, in qua Iovem natum excepit mons Ida conscius fraudis Cybeles, quae Saturno pueros suos voranti hunc eripuerat! Ed. P.

2. Edd. vett. *qui tulit*. — *Conscia.* Iovem clam educandum Curetibus commiserat Rhea mater, ne ex foedere, quod Saturnus cum fratre pepigerat, devoraretur; et marito petram fasciis involutam pro filio praebuit; huius arcani conscia erat Ida. Ed. P. — *Dictaeum.* in antrum montis Cretensis, nomine *Dicte*, secesserat Rhea paritura; hic Iovem Iunonemque in lucem edidit. Ed. P. — *Tulit Ida.* Ida tulit, id est, tulit Cybele, prope montem Idam: Ida est mons Cretae insulae in mari mediterraneo, contra Aegeum mare, hodie *Candie*; est et alter mons Ida in Phrygia iudicio Paridis celebratus. Ed. P. — *Conscia Dictaeum qua tulit Ida Iovem.* Hic forsitan consciam Idam intelligerem non montem sed nympham; Iupiter enim commissus fuit duabus nymphis, quae Ida et Adreste seu Melissae vocabantur; tum *tulit* sumeretur pro *abstulit sibi commissum*. Ed. P.

3. *Longa.* Intellige per longos an-

Semper et hoc vultu, vel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro,
Perque manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia saecula lustro,

nos. — *Pylioque veni numerosior aevo.* Numerosior ipsi quam Nestori suus natalis. — *Pylio aevo.* Nestor, a Pylo, urbe Arcadiae, teste Strabone, Pylius dictus, nonaginta annos vixit, secundum poëtas graecos; at vero secundum Ovidium, atque alios latinos poëtas, peregit trecentos annos; nam sumpserunt *γενεὰν*, hoc est, generationem vel aetatem, pro saeculo sive centum annis, quum triginta tantum annos significet.

4. *Hoc vultu, etc.* Feliciter, ut nunc vel etiam felicius.

5. *Hic colat Albano, etc.* Huius versus et sequentis hic est, ut opinor, sensus: Vtinam Domitianus per multos annos celebret festa Minervae in Albano, ipse indutus corona aurea; atque utinam per plurimos quoque annos in certaminibus a se institutis querneas coronas ipse distribuat victoribus: hoc est, diutissime vivat Domitianus, in rebus sibi gratis versatus. Ed. P. — *Albano.* Erat Albanum villa quaedam, in Albano monte, non longe ab urbe sita, in qua frequentissime Domitianus versabatur. — *Tritonida.* Minervam, quam superstitiose Domitianus coluit. Tritonia vel Tritonis dicitur a Tritone, fluviolo Boeotiae, apud urbem Alalcomenas, ubi Minervam natam educatamque ferunt. Hinc Homerus eam Alalcomenidem appellat. — *Multus.* Intelligendum *per multos annos*, estque idem omnino sensus, qui versu sequenti exprimitur voce *plurima*. Ed. P. — Alii tamen intelligunt *occupatus et assiduus in illa re.* — *In auro.* Corona cinctus aurea, vel insignibus aureis indutus. Sueton. cap. 4: *In stadio vero cursu etiam virginum certamini praesedit crepidatus, purpureaque amictus toga graecanica, capite gestans* coronam auream, *cum effigie Iovis ac Iunonis Minervaeque, etc.* Ed. P. — Alii intelligunt *multus in auro*, id est, *occupatus* in aureis distribuendis coronis victori cuilibet.

6. *Perque manus tantas, etc.* Vid. infr. epigr. 8, v. 10. — *Plurima quercus.* Domitianus duos Agones instituit, Capitolinum Iovi, Albanum Minervae; in illo, coronae aureae frondem quernam (Iovi dicatam), in hoc oleaginam referentes, dabantur victoribus. In versu praecedenti de Albano mentio, in hoc de Capitolino mentionem esse nihil repugnat. — Sueton. Domit. cap. 4: *Instituit et quinquennale certamen, Capitolino Iovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium quam nunc est coronatorum, etc.*. Huius sensus, qui verisimilis videtur, et quem cum Ramiresio adoptamus, fidem facit ep. 54 inf. v. 4. Ed. P. — Alii tamen *plurima quercus* intelligunt de corona civica, quam per adulationem primum concesserunt Augusto, quod cives universos servasset. Sic optaret Martialis ut hic honor saepissime tribueretur Domitiano, cui iam aliquoties tributus fuerat. Vid. lib. VIII, epigr. ult. — Prior sensus, si attendimus ad verbum *manus tantas*, quod coronae civicae non convenit, nobis magis placet, et indicabit lector. Ed. P.

7. *Hic colat ingenti, etc.* Id est, satis

Haec quae Romuleus sacra Terentus habet.
Magna quidem, Superi, petimus, at debita terris.
Pro tanto quae sunt improba vota Deo?

vivat, ut Indos saeculares quos exhibuit, centum annis elapsis rursus exhibeat, quibus ut novi saeculi colat et ornet initium. Ed. P. — *Ingenti lustro*. Ingens lustrum vocat centum annos, viginti lustra complectentes. Ed. P. — *Redeuntia saecula*. Ludos saeculares celebraverat Augustus, anno ab Vrbe condita 737. Claudius Imperator ab illo tertius annos post 64, eosdem exhibuerat praeter consuetudinem; quocirca illos irritos ac nullos censeri Domitianus iussit, atque teste Suetonio cap. 4: *Fecit ludos saeculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed olim Augustus ediderat.* Ilos renovari optat Noster, quod parum probabile est; ideo infra subiungit: *magna quidem petimus.*

8. *Et quae Romuleus, etc.* Est eiusdem sensus continuatio: In Indis saecularibus quaedam sacra fiebant ad aram Ditis in campo Martio, et a Romulo instituta. — *Terentus*. Erat locus in campo Martio, de quo lib. I. ep. 70, et lib. X, epigr. 63, v. 3, ubi ara subterranea Ditis et Proserpinae, a Romanis antiquitus constituta, et alta humo sic occultata, ut paucis nota esset. Terentus autem est appellatus quia terebat seu occultabat istam aram, vel quia Tiberis aquis, ad cuius ripam erat, atterebatur. Valer. Max. lib. II, cap. 4. — *At debita terris*. Sub imperio principis qui non pauca struxit templa, multa refecit. *Schrev.*

10. *Improba*. Non probanda.

2. — DE HORATIO.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Quum plebs, et minor ordo, maximusque

2. *Nigris munus*. Adesse spectaculis non licebat, nisi iis qui veste albа induti essent; sed Domitiani tempore usus invaluerat, ut indecenter quidem, sed tamen impune ludos spectarent atrati. Vide lib. XIV, epigr. 137. *Munus*. Accipi debet pro quolibet genere spectaculorum: attamen praecipue intelligitur munus gladiatorum, cuius editor munerarius dicitur. Forsitan naumachiam significat, de qua re Infra. Ed. P. — *Lacernis*. Lacernae vestes erant crassiores contra frigus aut pluviam comparatae, et imponi togis solitae, primum quidem in castris, post etiam in urbe; iis vero opus erat Romanis ad spectandos ludos, quum theatra in propatulo sita contra caeli inclementiam velis tantum et carbasis protegerentur: Domitianum autem naumachias exhibuisse per maximos imbres testantur Xiphilinus et Suetonius c. 4.

3. *Minor ordo*. Equestris nempe; maximus vero Senatorius. Tres erant Romae civium ordines: senatus, equi-

Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente caelo :
Albis spectat Horatius lacernis: 5

tes, populus, cuius pars infima proletarii. Eo. P.

4. *Sancto cum duce.* Domitiano, quem sanctum vocat, vel quod summum magistratum gereret, qui sanctus erat, vel quia deum se praedicabat. — Vel quia aequus et bonus erat princeps; quod innuere videtur Martialis. Caeterum a laudatoribus maxima quaeque laus merenti aut immerenti condonatur. Ed. P. — *Candidus.* Lib. XIV, epigr. 137, cuius lemma, *lacernae albae*, docet in ludis theatralibus albatos omnes sedere; at secus erat in municipiis, ubi aedilibus solum concedebatur ludos cum tunicis albis spectare. Iuven. Sat. III, vs. 177 : *Aequales habitus illic similemque videbis Orchestram et populum; clari velamen honoris Sufficiunt tunicae summis aedilibus albae.*

5. *Cecidit repente caelo.* Inique tulerunt Dii pullis vestibus indutum assedisse Horatium ludis a Domitiano editis, et subita nive dealbatum hominem caeteris adsimilaverunt.

3. — DE NIVIBVS.

Aspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Caesaris, inque sinus.
Indulget tamen ille Iovi, nec vertice moto

De iisdem nivibus est hoc epigramma. Laudibus extollit Domitiani constantiam, qui decidente nive, immoto vultu ludos spectaret; et ultimo dicit se suspicari, a filio Caesaris, mortuo iam et consecrato, nives demissas fuisse ludi causa. *Ramir.*

1. Eleganter dicit nives *aquas tacitas*, quia decidentes non audiuntur, ut imber vel grando. Quin ipse hunc errorem corrigit ad Calpurnii eclog. II, 7. — *Tacitarum.* Quidam est aquae pluentis vel levissimae susurrus; ingruentis grandinis crepitus est resonans; muta et quasi nulla nivis murmura delabentis. Ed. P. — *Vellus. Qui dat nivem sicut lanam,* ait rex David in Psalm. Nivei enim flocculi, ut globi lanei, lapsu tacito et mollicula substantia vix suscitant aurem quum prope cadunt; vix offendunt tactum, quum super impluunt. Ed. P. — *Vellus aquarum.* Nix quam infra vocat *concretas aquas*, *siccas aquas*, quamque Graeci vocabant veteres ἐριῶδες ὕδωρ, id est, *aqua lanata.* Vide Eustath. ad Dionysium, et Arnob. II, 11.

3. *Indulget tamen ille Iovi.* Sensus est: sub dio perstat, et Iovem ningentem placide fert. Sic lib. I, epigr. 105, v. 3: *Indulgent patientiam flagello.* Alii, sed minus bene mea sententia, intelligunt: non cessat indulgere spectaculis in honorem Iovis editis. Ed. P. — *Indulget.* Quod hic Martialis de nive, hoc de imbre refert Suetonius in Domitiano cap. 4. — *Iovi.* Quaecumque fiunt in media regione aëris, Iovi tribuuntur: immo

Concretas pigro frigore ridet aquas,
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootae,
Et madidis Helicen dissimulare comis.
Qui siccis lascivit aquis, et ab aethere ludit,
Suspicor has pueri Caesaris esse nives.

pro ipsa regione sumitur Iupiter. Vid. Virg. Georg. lib. II, vs. 325: *Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.* Ed. P. — *Nec vertice moto.* Quasi nivem non sentiens. Ed. P.

4. *Ridet*, non curat, ut infr. epigr. 49, v. 41. *Farn.* — *Concretas pigro frigore.* Nix est aqua frigore concreta, multo aëre admixto; unde calidior est ac minus densa. Affirmat Plinius, lib. II, cap. 60, *grandinem conglaciato imbre gigni, et nivem eodem humore mollius coacto, etc.*

5. *Sidus Hiperborei, etc.* Huius versus et sequentis hic est sensus: Quod facit nunc Domitianus, ne mireris; ille enim, contra Cattos et postea Dacos ac Sarmatas paene puer profectus (Sueton. cap. 2), didicit sua patientia quasi fatigare vim frigoris, qua rigent plagae sub sidere septemtrionali positae; ille assuetus est nudum caput gelidis earum regionum, maguae ursae subiectarum, pluviis et nivibus obiicere, atque ita frigus humidum pati ac dissimulare, ut sensus expers videatur. Ed. P. — *Hyperborei.* Hyperboreus dicitur tractus ille qui Boreae septemtrionali vento obiicitur; a voce graeca ὑπέρ, *sub*; et Βορέας, *Boreas.* — *Lassare.* Non frigus lassat Domitiani patientiam, sed patientia Domitiani lassat frigus. Ed. P. — *Bootae.* Bootes seu Arctofilax sidus est septemtrionale proxime positum post constellationem, quae *Plaustrum* vocatur; ita ut plaustrum et boves agitare videatur; unde illi nomen Βοώτης, *bubulcus.*

6. *Madidis.* Nive vel gelido imbre. Ed. P. — *Helicen.* Fabulantur fuisse Helicen Iovis nutricem, quae idcirco fuerit ab illo in caelum adscita, et sideribus adscripta. Vrsa maior Helice vulgo appellatur, et nomen habet a verbo graeco ἑλίσσω, *volvo*, quia circa polum arcticum volvitur. Vrsa minor vocatur Cynosura. — *Dissimulare.* Se gerere quasi non sentiat.

7. *Siccis.* Concretis frigore nivibus.

8. *Pueri Caesaris.* Ne Iove irato decidisse nix videatur, adulatorie innuit nives has immissas a puero Domitiani, quem tulerat ex Domitia Augusta, nuper exstincto et in Deorum album relato. Hunc secundo Domitiani consulatu consecratum fuisse testatur Statius.

4. — IN BASSAM.

Quod siccae redolet palus lacunae,
Crudarum nebulae quod Albularum,
Piscinae vetus aura quod marinae,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardiacus quod evocati,

Bassam ait graveolentius foetere quam multa in rerum natura quae foetent graveolentissime; quorum quidem comparativam facit enumerationem sibi familiarem et frequenter usurpatam.

1. *Quod siccae, etc.* Ordo est: mallem olere quod paludes siccae et foetentes lacunae olent, quod olent Albulae, etc..... quam olere, Bassa, quod oles. — *Quod siccae redolet palus lacunae.* Lacuna est fossa sive cavus aqua stagnante plenus (gallice *mare*); lacuna vero, si exsiccatur, in paludem se convertit, id est, in lutosum uliginosumque alveum, qui vel ob animalia ibi mortua et herbas putrescentes, vel ob recoctum ardente sole coenum, vapore foetet graveolenti. Ed. P.

2. *Crudarum nebulae quod Albularum.* Ad planitiem Tiburi subiectam scaturiunt aquae salubres, hodie *bagni di Tivoli*, quae in Anienem fluvium devolvuntur, et a colore lacteo quem a venis habent sulphureis, Albulae dicuntur. Nebulae autem, seu vapores ex illis aquis emissi, ob sulphur male olebant. Has autem nebulas vocat *crudas*, vel eo quod aquae eiusmodi referant gravitatem ac veluti duritiem metallorum et fossilium aeris, ferri, sulphuris, a quibus vim suam habent, et per quae veluti per colum transmittuntur; vel, ut placet Ramiresio, propterea quod illae nebulae mane excitantur, antequam solis radiis veluti decoquantur aquae, et matutino tempore sunt veluti crudae, id est, non coctae solis ardore; nam calor meridiei discutit nebulas illas atque etiam illarum graveolentiam.— Quamvis hae sint ingeniosae explicationes, malim existimare crudas vocari aquas propter durum et ingratum quasi metalli saporem; vel per hypallagen, quia cruditates earum potatoribus ingerunt; vel etiam propterea quod olera et alia alimenta nequeunt in his concoqui. Ed. P.

3. *Piscinae vetus aura.* Id est, quod vetus piscina redolet in qua sunt aquae marinae. — *Piscinae vetus aura quod marinae.* Hic *vetus aura* per hypallagen sumitur pro *aura veteris* piscinae marinae. — *Piscinae.* Gallice *vivier.* His aliquando pro balneis Romani utebantur. Ed. P. — *Aura.* Vapor qui emittitur ex piscina. Ed. P. — *Marinae.* Piscina in qua essent undae fontanae vel fluviales, sed corruptae, male oleret; peius autem piscina, in qua corruptae stagnarent aquae marinae, quae crassiores caeteris. Ed. P.

4. *Quod pressa, etc.* Sic supra lib. III, epigr. 93, vs. 11, de Vetustilla: *Et illud oleas quod viri capellarum.* — *Piger.* Hirci non est epitheton *piger* perpetuum quum hirci velocissimi et inquieti sint; sed piger est quando in coitu diutius immoratur.

5. *Lassi bardaici os, quod exoletı*

Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod ieiunia sabbatariorum,
Moestorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcae moriens lucerna Ledae,
Quod ceromata faece de Sabina,

Beverlandi Ms. quae lectio debetur Turnebo. *Lasi bardiacus quod evocati* legunt alii. — *Lassi bardiacus quod evocati.* Bardiacus erat sordidum vestis genus, qua utebantur contra caeli inclementiam milites; sive a Bardis Gallorum cantoribus, sive a Bardaeis, Illyriae populis, quorum opera ad crudelia ministeria sua, Plutarcho teste, usus est Marius, dictum. Haec vestis, si cucullo munita foret, vocabatur Bardocucullus: diximus autem lib. I, epigr. 54, vs. 4, Bardocucullum fuisse villo crassiori sordidum et oleo unctum, atque ideo iam per se male olentem. Evocatus vero erat miles veteranus emeritusque, qui difficillimis temporibus rogabatur iterum militare, et per literas vel nuncios *evocabatur* ex otio suo; aut ducis vel mercedis gratia nova volens stipendia merebat. Hunc vocat *lassum* Martialis, scilicet *senectute et diuturna militia defatigatum*, ut multis placet; aut, quod ego libentius intelligerem, *via defessum ac sudantem*: illi igitur veterani, incompti hirsutique, iam per se male olebant: gravius per sudorem laboremque; duplicique illi odori commiscebatur odor bardocuculli vel *bardiaci* quo induebantur, vestibus ad utilitatem potius quam ad decorem utentes, et quidem parce, nec saepe eas mutantes, ut senes rei familiari attentiores conservandae. Eo. P. — Georgius legit, *Lassi bardaici os quod advocati.* Bardaicus autem, inquit, erat patronus, qui post peroratas diutius causas gravem emittebat halitum. Illius meminit Iuven. sat. XVI, 13: *Bardiacus iudex datur haec punire volenti.*

6. *Bis murice.* Lib. I, epigr. 50, v. 32: *Olidaeque vestes murice.* Male olebant vestes purpureae propter lotium fortasse quo temperabatur purpura, quod innuere videtur Plin. IX, cap 34; et hoc nomine Philaenim purpureis delectatam vestibus arguit lib. IX, epigr. 63, vitii non absimilia illius quod Baetico obiicit lib. III, epigr. 76. Vide et Turneb. Advers. lib IX, cap. 5.

7. *Ieiunia sabbatariorum, etc.* Iudaei sabbata religiosissime colebant et dies septimanae a sabbato numerabant. *Faetentes* Iudaeos appellat Ammianus Marcellinus, lib. II, ob ieiunia quae quidem religiosius observabant: ieiunia autem haud raro foetet anima.

8. *Reorum.* Cura et angore animi avocatur alio stomachi calor, unde minus coquuntur cibi: ex ea autem cruditate anima putris oritur: nihil autem homine reo tristius.

9. *Moriens.* Recens aut nondum exstincta. — *Ledae.* Quam posuit pro quavis meretrice prostante ad lucernas. Iuvenalis sat. VI, 132, de Messalina: *Obscurisque genis turpis, fumoque lucernae Foeda, lupanaris tulit ad pulvinar odorem.* Vid. Hor. sat. VII, lib. II.

10. *Ceromata.* Ceroma unguentum erat crassum ex oleo et luto confe-

Quod vulpis fuga, viperae cubile,
Mallem, quam quod oles, olere, Bassa.

etum, quo luctantes ungebantur; si ex oleo Sabino, quod erat deterius, confectum erat, pessime olebat; quid autem si constaret ex faece vel amurca?

11. *Vulpis fuga.* Vulpis *fuga* per metonymiam dicitur pro lotio quod effundit *fugiens* vulpes, cuius foetore canes avertit persequentes, adeo pestilenti ut solum quod contingit, sterilescat.

12. *Quam quod oles, etc.* Ills omnia a corruptione, natura aut casu; tu ab interno, nec nominando vitio graveolentiam hanc contraxisti.

5. — AD FABIANVM.

Vir bonus et pauper, linguaque et pectore verus,
Quid tibi vis, Vrbem qui, Fabiane, petis?
Qui nec leno potes, nec comissator haberi,
Nec pavidos tristi voce citare reos:

Iam lib. III, epigr. 38, induxerat Sextum quemdam Martialis, quem, per bonas artes Romae vivere meditantem, dissuaserat, dinumeratis bonis artibus quibus in urbe fames tantum et contemptus; nunc idem argumentum tractat, et Fabianum, ad malas artes inhabilem, dissuadet ne Romae vivat, enumeratis malis artibus, quibus tantum Romae locus. Ed. P.

1. *Linguaque et pectore verus.* Id est, cuius verba cum mente simpliciter consentiunt, quod est viri candidi bonique. Ed. P.

2. *Quid tibi vis Vrbem, etc.* Quae mens est tua quum petis urbem de qua sic Petronius sub nomine Crotonae: *Quoscumque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos; nam aut captant aut captantur* (*gallice* ils sont dupes ou fripons).

3. *Qui nec leno potes, etc.* Sic Iuvenal. sat. III: *Quid Romae faciam? mentiri nescio; librum, Si malus est, nequeo laudare et poscere; motus Astrorum ignoro; funus promittere patris Nec volo, nec possum; ranarum viscera nunquam Inspexi: ferre ad nuptam quae mittit adulter, Quae mandat, norint alii; me nemo ministro Fur erit; atque adeo nulli comes exeo tanquam Mancus, et exstinctae corpus non utile dextrae.* — *Qui nec leno.* Qui nec prostituere servos, servasque ad quaestum potes, etc. — *Comissator haberi* Gulo immodicus et popino. — *Haberi.* Adhiberi.

4. *Nec pavidos stricta.* Pulmannus. — *Nec pavidos tristi, etc.* Id est, nec potes esse praeco, cuius officium et valde quaestuosum, erat reos in ius vocare: praecones erant perfricta fronte; et fere scurrae, ut colligitur ex oratione Ciceronis pro Quintio, atque ex Nostro lib. I, epigr. 86. Hi autem homines erant plerumque

Nec potes uxorem cari corrumpere amici :
 Nec potes algentes arrigere ad vetulas;
Vendere nec vanos circa Pallatia fumos;
 Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.
Vnde miser vives? homo fidus, certus amicus.
 Hoc nihil est: nunquam sic Philomelus eris.

ex gente horum Liburnorum de quibus mentio fit lib. I, epigr. 5, v. 33. Ed. P.

6. *Nec potes algentes*, etc. Quae optima summi *Nunc via processus*, teste Iuvenale sat. I, vs. 39. — *Algentes.* Vt erat Vetustilla, lib. III, epigr. 93, vs. 16 et 17: *Quum bruma mensem sit tibi per augustum, Regelare nec te pestilentia possit.* — *Arrigere ad*, etc. Vt poterat Bassus supr. lib. III, epigr. 76; veteratores enim et avari iuvenes solebant sollicitare divites vetulas, ut multis in locis dictum est. *Ramires.*

7. Alii legunt, *vanos circum Pallatia fumos.* — *Vendere nec vanos*, etc. Vt solent aulici, qui, commendationis officia mentiti, principis gratiam accepto pretio vendunt. Vel intellige versiculos adulatorios lepidasque fabulas narrando, pecuniam ab aulicis vel principe erogare: prior sensus magis mihi placet. — *Fumos.* Fumos vendere est res inanes, mendacia promittere. Alexander Severus, Romanus Imperator, quum audisset aulicum adulatorem quemdam, nomine Thurinum Voconium, magnas opes collexisse, homines principi, sicut aulici factitant, commendando, eum lignis humidis et fumo necari iussit. *Pereat*, inquit, *fumo qui fumos vendidit.* Vid. de Zotico, Lamprid. in vita Heliogabali, et in vita Alexandri Severi.

8. *Cano.* Canus celebris fuit choraules, cui (teste Suetonio, Galba c. 12) Galba, licet homo avarissimus, dicitur *mire placenti denarios quinque donasse, prolatos manu sua e peculiaribus loculis suis.* Ed. P. — *Glaphyro.* Glaphyrus citharoedus, de quo Iuvenal. sat. VI, vs. 76: *Accipis uxorem, de qua citharoedus Echion, Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.* (γλαφυρός, *elegans*). Citharoedi autem et choraules erant summo in pretio, hac tempestate, in Vrbe, vid. lib. III, epigr. 4, vers. ultim. lib. V, epigramm. 56, vs. 9, etc. ditissimique fiebant. Igitur Fabianus ditescere posset, si opulentis illis viris plaudendo, munera ab iis erogaret; vel forte intellige tantum Fabianum non posse plaudere citharoedis, ut faciunt leviculi Romani, ita ut gravi huic homini vanos inter homines nullus sit locus, nulla ad ditescendum via. Ed. P.

9. *Homo fidus, certus amicus.* Fides, amicitia, probitas viliores alga sunt, nihil ad rem faciendam iuvant. Ex persona Fabiani dicentis: *homo sum fidus, certus amicus*, ab omnibus probabor: respondet haec ad rem parum facere. Sic supr. lib. III, epigr. 38, vs. ultimo, *Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.*

10. *Numquam sic Philomelus eris.* Numquam fies dives: Philomelus citharoedus erat ditissimus, ut apparet ex lib. III, epigr. 31, vs. ult.: *Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.*

6. — IN MALISIANVM.

Credi virgine castior pudica,
Et frontis tenerae cupis videri,
Quum sis improbior, Malisiane,
Quam qui compositos metro Tibulli,
In Stellae recitat domo libellos.

Malisianum, vel ut alii volunt, Massilianum, qui simulabat pudicitiam et castitatem, quum improbus omnino esset, acriter carpit, et comparat cum quodam elegiarum recitatore improbissimo. *Ramir.*

1. *Virgine castior.* Proverbium est, gallice, *sage comme une demoiselle.*

2. *Frontis tenerae.* Impudentes, improbi, durae frontis vulgo esse dicuntur: modesti vero et casti, *tenerae*, quia facile erubescunt, vel quia similes sunt infantibus, quorum frons mollis et tenera.

4. *Quam qui compositos, etc.* Hic recitatorem quemdam perstringit, cuius nomen quaesiverunt interpretes: hoc intelligi voluerunt de Argino, formoso Stellae puero, de quo lib. VII, epigr. 15, qui domini versus recitare atque assidue cantillare soleret. Quum autem nihil hoc probare possit, et inutilis sit investigatio, quidquid volet lectorem censere sinemus. Ed. P. — *Metro Tibulli.* Elegiaco vel puro iambico, quo Tibullus et priapeia quaedam scripsit. — *Tibulli.* Tibullus eodem quo Ovidius anno, id est, 711 ab Vrbe condita, est natus.

5. *In Stellae recitat domo.* Stella, de quo mentio apud Statium, et apud Nostrum lib. I, epigr. 8, etc. domum suam, pro more divitum, recitantibus commodabat, ut Fronto, Iuven. sat. I, et Maculonus, Iuvenal. satir. VII. Pauperiores has non commodabant, sed conducendas dabant; auditoriumque exstruebatur instruebaturque conductis subselliis. Iuven. ibid.

7. — AD HYLLVM.

Cur here quod dederas, hodie, puer Hylle, negasti?
Durus tam subito, qui modo mitis eras?
Sed iam causaris barbamque, annosque, pilosque:
O nox, quam longa es, quae facis una senem!

Accusat Hyllum puerum inconstantiae, qui, quod uno die dederat, sequenti negavit; causabatur annos barbamque, quae emeritum iam facere debebant eum. Hoc factum esse una nocte ridet poëta. *Ramir.*

1. *Quod dederas, etc.* Tui copiam: nisi malis esse tantum unam basiationem, quam ei pridie libenter dederat recens a tonsore laevigatus. Ed. P.

3. *Barbamque, annosque, pilosque.*

Quid nos derides? here qui puer, Hylle, fuisti,
Dic nobis, hodie qua ratione vir es?

Quae te emeritum reddiderint.

5. *Puer, etc.* Scilicet viriles insultus patiendo.

6. *Vir es.* Faciendo.

8. — AD EVPHEMVM.

Prima salutantes atque altera conterit hora;
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palaestris;

Petit ab Euphemo exstructore mensae Domitiani, ut sua carmina legi iubeat Imperatori, commodissimo tempore, id est, hora coenae, quum iam coeperit incalescere mero: quod ut faciat, praemittit horarum ante coenam totius diei distributionem. *Ramires.*

1. Pulmannus, *atque altera destinet hora;* alii, *continet hora.* — *Salutantes.* Si hoc epigramma aequinoctiali tempore fuisse scriptum putamus, tum dicemus horam primam et secundam fuisse hoc tempus quod, apud nos, e sexta hora matutina sonante, usque ad octavam sonantem numeratur: et ambae clientibus patronos salutantibus erant destinatae. Vide lib. III, epigr. 36, vs. 3; et Iuvenal. sat. I: *Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum: Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo, etc.* Ed. P. — *Conterit.* Fatigat, et vestes, calceosque terere cogit. Ed. P.

2. *Tertia.* Hoc spatium temporis, agendis foro causis destinatum, illud est quod, apud nos, ab octava sonante usque ad nonam sonantem extenditur Ed. P.

3. *In quintam.* Id est, apud nos, ex nona hora sonante, usque ad meridiem sonantem, quidquid est Romae opificum suis vacat laboribus, et aula alii homines negotiis. Ed. P.

4. *Sexta quies lassis* Sexta sonante, id est, apud nos, sonante meridie, non omnes, sed tantum minus robusti ac opere iam fatigati quasi interiungunt et paululum quiescunt, laborem deinde repetituri usque ad septimam qua finitur: septima hora incipit prima post meridiem hora apud nos sonante. Ed. P. — *Septima, etc.* Quum in hoc epigrammate nulla fiat lavationis mentio, putat Ramiresius septima incipiente Romanos laborem vel quietem a sexta incoeptum finire, et a septima usque ad octavam, id est, apud nos a prima hora post meridiem sonante ad secundam sonantem, quosdam lavari; licet hoc non fuerit omnium, delicatis serius lavantibus. Vid. lib. X, epigr. 48; lib. II, epigr. 53, etc. Ed. P.

5. *Sufficit in nonam.* Ab octava ad nonam, id est, a secunda post meridiem sonante usque ad tertiam sonantem, palaestritae se exercebant,

Imperat excelsos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat ambrosias quum tua cura dapes;
Et bonus aethereo laxatur nectare Caesar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Iovem.

quorum exercitationi aderant multi spectatores; erat quoque illud tempus aliarum exercitationum, atque balneorum, quorum aestate octava, hieme nona erat hora. Eo. P.

6. Alii *Exstructos.* Forte *excelsos sternere nona toros;* sic enim loquuntur Ovid. Vide quae annotavimus ad lib. II, epigr. 59. — *Imperat excelsos.* Nona hora erat hora coenae: tertiae post meridiem sonanti apud nos respondet. Eo P. — *Frangere.* Lectos sternere, et toros compositos disturbare iis insidendo, id est, coenare. Nona quidem aestate; hyeme decima. Licet dies tunc non esset finitus, qui ante legitimam hanc horam coenare incipiebant, dicebantur *coenare de die*; et male audiebant propter intemperantiam. Catull. epigr. 48: *Vos convivia lauta sumptuose De die facitis*; et Iuven. sat. I: *Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis Iratis.*

7. *Hora libellorum.* Inter pocula versus legere moris erat; Euphemus vero structor mensarius Imperatoris ille fuisse videtur.

8. *Temperat ambrosias.* Hoc est, divinas. Domitianus enim deum se appellari iubebat, atque ita ambrosiae deorum dapes ipsi conveniebant, sicut versu sequenti aethereum nectar.

9. *Laxatur.* Recreatur, curis omissis.

10. *Pocula parca.* Domitiano assentatur, quam parce bibere innuit, et voces *ingenti* et *parca* inter se per antithesim opponit. — *Ingenti manu.* Vide supra epigramm. vs. 6. Eo. P.

11. *Tunc admitte.* Hoc est, tum libros meos Domitiano offer. — *Gressu timet.* Festiva mea Musa matutino tempore coram Domitiano iocari intempestive non audet, quippe qui tunc rebus seriis occupetur. Vid. lib. X, epigr. 19.

12. *Thalia.* Musa quae iocorum (θάλλω, *floreo, laetor.*)

9. — IN FABVLLAM.

Sotae filia clinici, Fabulla,
Deserto sequeris Clitum marito,
Et donas, et amas, ἔχεις ἀσώτως.

2. *Clitum.* Moechum.

3. *Donas.* Eum muneribus donando omnes tuas divitias disperdis. — Ἔχεις ἀσώτως. In hac voce ludit Poëta,

quum dicit Fabullam esse filiam clinici Sotae, id est, medici qui aliis salutem restitueret: σώζω enim *servo*: illam tamen perdite se habere, quum bona omnia effunderet, et luxuriose viveret. *Sotae es filia*, inquit, et *asota es*, hoc est, prodiga et luxuriosa. De medico clinico dictum lib. I, epigr. 31. Aristoteles lib. IV, ad Nicomachum, c. 1: Ἄσωτος γὰρ ὁ δι' αὑτὸν ἀπολλύμενος: *Asotus enim est qui se ipsum perdit.* — Ramiresius ait tres esse sensus in quibus ludat Poëta: quum *asota* significet simul haec: *non filia Sotae, prodiga*, et *desperatae salutis*, ita ut pater tuus, qui σωτὴρ est, id est *servator*, non possit te saluti restituere in perniciem certissimam ruentem; qui enim omnia perdidere, ii videntur quasi mortui. Vid. lib. IX, epigr. 83.

IO. — AD FAVSTINVM.

Dum novus est, neque adhuc rasa mihi fronte libellus,
  Pagina dum tangi non bene sicca timet:
I puer, et caro perfer leve munus amico,
  Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus; comitetur Punica librum
  Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non posssunt nostros multae, Faustine, liturae
  Emendare iocos: una litura potest.

Recens compositum opus Faustino familiari suo mittit, quod, velut parum luce dignum, non stylo verso passim emendandum, sed totum spongia modeste ait delendum.

1. *Neque adhuc rasa.* De iis quae ad librorum ornamenta pertinerent, dictum est lib. I, epigr. 67.

2. *Pagina dum tangi; etc.* Oh recens minium et pigmenta quibus ornabantur libri.

5. *Instructus.* Noli omittere egregium instrumentum, rem valde necessariam, nempe spongiam qua mea carmina deleantur. — *Comitetur Punica.* Spongia optimi generis, cuiusmodi sunt spongiae Africanae, de quibus Plinius lib. IX, cap. 45, quae generantur in Syrtibus, et a medicis ad fomenta praeferuntur.

8. *Vna litura potest.* Quae scilicet omnia mea carmina, utpote prorsus mala, deleat. Sic modeste deprimit se poëta. — *Vna litura.* Aliquando enim Veteres in membranis ita scribebant aliquo pigmento et liquido colore, ut delebiles essent spongia uda characteres. Hoc praesertim faciebant quum primas meditationes in codicillis seu pugillaribus inscriberent, si probarent deinde transcribendas, si improbarent spongia delendas. Vnde locus Augusti, cap. 85, apud Sueton. et Macrob. lib. II Saturn. cap. 4, qui quum inchoasset Aiacem tragoediam, eamdemque non placitam sibi delevisset, interroganti Lucio quid ageret: *Aiax*, inquit, *in spongiam incubuit.* — Caeterum vulgo utebantur Veteres tabulis

manualibus cera obductis ad scribendum, in quibus graphio, seu stylo ferreo cuius pars ima erat acuta, summa vero plana et lata, quasi incidebant litterulas, et imprimebant molli cerae; easdem vero delebant ceram complanando suprema graphii parte. Horatius, Satirarum libro I, 10, vs. 72: *Saepe stylum vertas.*

II. — IN ANT. SATVRNINVM.

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te, miser, esse pudet:
Impia Parrhasia movisti bella sub Vrsa,
Qualia qui Phariae coniugis arma tulit.
Excideratne adeo fatum tibi nominis huius,
Obruit Actiaci quod gravis ira freti?

Insultat Lucio Antonio Saturnino, Germaniae superioris praesidi, qui, sive propria ambitione superbiens, ut ait Martialis, sive Domitiani saevitia atque verborum iniuriis, quod se ab eo scortum appellare sciret, accensus, bellum civile, pertractis in suas partes Barbaris, corripuit. Sed hunc rerum tumultum sedavit Domitianus, ut ait Suetonius cap. 6. Ed. P.

1 *Vano tumefactus nomine.* Id est, Antonii. Duo nomina mali ominis gerebat iste Lucius, siquidem et Saturninus vocabatur, et Antonius. Lucius Apuleius Saturninus, tribunus plebis rebellis et contumax, dum res novas moliretur, interfectus fuit anno ab Vrbe condita fere 645. Vide Florum lib. III, cap. 16: Antoniusque ille triumvir, qui totum orbem cum Lepido et Augusto diviserat, tristissimum fatum deinde habuit, quum prope Actium victus, Cleopatram fugientem in Aegyptum sequutus est, ubi ambo sibi necem consciverunt; sed ille, de quo Martialis loquitur, Saturnini nomen quasi vile reiiciebat, et Antonii triumviri potius quam Antonii morientis memor, eius nomine ita gaudebat ut imperium orbis se assequi posse crederet. Ed. P.

2. *Et Saturninum.* Non inferiorem dignitatem ut Saturninus, sed imperium Orbis terrarum, ut Antonius, affectas. Ed. P.

3. *Parrhasia sub Vrsa.* Hoc est, in Germania, quae spectat Septemtrionem; Vrsa Parrhasia dicitur a Parrhasia Arcadiae urbe, ex qua nata erat Callisto, a Iove amata, et in ursae celestis sidus, quod ad Septemtrionem fulget, commutata. Arcadia, Graeciae pars, in media Peloponneso, dicta quoque est Parrhasia, a Parrhaso Lycaonis filio.

4. *Qualia qui Phariae, etc.* Sensus est: Bellum civile commovisti quale commovit ille Antonius in gratiam uxoris suae Cleopatrae, a qua omnes Aegypti vires, opes, classesque acceptas contra Romam explicavit. Ed. P. — *Phariae coniugis.* Pharos insula erat Aegypti.

5. *Excideratne adeo.* An oblitus eras quam tristi fato is qui gerebat nomen unde superbis, perierit?

6. *Obruit Actiaci, etc.* Metonymia

An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, et Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis,
Qui tibi collatus, perfide, Caesar erat.

pro, quod obroit Actiacum fretum, graviter iratum Caesarem vehens. — *Actiaci.* Actium, Epiri urbs et promontorium, *Capo Figalo*, ad os sinus Ambracii, prope quod Aotonium et Cleopatram praelio navali vicit Augustus.

7. *An tibi.* Sensus est: Si Aegyptus, provincia ditissima, Antonio victoriam suppeditare nequivit, quas tibi vires submioistrabit superior Germania? — *Rhenus.* Mallem, pro Rheno posuisset Danubium, ad quem pugnatum est ax Suet. *Rader.*

8. *Arctois aquis.* Fluviis Germaniae ad Septemtrionem positis et ursae celesti, quae graece ἄρκτος dicitur, subiectis.

9. Pro *ille etiam*, Gruterus mallet, si liceret per membranaceos, *Ille tamen.* — *Nostris.* Caesarianis. Priscorum Caesarum laudis quasi haeres est Domitianus.

10. *Qui tibi collatus, etc.* Qui tecum comparatus, Caesar dici poterat; qui tantum te superavit, quantum Augustus Aotonium.

12. — IN THAIDEM.

Nulli, Thai, negas: sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat, Thai, negare nihil.

Eamdem Thaidem, omnia turpitudinum genera pati solitam, et corporis obvio cuilibet amatori facientem copiam, carpit, quam infr. epigr. 50 et 85.

13. — AD RVFVM, DE NVPTIIS PVDENTIS ET CLAVDIAE PEREGRINAE.

Claudia, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti:
Macte esto taedis, o Hymenaee, tuis!

Pudentis, de quo meotio lib. I, epigr. 32, et infinitis aliis locis, nuptias cum Claudia Peregrina, de qua nihil reperi, brevi celebrat epithalamio, et ideo felices futuros esse sperat, quod par pari iungatur, atque omnimodo decens fiat hymenaeus. Eo. P.

2. *Macte esto.* Felix et bonus adsis, o Hymenaee, cum tuis taedis; gratulor tibi ob istas nuptias a te conciliatas. — *Macte.* Ea vox nihil aliud quam felicem adprecationem et hortationem sonat. Olim dicebatur *maetus* per syncopen pro *magis auctus*, id est, nova cuiusdam rei ac-

Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
  Massica Theseis tam bene vina favis.
Nec melius teneris iunguntur vitibus ulmi,
  Nec plus lotos aquas, litora myrtus amat.
Candida perpetuo reside, Concordia, lecto,
  Tamque pari semper sit Venus aequa iugo.
Diligat illa senem quondam: sed et ipsa marito,
  Tunc quoque quum fuerit, non videatur anus.

cessione, praesertim honoris causa, cumulatus; hinc venit vox *mactatus* quae de hostiis immolatis dicta fuit, quia thure et farre *magis augebatur*, cumulabaturque hostia. Quando Superis doni quidpiam offerebant, utebantur his vocabulis conceptis: *Macte esto*, exempli gratia, *his floribus, o Apollo!* id est, colo te et veneror his floribus, qua in locutione vocativus *Macte* pro nominativo usurpatur, ut saepe factitant Latini. Interdum adverbii more ponitur, sicut Livio, lib. II: *Iuberem macte virtute esse.* — *Hymenaee.* Nuptiarum praeses, Ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ ναίειν ὅτε οὖν, συνοικίζεται ἀνὴρ γυναικί· vel a membranula illa, quae virginibus in primo veneris aditu rumpitur. Alii ad historiam de Hymenaeo quodam Argivo referunt, et ab eius (quod virginibus Atticis a Pelasgis raptis praestiterat) subsidio, institutum ferunt hymnum, qui *hymenaeus* dicitur, qualis Romanis *thalassio*. Vide lib. I, epigr. 36, vs. 6. *Farnab.*

3. *Tam bene rara, etc.* Quam suaviter miscentur nardo cinnama, tam feliciter iungitur Claudia Pudenti. — *Rara.* Pretiosa — *Suo* Cui scilicet quadam felici necessitudine iucunde coniungitur. En. P. — *Cinnamo.* Cinnamum est odoratus frutex, sive unguentum ex eius succo factum. Arbuscula est eadem atque cinnamomum; nascitur in Aethiopia; quidam id esse putant quod vocamus Galli *de la cannelle*. *Nardus* quoque frutex est odoratus.

4. *Massica Theseis.* Ex melle et vino mulsum conficiebatur, potio videlicet antiquis gratissima: *favos Theseos* dicit pro Atticis, quia Theseus regnavit in Attica. Significat tam feliciter coniungi mel Hymettium vino optimo, quam Pudentem Claudiae.

6. *Lotos.* Arbor est aquis gaudens, cuius fructus dulcissimus, adeo ut Homerus dicat socios Vlyssis eo gustato noluisse in patriam redire; hinc proverbium: *Loton gustavit.* — *Litora myrtus.* Myrtos nasci in maritimis locis experientia docet; in montosis autem et mediterraneis non proveniunt.

7. *Candida perpetuo residet* Ald. Iunt. Colin. Gryph. etc. — *Concordia.* Deam intellige Concordiam, cui templum erexit Vespasianus. Iuven. Sat. I: *Quaeque salutato crepitat Concordia nido.*

9. *Diligat ipsa.* Edd. vett.

14. — AD SILIVM.

Sili, Castalidum decus sororum,
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosque
Astus Hannibalis, levesque Poenos
Magnis cedere cogis Africanis:
Paulum seposita severitate,
Dum blanda vagus alea December

Ad Silium Italicum, poëtam satis notum, mittit sua carmina Martialis; et ab eo, laudato prius, petit ut suam deponat severitatem ad legendos lascivos libellos; quod quidem illi suadent Saturnalium dies.

1. *Sili*. Silius Italicus, poëta, Virgilii imitator assiduus, piusque adeo cultor, ut eius diem oatalem religiosissime celebraret, et sepulcrum, tanquam aram, inviseret saepius, metro heroico scripsit bellum Punicum secundum. Eo. P — *Castalidum*. Musae dicuntur Castalides a virgioe Castalia, quaa Apollinem fugiens ad radices Parnassi io fontem a se Castalium dictum, et Musis sacrum, versa est.

2. *Qui periuria, etc.* Perfidi vulgo ac foedifragi Poeni sunt habiti, ut ipse testatur Silius Italicus initio primi libri: *Ter Marte sinistro Iuratumque Iovi foedus, conventaque patrum Sidonii fregere duces.*

3. *Ingenti ore*. Sonoro et oohili carmine. — *Premis*. Exagitas, versu severo iocrepas.

4. *Levesque Poenos Magnis cedere cogis Africanis*. Id est, canis, et graphice depingis quemadmodum coacti fuerint cedere Scipionibus; est poëtica metonymia, qua dicuntur poëtae facare id quod canunt factum: ποιητὴς enim graece significat *factor, qui facit*. Sic et Virgilius, In Moeri, vs. 49: *Quis humum florentibus herbis Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra?* et Horatius, in Sat. lib. I, 40: *Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona.*

5. *Magnis cedere*. Scipio enim maior, Africanus cognominatus, vicit soperbum Hanoibalem, atque Carthaginieoses coëgit pacem a Romanis petere: fuit et alter Scipio ob eversam Numantiam dictus Numantinus, qui Carthagine fonditus deleta, Africanus minor dictus est: quas res gestas cecioit Silius. Vid. lib. II, epigr. 2, vs. 2.

6. *Deposita severitate*. Deposito illo operum severiorum acriore studio.

7. *Dum blanda vagus, etc.* Dum cives Saturnalibus licentiores et vagi discurrunt, talisque ludunt. — *Blanda*. Quod lusores blande alliciat spe lucri aut recreationis. Eo. P. — *Alea*. Est alea ludus omnis in quo multum fortunae, prudeotiae minimum (gallice, *jeu de hasard*); unde abiere in proverbium haec verba, *iacta est alea*, quae Caesar dicitur pronuotiasse antequam Rubiconem traiiceret. Hic pro *talorum* ludo taotum alea sumitur. — *December*. Quo mense, propter

Incertis sonat hinc et hinc fritillis,
Et ludit popa nequiore talo,
Nostris otia commoda Camoenis.
Nec torva lege fronte, sed remissa
Lascivis madidos iocis libellos.

Saturnalium licentiam, ludis maxime indulgebant Romani. En. P.

8. Beverlandi Ms. *hinc‸et inde.* — *Incertis sonat hinc et inde fritillis.* Fritillus erat lignea quaedam turricula rotunda, In‸quam *tali* demittebantur, in ea versati rotatimque inde excussi, ne scilicet possent digitis ita componi, ut caderent ad lacentis voluntatem, quod hodieque fit: Ideoque addidit epitheton *incertis*, quod iactatus per fritillum non sit aleatori certus, ut solet aliquibus‸esse per manum. Fritilli usum et manus improbitatem testatur Martialis lib. XIV, epigr. 16, de turricula seu fritillo: *Quaerit compositos manus improba mittere talos? Si per me misit, nil nisi vota facit.* Horatius II, Sat. 7: *Qui pro se tolleret atque Mitteret in pyrgum talos.* Turnebus lib. XXVII, cap. 3. Turriculam et fritillum distinxit Suidas: idem tamen videtur, quum scribit Martialis de turricula lib. XIV, epigr. 16. Seneca, de ludo Claudii: *Nam quoties missurus erat resonante fritillo Vtraque subducto fugiebat tessera fundo.*

9. *Et ludit rota* ed. antiqu. Ferrar. ann. 1471. Qui *rota* legunt interpretantur, aleatorum circumstantium corona. — *Et ludit popa nequiore talo.* Popae erant sacrificuli seu sacrorum in caedendis victimis administri‸vulgo vafri homines et nequam. Illi igitur, Saturnalium diebus, talis ludebant, sed talis nequioribus, id est, non fortunae tantum arbitrio permissis in fritillo, sed ad manum iactis, ita ut dolo locus esset. En. P. — Brodaeus legendum censet *tropa* e loco Pollucis lib. IX: *Ludi genus*, inquit Pollux, *quae tropa dicitur, vulgo fit, talis immissis in scrobem ad eos commode excipiendos comparatam.* — Alii legunt *rota*: Raderus intelligit ipsum *fritillum* dici *rotam*, quia rotundus fritillus velut turricula, ex qua intus gradatim aspera tali excutiebantur: quare autem dicat *nequiore talo*, non mihi compertum est, nisi forte, quod tali pruriginem libidinis excitent, ut docet Iunius, Animadv. lib. IV, cap. 13; et lib. II, cap. 4, quod talis lusum est pro foeminis. Ramiresius hunc versum a nemine intellectum, ut ait, intelligere se putat hoc sensu. *Rotam* accipit pro corona aleatorum, quam sic vocat Martialis a similitudine rotarum: sedebant enim aleatores in orbibus quos cingebant omnes circum. — *Nequiore talo.* Hoc est, talia manu iactis sine fritillo, in quo iactu manus improba compositiones et nequitias patrare potest; ita ut aleatores alii, ut in versu praecedenti, fritillis uterentur, alii manu luderent. Iudicet lector. — *Talo.* Talus est apud Latinos quem a Graecis vocant astragalum.

10. *Nostris otia, etc.* Aliquid otii tribue legendis meis versiculis.

12. *Madidos.* Liberioribus iocis tinctos.

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

13. *Tener.* Propter molles et amatorios versus. — *Ausus est Catullus.* Aetate Virgilium praecessit Catullus, cuius carm. III est de passere mortuo Lesbiae; ideo non potuit mittere carmen Virgilio, sed hoc fingit Poëta, ut se cum Catullo aequiparet, Silium autem cum Virgilio, quem diligenter imitatus est, conferat. De passere Catulli vide lib. I, epigr. 8. Mallet legere Schrevelius, *ausus et Catullus,* hac mente: Sic forte etiam Catullus si vixisset coaevus Virgilio, ut tibi ego, ausus fuisset mittere suos hendecasyllabos.

15. — AD CAECILIANVM.

Mille tibi nummos hesterna luce roganti,
In sex aut septem, Caeciliane, dies,
Non habeo, dixi: sed tu causatus amici
Adventum, lancem paucaque vasa rogas.
Stultus es? an stultum me credis, amice? negavi
Mille tibi nummos: millia quinque dabo?

Caecilianum quemdam irridet Poëta, quinque millia (hodie nostrae monetae 890 franc.) petentem, quum mille (356 franc.) sint negata. Ed. P.

1. In edd. vett. *hesterna nocte,* et sic Langius et Raderus. Hic autem ita lectionem suam fulcit: *Servo hanc scripturam cum docto Gontio. Hospites ad vesperam, vel etiam noctem advenire solent, et docet hoc Christus apud Lucam. Caecilianus, tempore usus, venit noctu, ut necessitatem ostenderet et facilius falleret.* Tota res est ficta; Martialis ipse vix mille nummos habuit.

2. *In sex, etc.* Post sex aut septem dies redditurus, ut aiebas.

3. *Non habeo.* Negabat Poëta, forsan habens, ne malefido creditos perderet. Ed. P.

6. *Millia quinque.* Id est, vasa empta quinque nummorum millibus, quae nunquam mihi redderes.

16. — IN GALLVM.

Privignum non esse tuae te, Galle, novercae

Criminationem continet hoc epigramma in Gallum quemdam, quod rem cum noverca vivo patre habuisset, et eamdem mortuo patre retineret: desumit coniecturam ab eo, quod contra consuetudinem omnium privignorum, novercam domi retinerat. *Ramires.*

1. *Privignum, etc.* Suspicio et rumor erat tibi, patre vivo, plus officii

Rumor erat, coniux dum fuit illa patris.
Non tamen hoc poterat vivo genitore probari.
Iam nusquam pater est, Galle; noverca domi est.
Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,
Et te defendat Regulus ipse licet;
Non potes absolvi: nam quae non desinit esse
Post patrem, nunquam, Galle, noverca fuit.

seu commercii fuisse cum noverca, quam quod privignum deceret.

3. *Non tamen hoc poterat, etc.* Nam cum patre te habitare honestum erat poterasque cegare adulterium. Nunc fit secus, mortuo patre.

4. *Nusquam, etc.* Mortuus est; ultra morem tamen novercam domi tuae retines.

6. *Te defendat, etc.* Per adulationem Ciceroni ꝟ aequiparat in causis dicendis Regulum.

7. *Nam quae non, etc.* Rara privignis cum novercis concordia. Quum itaque elato patre novercam feras, certe propior illi eras quam privignus.

17. — AD PAVLVM.

Facere in Lyciscam, Paule, me iubes versus,
Quibus illa lectis rubeat, et sit irata.
O Paule, malus es: irrumare vis solus.

1. *In Lyciscam.* Meretricem fellatricem quam urbane carpit Poëta, quum de Paulo conqueri videatur.

3. *Malus es.* Malo animo et dolo facis hoc, ut, me rivali excluso, Lycisca, adversus me irata, solus fruaris.

18. — DE PVERO PER STIRIAM CADENTEM IVGVLATO.

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,

Describit miserandum pueri casum in cuius iugulum concreta frigore cecidit stiria, cuius acies eum occidit. Ed. P.

1. *Qua vicina, etc.* Portam Capenam intellige; quam prope erant aquaeductus; unde guttae grandes depluebant. — *Vipsanis...columnis.* M. Vipsanius Agrippa, Caesaris Augusti gener, aedificavit templum in honorem omnium deorum, quod appellavit Pantheum, addiditque porticum columnis suspcosam et lauris obumbratam.

2. *Lubricus.* In quo pes falli facile potest, quia madet aqua, imbre, gut-

In iugulum pueri, qui roscida templa subibat,
  Decidit hyberno praegravis unda gelu:
Quumque peregisset miseri crudelia fata,
  Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non saeva sibi voluit Fortuna licere?
  Aut ubi mors non est, si iugulatis, aquae?

tis stillantibus. Ed. P. — *Lapis*. Aream intelliga lapidibus stratam, seu pavimentum.

3. *Roscida templa*. Transibat puer per portam Capenam ad porticum Vipsanum, quam appellat *templa*, quod ita vocentur aedificia magna; atque *templa roscida*, quod guttis ex aquaeductu depluentibus quasi rore inspergeretur.

4. *Hyberno praegravis* Stiria concreta et in acumen desinens, quod iugulum pueri transfixit. Ed. P.

6. *Tabuit*. Calore vulneris lepuit ac soluta est stiria ex parte qua confoderat pueri iugulum, non secus ac gladii mucro.

7. *Quid non, etc*. An mortis ullum genus est, quod fortuna hominibus inferre pro arbitrio suo non possit? Ed. P.

8. *Si iugulatis, aquae*. Aquae mergunt, non fodiunt.

19. — DE ENDROMIDE.

Hanc tibi Sequanicae pinguem textricis alumnam,
  Quae Lacedaemonium barbara nomen habet,

Mittit ad amicum endromiden, vestem haud ita pretiosam quidem, sed calori fovendo aptissimam; munusque vulgare commendat ab utilitate sua. Ed. P.

1. *Hanc tibi Sequanicae, etc*. Tibi pro dono mittimus hanc endromiden, quae est alumna, id est, opus contextum a muliere Sequanica; et quae, licet apud barbaros confecta, graecum nomen habet; parum lautum munus, fateor, sed contra frigus utilissimum. Ed. P. — *Sequanicae*. Texebantur hae vestes in Galliis, et praecipue apud Sequanos, id est, populos ad fontem Sequanae fluvii habitantes; olim *le comté de Bourgogne*. — *Pinguem*. Crassa, villosaque erat vestis, per cuius densam texturam haud facile permearet exterioris flatus aëris. Ed. P. *Textricis*. Lanificium apud Veteres foeminarum fuisse notissimum est.— *Alumnam*. Textricis alumnam vocat hanc vestem metaphorice, quod quemadmodum alumnae a nutricibus aluntur ac educantur, sic augetur et educitur a textrice pannus.

2. *Lacedaemonium*. Vocatur enim *endromis*, quia ἐν τῷ δρόμῳ, id est in cursu, utebantur ea Graeci, ne e stadio exeuntes sudore madidi, inde frigore admisso in morbum inciderent. Eam forte invenerant Lacedaemones, quae deinde in Galliis texi coepit, nec tamen nomen amisit pristinum. Ed. P.

Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida:
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis;

3. *Sordida.* Quia inelegans, uncta, crassa, villosa, etc. — *Decembri.* Per Saturnalium dies mos erat Romanis munera mittere: modo epigr. 14 supre miserat Silio suum libellum; nunc amico, quem non nominat, mittit munus iis non contemnendum, qui frigus decembri arcere volunt. Ed. P.

4. *Peregrinam.* Gallicam, seu Laconicam.

5. *Seu lentum, etc.* Hic incipit endromidis utilitates enumerare, id est, varias exercitationes quibus confectis imprudenter frigori vel pluviae te obieceris. Ed. P. — *Lentum.* Pingue, viscosum. — *Ceroma teris.* Ceromate, id est, unguento ex oleo et pulvere, uncti palaestritae certabant; quod vel *terendo* conficiebatur; vel *terendo* linendoque corpori affricabatur; vel corpori illitum variis motibus *terebatur.* — *Tepidumve.* Vt hic locus intelligatur, breviter aliquid dicendum de pilarum genere, et ludo: quatuor ergo fuerunt pilarum genera, quibus ludebant Antiqui, follis scilicet, trigonalis, paganica, et harpastum. Follis erat pila magna ex aluta confecta, soloque vento repleta, quae si maior erat, brachiis impellebatur. Propertius lib III: *Quum pila veloces fallit per brachia iactus.* Si minor, pugnis eiiciebatur, atque pugillaris follis vocabatur, ut apud Plautum in Rudente: *Follem pugillatorium faciam Extemplo herole ego te.* Trigonalis pila, quae parva erat, non triquetra figura, sed a loco trigono, vel a numero, figura, aut situ ludentium. Stabant enim tres eo ordine, ut trigonum seu triangulum efficerent. Vide lib. XII, epigr. 84. *Tepidum* vero dicit, vel quod ludentes calefaceret, vel potius quod attrectata pila ludentium et sudantium manu tepefieret. Paganica, qua in pagis et gymnasiis quoque ludebatur, maior trigone, folle vero minor, farciebatur pluma, lib. VII, epigramma 32; et lib. XIV, epigramma 45: *Haec quae difficilis turget paganica pluma Folle minus laxa est, et minus arcta pila.* Postremum est *harpastum* a graeco verbo ἁρπάζω, *rapio*: pila erat omnium minima ex corio, quam alter ludens alteri rapiebat, quum repercussu surgeret (gallice *rebondir*). Haec ex Mercuriali, de Arte Gymnastica lib. II, cap. 5. — *Trigona.* Erat haec pila omnium minima et durissima, stipato et denso pilo (unde pilae nomen) facta; utraque manu impellebatur et excipiebatur: prima et summa cautio erat, ne terram contingeret, sed ut adhue volans geminaretur. Cur vocaretur *trigon* in nota praecedenti diximus; alii tamen putant hoc nomen ei datum fuisse ex figura loci huic ludo aedificati; et *tepidum* appellari a Poëta, quia per hiemem calore modico fovebatur ille idem locus ne exsuti ad ludendum homines facile post ludum perfrigescerent. — Alii legunt *trepidum*, atque intelligunt de concursatione ludentium, et ne pila caderet, caventium. Ed. P.

6. *Harpasta.* Erat harpastum pila maior paulo, quam trigon; panno conciso, lana vel tomento implebatur, quam alii aliis conabantur eripere, et

Plumea seu laxi partiris pondera follis;
Sive levem cursu vincere quaeris Atham.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua.
Ridebis ventos hoc munere tectus et imbres:
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

ad suas transferre partes; tum sicubi decideret, accurrentes catervatim humi se invicem prosternebant, pulvere et sudore infecti. —*Pulverulenta.* In pulvere ludebant Antiqui, igitur quoties terram attingebat pila, pulverulenta resurgebat. Ed. P. — *Rapis.* Intellige *aliis eripis* (videatur supra) vel e terra resultantem acriter suscitas. Ed. P.

7. ***Plumea.*** Pila follis corio tecta (follis idem erat apud veteres ac pellis), et vento distenta, levior erat caeteris. Igitur hanc appellat *plumeam* Martialis; lentius fertur illa, tardiusque descendit, unde senibus et pueris commodior.— Vel per *plumeam* pilam intellige paganicam quae plumis farciebatur. Ed. P. —*Laxi.* Vel minime duri; vel maloris, utpote quae vento conflata. Ed. P. — *Partiris pondera.* Impellis per vices, iusta divisione facta cum collusoribus. Vel intellige; metiris et tecum computas ubi et quando lapsurus sit follis, quod quidem ut perspicias, pondus tibi aestimandum. Acuta antithesis *plumea pondera*, id est, levissima: ponuntur *pondera* pro motibus ipsius follis. Ed. Par.

8. ***Atham.*** Puerum levem et cursu velocem. Vel nomen fictum a poëta, Atta enim est qui terram leviter attingit. *Festus.*

9. *Madidos.* Hic intelligo madidos sudore, contra omnes interpretes, qui intelligunt pluvia madidos. Ed. P.

10. *Iris.* Pluviarum nuntia, quam existimabat vulgus rapere aquas e pluviis quas iterum emitteret. Sic lib. XII, epigr. 29, vs. 6: *Casuras alte sic rapit Iris aquas*; et Plautus in Curculione: *Ecce autem bibit arcus, pluet, credo, hodie.* Vide et Virg. Georg. I, versu 380. Physicis autem recentioribus compertum est, irim, seu arcum caelestem radiis solis, quos segregant per analysim imbris nunc cadentis guttulae, constare. Ed. P.

12. *In Tyria Sindone.* Quam Iulius Pollux in lib. VII, cap. 16, sic explicat: Σινδὼν, ἔστιν Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ᾽ ἂν εἴη, τὸ νῦν δίκροσσον καλούμενον: *Sindon quidem est Aegyptiaca; amiculum vero est, quod nunc utrimque fimbriatum vocant.* Dicta autem est, ut opinatur Baysius, quia primum in urbe Sidone huiusmodi amictus fieri coepit. Quamobrem Tyria a Martiali dicta: erant enim vicinae urbes Tyrus et Sidon. Vid. lib. II, epigr. 16, vs. 3.

20. — DE CAERELLIA ET GELLIA.

Dicit se vetulam, quum sit Caerellia puppa :
Puppam se dicit Gellia, quum sit anus.
Ferre nec hanc possis, possis, Colline, nec illam :
Altera ridicula est, altera putidula.

Duo in duabus foeminis contraria vitia reprehendit; alterum Caerelliae, quae quum esset puppa, id est, adolescentula et tenera, se vetulam dicebat : alterum Gelliae, quae quum reapse esset anus, se vocabat puppam, et teneram fingebat gestu et voce. *Ramires*. — *Puppa* Puella. Pupus, pupulus et pupillus, puerilia et blandae appellationis nomina. *Rutgers.* Hinc vox gallica : *poupée*.

4. *Altera ridicula est.* Ridicula est Caerellia cum sua illa gravitate; Gellia inepte delicata cum ista sua concinnitate. E contrario autem sic explicat hunc locum Farnabius: *Altera ridicula est*, Gellia, quae anicula eapularis, vocem et gestus effingit puellae: *altera* vero *putidula*, Caerellia, quae puella, gravitatem affectans anilem, se fastidio exponit. Putidi et putiduli dicuntur, qui sibi ipsi displicent: hoc Cicero quodam in loco: *Displicebam mihi* : *alibi dixit* : *eram putidulus*. Quum autem quisquam sibi displicet, contrahit frontem et caret omni hilaritate: et propterea, ait poëta, alteram mulierem cupientem videri puellam, adeo gestire, ut sit *ridicula* et non puella; alteram cupientem videri anum, non solum videri anum, sed *putidulam*, id est, quae, per fastidium et taedii gravedinem, quoslibet proprios aetati iuvenili lepores et festivos mores respuit, ut videatur anus, per se putidula res. *Domit*. Ramiresius explicat *putidam*, quod cogit nos avertere vultum, et veluti fastidium gignit.

21. — DE SELIO.

Nullos esse Deos, inane caelum
Affirmat Selius, probatque; quod se
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

Cuiusdam Selii taxat impietatem, qui cum Diagora negabat ullos esse deos; et magis impiam adducebat impiae sententiae rationem, quod dum negaret deos, se divitem factum esse videret.

1. *Inane caelum*. Hoc est, diis vacuum, vel rem commentitiam, ut interpretatus sum.

3. *Videt beatum.* Multa in hanc sententiam vide apud Senecam lib. *Quare bonis viris mala accidant, quum sit providentia*. Vide et Cic. III de natura Deor. de Harpalo et Dionysio. — *Beatum*. Divitem.

22. — DE CLEOPATRA VXORE.

Primos passa toros, et adhuc placanda marito,
  Merserat in nitidos se Cleopatra lacus,
Dum fugit amplexus: sed prodidit unda latentem;
  Lucebat totis quum tegeretur aquis.
Condita sic puro numerantur lilia vitro:
  Sic prohibet teneras gemma latere rosas.
Insilui, mersusque vadis luctantia carpsi
  Basia: perspicuae plus vetuistis aquae.

* Primam, prima inter hymenaei gaudia, pudoris fugam, uxoremque novam novi coniugis blanditiis iratam blanditiisque placatam canit Martialis, et oscula illa luctantia, qualia describit Horat. lib. II, od. 12.

1. Codd. Florent. et Vat. *nec adhuc placanda.* — *Primos passa.* Cleopatra Martialis uxor, amissa virginitate, subirata marito, in aquas se immersit, quam tamen sequutus ille invitam deosculatus est.

2. *Merserat in liquidos.* Ant. de Rooy.

5. *Numerantur lilia.* Translucent adeo ut numerari possint: existimat Ramiresius Veteres liliis delectatos ea solere vitreis vasis condere, ne scilicet facile ab aere corruperentur, et forte ne gravior eorum odor laederet caput, quod usu venire saepe videmus. Sic Ovid. lib. IV, Metam. *In liquidis translucet aquis, ut eburnea si quis Signa tegat claro vel candida lilia vitro.* Item dicit Ramiresius de rosis in sequenti versu; vel forte, ait, haec ambo intelligenda sunt de specularibus quibus solebant hortos et vites ipsas tegere ne frigore aut aëre laederentur. Vid. lib. VIII, epigr. 14, v. 3.

6. Pro *teneras* Schrevelius legit *tenuis.* — *Gemma.* Omne vitrum et omnem materiam quae vitri instar nitet ac perlucet, appellat Poëta *gemmam.* — *Rosas.* Non temere rosas liliaque elegit Noster hoc loco dinumeranda; fuit enim semper hic mos poëtis, ut quidquid in puellari venustate lene rubet, aut pulchre albescit, rosis et liliis compararent.

8. *Oscula* codex Vaticanus. — *Perspicuae plus, etc.* Ne plene me illi conciliarem, progressus ad *caetera quis nescit,* perspicuitas vel humiditas aquarum fuit impedimento — *Plus* idem est quod Ovid. *caetera* : s Oscula qui sumpsit si non et caetera sumpsit, etc. »

23. — AD THALIAM, DE BRVTIANO.

Dum tu lenta nimis, diuque quaeris,

Leustricum Brutianum, optimum et integerrimum virum testimonio Plinii iunioris lib. VI, epist. 22 laudat ut poëtam elegiacum et epigram-

Quis primus tibi, quisve sit secundus;
Graium quisve epigramma comparabit;
Palmam Callimachus, Thalia de se
Facundo dedit ipse Brutiano.
Qui si Cecropio satur lepore,
Romanae sale luserit Minervae;
Illi me facias, precor, secundum.

matarium graecum, nobilissimoque graeco epigrammatario Callimacho anteferendum; et optat ut, si epigrammata latina scribat, secundus ipse ab eo numeretur. Est autem totum epigramma conceptum per apostrophen ad Thaliam musam. *Ramires.*

1. *Dum tu lenta nimis.* Sic totius epigrammatis sensum putamus intelligendum: O Thalia, dum dubia haeres et cunctabunda, diu deliberas quis *inter Brutianum et Callimachum*, primus secundusque sit in graeco epigrammate condendo, quisve *eorum* epigramma graecum *totum sibi comparabit ac quasi suo iure vindicabit*; ipse Callimachus, *non exspectato tuo iudicio*, se agnoscit inferiorem, et palmas dat Brutiano. Quem si satietas attici carminis ita ceperit, ut, relictis graecis, ad latina epigrammata se accingat componenda, *primus quoque erit, nec invidebo*; sed te rogabo tantum ut tuo auspicio ac favore illi secundus sim. Ed. P.

3. *Graium quisve epigramma comparabit.* Hanc vocem *comparare* latine sumi pro *vindicare sibi* censemus, ita ut hic versus significet: *quis duorum istorum scriptorum totam epigrammatis graeci laudem sibi arrogabit* (vide supra). Ed. P. — Alii autem intelligunt: quisve componet graeca epigrammata subaud. *optime.* — Alii: quis sua epigrammata comparare poterit, subaud. *cum epigrammatis Graecorum vatum et praecipue Callimachi.*

4. *Callimachus.* Floruit in Aegypto Olympiade cxxv Callimachus, poëta Cyrenaeus, quem in antiquam dignitatem restitutum nuper in lucem edidit erudita Tanaquilli Fabri filia; vixit temporibus Ptolemaei Philadelphi, quo familiariter usus est. Epigrammata, hymnos et elegias graece scripsit elegantissimas; a Brutiano tamen illum superari dicit Martialis. — *Thalia.* Musa iocorum.

5. *Brutiano.* Qui, probitate et rerum gestarum non minus quam poëtica laude nobilis, imperante Traiano floruit.

6. *Cecropio.* Attico. Cecrops regnavit primus omnium Athenis. Vid. lib. I, epigr. 26, v. 3. Brutianus ubi se a Graecis poëmatibus ad latina contulerit, primus erit inter Latinos; cui proximus ut sim, opto. Ed. P.

7. *Romanae scolae* cod. Florentinus exhibet.

8. *Secundum.* Sic Callimacho Graeco se Latinum parem facit.

24. — DE LYCORI, AD FABIANVM.

Omnes, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
Extulit; uxori fiat amica meae.

1. *Amicas extulit.* Quadam fati quasi ludentis libidine; non enim, ex verbo *amicas* et toto epigrammate explicarem, sed specie falsae amicitiae facile intelligerem Lycorim fuisse meretricem veneficam, quae aemulas omnes veneno interficiebat. Ed. P.

2. *Extulit.* Verbum funeris proprium; quia Veteres *efferebantur* e lecto ad rogum. Ed. P. — *Vxori fiat amica.* Vt taedio matrimoniali libeter, et fatum quoque de uxore mea ludat. Ed. P.

25. — DE LITORIBVS ALTINI ET AQVILEIA.

Aemula Baianis Altini litora villis,
Et Phaethontei conscia sylva rogi;
Quaeque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus;

Altini litoris circumiacentisque regionis delicias praefert, aut saltem aequat Baiarum deliciis, amoenumque illum suae senectuti, ubi sui iuris erit, destinat recessum, ut Horatius Tibur lib. II, od. 6, vs. 5: *Tibur Argeo positum colono, Sit mea sedes utinam senectae, Sit modus lasso maris et viarum Militiaeque!* Ed. P.

1. *Altini.* Altinum, *Altino*, Italiae oppidum non cedens amoenitate Baiis, ab Hunnis et Attila eversum atque incensum, nunc in ditione Veneta, inter Pataviam et Concordiam, ad mare Adriaticum. Ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλει παραπλήσιον ἔχον τῇ Ῥαουέννῃ τὴν θέσιν: *Est et Altinum in palude, eodem quo Ravenna situ.* Strabo:

2. *Et Phaethontei, etc.* Est silva, Pado vicina, quae Phaethontis cadentis in Padum testis et conscia fuit. Intelligit populos, in quas mutatae fuerunt infelicis aurigae sorores, fratrem fulmine Iovis combustum, ad Padi ripam deflentes; et quarum lacrymas electrum formasse poëtae fingunt.

3. *Quaeque Antenoreo, etc.* Tuque, o puella, pulcherrima Dryadum, quae sola nupsisti ad Euganeos lacus cum Fauno Patavino, etc. Id est, vosque, o silvarum pulcherrimae (Dryades enim silvis praeerant), quae iunctae estis prope Euganeos lacus, agris et saltibus Patavinis, etc. Ed. P. — *Antenoreo.* Troia profugus Antenor, prope Padi fluminis ostia, in littore Veneto, Patavium, hodie *Padova*, condidit. Ed. P: — *Dryadum.* Dryades (δρῦς, *quercus*), nymphae silvarum praesides.—*Fauno.* Fauni erant ruricolae dei, qui, ut Silvani, in nemorum recessu latitabant; qui apud Graecos Satyri, iidem apud Romanos Fauni. Ed. P.

4. *Euganeos.* Euganei populi fuere

Et tu Ledaeo felix Aquileia Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas;
Vos eritis nostrae portus requiesque senectae,
Si iuris fuerint otia nostra sui.

Galliae Transpadanae in Veneta nunc ditione, quorum regio dicitur *Marca Trevisana*, vel Trivigiana. Quidam eos collocant inter lacus Larium et Benacum; alii, versus Athesim et Vicentiam. — *Sola*. Hoc esse proprium nomen lacus ad radices collium Euganeorum, quem hodie indigenae vocant *la Solana*, contendit Laur. Pignorius, Epist. symbol. 14. — *Lacus*, Veneti seu Tarvisani lacus 23 numerabantur.

5. *Et tu Ledaeo felix*, etc. Et tu, Aquileia, quae nobilis fluvio Timavo vicino, cuius undam per septem ostia in mare erumpentem bibit Cyllarus equus Castoris, filii Ledae, etc. Ed. P. — *Ledaeo*. Castor enim et Pollux, Ledae filii, cum Argonautis Timavum praetervexere: Plinius lib. III, cap. 18. — *Aquileia*. Vrbs olim clarissima, primaria Carnorum, infra Forum Iulii, ab Hunnis vastata anno 452, nunc viculus, *Aquilegia*. Vide Cluverii Italiam lib. 1, cap. 20. — *Timavo*. Timavus, *Timavo*, fluvius est Carnorum in Italia; erumpit ex monte in agro Fori Iulii, hodie *le Frioul*, et in sinum Adriaticum devolvitur: eius ostia scindunt aliquot exiguae insulae; hinc per ora septem aut novem in mare fluere dicitur, tanta decurrens aquarum copia, ut *maris fons* appelletur, et dicatur *mare ipsum* a Virgilio loco supra citato: *It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti*. Ed. P.

6. *Cyllarus*. Equus Castoris qui ad hoc litus appulit cum Argonautis. Ed. P. — Etsi non comitatus est Cyllarus Castorem in navigatione, poëta more poëtico loquitur, et quia Castor ad ora Timavi delatus erat, illum equo significat per metonymiam. *Rader*.

7. *Vos eritis*. Huius voti immemor, vel non compos fuit Martialis quem in Hispania Bilbili obiisse constat.

8. *Si iuris*, etc. Si meo arbitrio otiosam componere mihi potero senectutem, et locum eligere amoenum, ubi ultimo iucunde sopiar somno. Ed. P.

26. — AD POSTHVMVM.

Quod te mane domi toto non vidimus anno,
Vis dicam, quantum, Posthume, perdiderim?
Tricenos, puto, bis; vicenos ter, puto, nummos.

Comparat pecuniam salutato patrono acceptam cum pretio togae salutato patrono tritae, quod quidem quum maius sit, valedicit patrono. Vid. lib. IX, epigr. 101. Ed. P.

1. *Mane non vidimus*. Id est, non salutavimus, ut clientes solent.

3. *Tricenos puto, bis; vicenos ter*. Plerique interpretes, inter quos Raderus, addunt priorem numerum po-

Ignosces; togulam, Posthume, pluris emo.

steriori; unda fit sportula annua centum et viginti nummorum, nostrae monetae circiter 22 francorum: at aestimo potius poëtam eamdem pecuniae summam iterare eo consilio, ut exiguitatem fortius nolet. Ed. P.

4. *Pluris emo.* Atque ideo plus damni facio tuam domum ventitando, deterendoque et consumendo meam togulam, quam lucri, te conveniendo, et pecuniam accipiendo, qua tritam togam renovare nequeo.

27. — AD CAESAREM AVGVSTVM DOMITIANVM.

Saepe meos laudare soles, Auguste, libellos.
Invidus ecce negat: non minus ergo soles.
Quid, quod honorato non sola voce dedisti,
Non alius poterat quae dare dona mihi?
Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.
Da, Caesar, tanto tu magis, ut doleat.

Vrbane petit ab Imperatore munera, quod laudatus saepe ab ipso sit et donatus muneribus non contemnendis: attamen quum et laus, et munera lacesserent invidorum maledicentiam; rogat Caesarem, ut muneribus sibi dandis, augeat invidorum dolorem. *Ramir.*

2. *Negat.* Meos videlicet libellos esse tantopere laudandos. — *Non minus ergo.* Hoc loco *ergo* significat propter hanc causam, idcirco. Sensus est: licet invidus neget, non idcirco libros nostri Poëtae minus legebat Domitianus. Sic Cicero in Catone maiore: *Ne postulantur quidem vires a senectute, ergo et legibus et institutis vacat aetas nostra muneribus iis quae non possunt sine viribus sustineri.*

3. *Quid.* Hoc est, quid vero faciet invidus? etc. — *Honorato non sola voce.* Me quidem verbis et laudibus honorasti, sed non verbis tantum; addidisti munera quae Caesar unus mihi dare poterat. Ed. P. — *Dona.* Ius trium liberorum lib. II, epigr. 91 et 92; dignitatem tribunitiam et equestrem lib. III, epigr. 94, vs. 9 et 10.

5. Codex Vat. *contorsit lividus ungues;* quod habent etiam Ald. Iunt. et Colin. — *Corrodit, etc.* Invidia et animi anxietate: solliciti enim animi signum, unguium corrosio

6. *Da, Caesar.* Artificiosa mendicatio; ut non tum petere, quum maxime petit, videatur, quam ulcisci invidum, cum dolore puniendo quo dignus est.

28. — AD CHLOEN.

Donasti tenero, Chloë, Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinasque,
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos sardonychas, Scythas smaragdos,
Et centum dominos novae monetae,
Et quidquid petit usque et usque donas.
Vae glabraria, vae tibi misella:
Nudam te statuet tuus Lupercus.

Huic Fabullae (sup. epigr. 9) haud absimilem deridet Chloen, quam omnibus bonis in gratiam amantia sui Luperci se denudantem, nudam relictam iri a Luperco ait Poëta. Lupercus, nomen proprium, at Luperci in Lupercalibus ludos agebant nudi, ad quod alludit Martialis. Virg. Aeneid. VIII, 663; *nudosque Lupercos*. Ed. P.

1. *Tenero*. Adolescentulo, delicato: idem est quod *gracilis* apud Horat. lib. I, od. 5; et apud Nostrum lib. XI, epigr. 44, v. 4.

2. *Hispanas Tyriasque coccinasque, etc.* Subaud. lacernas. — *Hispanas*. E lana Baetica: Baetis, ut Clitumnus et Galesus, pecudibus bonus alendis. Hispanae tamen seu Baeticae lacernae non vulgo delicatis usurpatae, quia nativo, non artificiali colore tingebantur. Ed. P.

5. *Dominos*. Hanc lectionem e veteri codice expressam caeteris anteponimus, intelligentusque centum nummos signatos effigie Domitiani qui Deus Dominusque appellabatur. Sic Horat. Art. Poet. de Chaerilo poëta: *Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos*. Exstat etiam moneta recentior, quae eodem sensu vocatur, *un souverain*. Domitius intelligit Flavios: nam Flavii erant a Flaviis imperatoribus signati, hoc est, Vespasiano, Tito et Domitiano, quorum illud erat cognomen. — *Novae monetae*. Quae maiori erat in pretio quam trita: hinc munus suum insana magis commendabat Chloe. Ed. P.

7. *Glabraria. Glaber* sine pilis est; *Glabraria* est proprie ovis tonsa: quaedam autem erant oves glabro ventre quae nullo apud Antiquos pretio. Vide Varr. lib. II, cap. 2 de Re Rustica. Hoc verbo igitur Poëta exprimit insaniam Chloes, quae se rebus omnibus spoliabat et quasi expilabat.

8. *Nudam te*. In Luperci nomine ludit Poëta: Luperci enim erant sacerdotes ab Evandro instituti in honorem Panos, vel, ut alii volunt, a Romulo; qui Lupercales ludos celebrabant Februantes, et nudi per urbem discurrebant, foeminasque sibi obvias percutiebant haedinis pellibus; et ipsae ad id palmas praebebant, quod hoc ictu foecundae fieri credebantur. Iuven. sat. II: *Nec prodest agili palmas praebere Luperco*. Ovid. Fast. II: *Tertia post Idus nudos aurora Lupercos Aspicit, et Fauni sacra*

bicornis erunt. Igitur nudus erat adolescens Lupercus, ut Lupercus sacerdos, id est, sine bonis; muneribus vero Chloes cumulatus; nudam sua vice relinquet illam. Ed. P.

29. — AD PVDENTEM.

Obstat, care Pudens, nostris sua turba libellis:
  Lectoremque frequens lassat et implet opus.
Rara iuvant: primis sic maior gratia pomis;
  Hybernae pretium sic meruere rosae:
Sic spoliatricem commendat fastus amicam,
  Ianua nec iuvenem semper aperta tenet.
Saepius in libro memoratur Persius uno,

Ratus Martialis sic esse comparatos homines, ut, quod rarum est, id maiori habeant in pretio, timet ne sua musa nimiam sui copiam lectori faciendo, et nugas sine fine accumulando, fastidium tandem pariat. Id confirmat expressis ab alio rerum ordine multis exemplis; quibus concludit legendum esse Pudenti unumquemque suorum libellorum quasi solus esset, quo gratior fiat epigrammatis cuiusque raritate lepos. Ed. P.

1. *Obstat.* Id est, libelli mei sibi ipsi nocent, nimis crebris carminibus legentem satiantes. Ed. P.

3. *Iuvant.* Placent. Alium tamen sensum eiusd. verbi *iuvare* notavimus lib. I, epigr. 43, vs. 11. Ed. P.

4. *Hybernae*, etc. Quia rariores quam vernae, et alieno quidem tempore, proveniunt; eas ex Aegypto mitti solere, et tamen Domitiano imperante Romae nasci testatur lib. VI, epigr. 80; Romani enim, omnium deliciarum amantes *Parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernae poculis innatassent rosae*, ut ait Pacatus in Panegyr. Theodosii. Ed. P. — *Rosae.* Sic lib. X, epigr. 93, v. 5: *Vt rosa delectat, metitur quae pollice primo.*

5. *Fastus* Illa meretricum ars, qua fastidire fingunt amatores suos, quo acrius incendant. — *Fastus.* Illa meretricum ars studio peculiari habita, nec caeteris feminis ignota, quam gallico sermone vocamus, *la coquetterie.* — *Sic spoliatricem*, etc. Superbum fastidium meretricis magnum poscentis pretium, et amatorem rarius admittentis, facit ut maiori in pretio sit et gratior quam Chloes (sup. epigr. 28), vel Fabullae (supra epigr. 9), munera dantis, non accipientis, nec unquam negantis facilitas. Vid. Ovid. Amor. lib. I, eleg. 8. et de Art. lib. III, et apud nos *Ducerceau*. *Pain dérobé réveille l'appétit.* Ed. P.

7. *Saepius in libro*, etc. Plura sunt quae a memori lectore retineantur in brevi Persii satirarum libro, quam in longo poëmate Marsi, quo bellum scripsit contra Amazonas. Ed. P. — *Persius.* Notissimus poëta satiricus, et a nonnullis primus omnium satiricorum iudicatus, qui, Nerone imperante, sex satiras unico libello comprehendit, de quo Quintilianus lib. X,

Quam levis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis,
Esse puta solum: sic tibi pluris erit.

cap. 1: *Multum, et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit.*

8. Sicut duo fuere Codri, unus poëta celeber a Virgilio laudatus, alter a Iuvenale explosus; ita quoque duos crediderim fuisse Marsos, unus ab Ovidio cum Rabirio comparatus, alter hic a Martiale *levis* dictus. *Beverland.* — *Levis in tota.* Pauca possunt esse in multis voluminibus; et sunt auctores quorum versus magis numerandi sunt quam ponderandi. Ed. P. — *Marsus.* Non existimo cum Calderino hunc esse Marsum, nobilem epigrammatographum; sed alium quemdam arbitror heroicum poëtam, quem ideo *levem* quasi nullius pretii vocat: quam notam credibile non est voluisse inurere epigrammatographo poëtae cuius se similem esse optaverat. *Ramires.* — Alii tamen putant hic de Marso epigrammatographo qui non optimum forsan scripserat poëma heroicum, a suo ingenio scilicet alienum. Iudicet lector. Ed. P.

10. *Pluris.* Maiori in pretio propter fictam raritatem. Ed. P.

30. — AD PISCATOREM.

Baiano procul a lacu monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hae natantur undae,
Qui norunt Dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.

Celebrat Baianos pisces Domitiano sacros, et monet piscatorem ut procul ab eo lacu recedat; terretque eum ficta narratiuncula cuiusdam Afri, qui dum hamo in eo lacu ausus est piscari, repente captus oculis fuit. *Ramires.*

1. *Baiano.* Vid. lib. I, epigr. 60, vs. 1, et multis aliis locis.

2. *Nocens.* Impius, sacrilegus, violatis piscibus Domitiano deo dedicatis, quos neque piscatori fas hamato ambire munere, neque coco in ius vocare. Sed alibi item sacri habebantur quidam pisces: Oppian. et Ath. lib. VII; Aelian. lib. XII Animal. c. 2; Varr. de Re Rustica.

4. *Dominum.* Suet. in Domitiano cap. 13: *Pari arrogantia quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit: Dominus et deus noster sic fieri iubet.* Ed. P. *Manumque lambunt.* Manum Domitiani intelligit, ut supra epigramm. 1: *Perque manus tantas plurima quercus eat*; et epigr. 8: *Ingentique tenet pocula parca manu.* — *Lambunt.* Vtrum verum hoc sit, sit fides penes poëtam:

Quid, quod nomen habent, et ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus?
Hoc quondam Libys impius profundo,
Dum praedam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repente caecus
Captum non potuit videre piscem:
Et nunc sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator.
At tu, dum potes, innocens recede,
Iactis simplicibus cibis in undas,
Et pisces venerare dedicatos.

ea tamen apud alios auctores legimus de hoc genere, ut probabile videri possit. Ed. P.

6. *Quid, quod*. Vehementius instandi gratia *quid quod* in oratione ponitur. Cicero pro lege Manilia: *Quid, quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen adducitur?* — *Magistri*. Sic eum appellat qui piscinae curam habebat.

7. *Ad vocem quisque*. Non habere meatus et foramina auditus, audire tamen scribunt Aristot. lib. IV Animal. et Plin. l. X, cap. 70. Credunt physici recentiores, quum pisces nullis ad audiendum aditibus instructi sint a natura, eos percipere sonum et vocem per commotionem aëris cuius fit aqua particeps, quae nempe vibratio partes maxime sensiles, ut branchias, impellere valet. Ed. P.

8. *Hoc quondam, etc.* Afer quispiam ausus hic piscari, repente ex sacrilego piscatore factus est caecus mendicus. Miraculum hoc olet poëtam. — *Hoc profundo*. Hoc mari, Baiano lacu.

9. *Dum praedam, etc.* Sic lib. I, epigr. 56, vs. 9: *Et piscem tremula salientem ducere seta;* et lib. X, epigr. 30, vs. 16 et sqq.: *Nec seta longo quaerit in mari praedam, Sed a cubili lectuloque iactatam, Spectatus alte lineam trahit piscis.*

13. *Rogator*. Mendicus, subaudiendo stipis, nam rogare stipem est mendicare. Lib. X, epigr. 5, vs. 4: *Interque raucos ultimos rogatores*, et l. XII, epigr. 57: *A matre doctus nec rogare iudices.*

15. *Simplicibus, etc.* Non hamatis, non medicatis.

16. *Delicatos* in Beverlandi MS. probante Grutero; nam *delicata* Veteres dixere pro *dedicata*, et *delicare* pro *dedicare*, teste Festo. — *Dedicatos*. Vt versu 3 supra; Id est, consecratos Domitiano.

31. — AD HIPPODAMVM.

Quod cupis in nostris dicique legique libellis;
  Et nonnullus honos creditur iste tibi:
Ne valeam, si non res est gratissima nobis,
  Et volo te chartis inseruisse meis.
Sed tu nomen habes averso fonte sororum
  Impositum, mater quod tibi dura dedit:
Quod nec Melpomene, quod nec Polyhymnia possit,

Hippodamo, locum in Martialis operibus haberi eupleoti et honorificum sibi dueenti, respondet Poëta, eius nomeo versibus parum accommodatum esse: similia sunt epigrammata de Earino lib. IX, epigr. 12, 13 et 14. Ed. P.

2. Io aliis *esse tibi*.

3. *Est*. Esset.

4. *Volo*. Vellem, intellige. Ed. P.

5. Io Beverl. MS. *aversa fronte*, et sic legit Scriverius; in edd vett. *aversum fonte*. — *Averso fonte*, etc. Id est, aversis oumioibus Parnassi ubi fons Hippocrene, cuius aquae oestrum poëtis subiiciunt. Ed. P. — *Averso fonte sororum Impositum*. Cur hoc dicat Martialis varie interpres quisque expositione eaplicavit. — Alii intelligunt de significatione verbi, dieuntque Hippodamum, *equorum domitorem* (ἵππος, *equus*, δαμάω, *domo*), nomen esse bello ac pugnis convenientius quam Apollini et Musis, eo tantum utentibus, quum arma sint canenda. Sin autem vera esset haec explicatio, diaisset Martialis ab hoc oomine abhorrere Melpomenem elegiaci carminis praesidem, fateor; sed num dixisset ab eodem abhorrere Calliopeo, carmiois heroici deam, quum mille in locis Homerus hanc vocem usurpat, et Virgilius quoque inducat Messapum *equum domitorem*, etc. etc..... — Nec magis adoptarem sententiam horum qui putant hoc nomen aurigam sonare et agitatorem equorum, quod muuus mancipiorum est, et ideo parum bellum et honestum esse, quum hoc putasse Pindarum, Homerum, Virgilium minime credam. — Hoc igitur taotum superest, ut putemus hanc vocem a Martiale damnari, quia per aspirationem primae literae, et reduplicationem subsequentem literae *p*, habet aliquid quod auribus delicatis repugnet; cuius aeosus mihi fidem facere videtur vox *dura* in versu sequenti. Iudicet leetor. Eo P.

6 *Impositum* Namque alter parentum uomeo infanti imponebat. Quandoque honoris gratia alicui ea amicis nominis imponendi dignatio concedebatur. *Herald*.

7. *Quod nec Melpomene*. Tres Musas pro triplici carminum genere posuit. Melpomeoe praeest tragoediis et elegiis: unde Horatius I, Od. 24: *Praecipe lugubres Cantus, Melpomene*, etc. — *Nec Polyhymnia*. Cui curae sunt versus lyrici. Horat I, Od. 1: *Nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton*.

Nec pia cum Phoebo dicere Calliope.
Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adopta:
Non semper belle dicitur Hippodamus.

8. *Calliope*. Versibus heroicis praesidet. Horat. lib III, Od. 4: *Descende caelo; et dic, age, tibia, Regina longum, Calliope, melos.* Virgil. Aen. IX, 525: *Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.* — *Piam* dixit, vel quia filii sui Orphei mortem deflevit, vel quia heroum et maxime deorum laudes canit.

10. *Hippodamus* in Ber. MS. Sic Hippodamna et Hippodamia apud Iustinum M.

32. — DE APE ELECTRO INCLVSA.

Et latet et lucet Phaëthontide condita gutta,
Vt videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Deciderat forte electri lacryma in apim, et deinde guttatim globulus factus fuerat, in quo quasi tumulo perlucido sepulta perspiciebatur apis: idem ait de vipera infr. epigr. 59, et de formica lib. VI, epigr. 15.

1. *Phaethontide gutta.* Electro. Phaethontides, id est, sorores Phaethontis, quum eum lugerent exstinctum, mutatae sunt in populos, e quibus defluit electrum, quod earum lacrymas esse poëtae fingunt. Ovid. II Metam. Vide supra epigr. 25, vs. 2. — Est autem electrum visci genus, pretiosum, perlucidum, flavum et spissum; gallice, *ambre jaune*, unde orta est vox gallica, *électricité.* — *Condita.* Hoc saepe evenire testis est Plin. lib. XXIII, cap. 7; Tacitus, de moribus Germanorum in fine, succinum arborum esse succum ait: *Quia terrena quaedam atque etiam volucria animaliā plerumque interlucent, quae implicita humore, mox durescente materia, cluduntur.* Et divus Ambrosius, lib. II Hexameron, cap. 15: *Quid autem tibi referam quod electrum lacryma virgulti sit, et in tantae materiae soliditatem durescat? Nec levibus id asseritur testimoniis, quando folia et minutissimae surculorum portiones, aut exigua quaedam animantium genera in electro saepe reperiantur, quae videtur, quum adhuc gutta esset, mollior recepisse, et solidata tenuisse.* Vid. lib. III, epigram. 65, versu 5.

2. *Nectare clausa suo.* Id est, suo melle; electrum quippe mellis colorem refert.

3. *Pretium.* Sepulcrum tam nobile.

4. *Voluisse.* Vt nempe in electro sepeliretur.

33. — AD SOSIBIANVM.

Plena laboratis habeas quum scrinia libris,
 Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent haeredes, inquis, mea carmina: quando?
 Tempus erat iam te, Sosibiane, legi.

2. *Emittis.* Cur tua illa opera non in lucem edis, ut vivus tua laude fruaris?

4. *Tempus erat.* Sosibianum quemdam irridet Poëta: videtur enim ipsum hortari, ut edat suos libros; sed quum nolit Sosibianus legi, nisi post suam mortem, intelligit Poëta iam mori illum debuisse, quo legi possent eius libri. Heraldus sic explicat: Tempus erat decessisse te, et ossa tua esse lecta post concremationem: nam ad ossilegium profecto videtur alludere.

34. — AD ATTALVM.

Sordida quum tibi sit, verum tamen, Attale, dicit,
 Quisquis te niveam dicit habere togam.

1. *Nivea* vox quum apponitur voci *sordida*, significat *candida*, *pura*; quum opponitur voci *calida*, significat *frigida*. Ludit igitur in ambiguitate verbi Martialis, dicens vestem sordidam esse *niveam*, id est, *frigidam*, quia defloccata frigus intromittebat, et cerea erat, ut illa vestis Mamuriani, lib. I, epigr. 93, versu 7; vel etiam intellige *niveam*, ita tritam, ut fila nuda albescerent. Ed. P.

35. — DE PVGNA DAMARVM.

Frontibus adversis molles concurrere damas

In spectaculis veteribus non modo ferae emittebantur in arenam, ut leones, tigres, ursi, rhinocerotes, elephantes, tauri, sed etiam mansuetiores, et cicures, veluti grues, ut testatur Xiphilinus in Tito, galli gallinacei, ut scribit Aelianus lib. II, cap. 2, de varia historia, et Plin. lib. X, cap. 21, et Herodianus in Severo: simiae etiam, quae parva corporis declinatione ictus missilium evitabant, ut hic Noster lib. XIV, ep. 201: *Callidus emissas eludere simius hastas, Si mihi cauda foret, Cercopithecus eram.* Et lepores, ut supra dictum est pluribus in locis: denique damae, ut patet ex hoc epigr. et infr. epigr. 74. Vide et librum Spect. epigram. 32.

1. *Frontibus adversis.* Qui autem mos est cornutorum animalium. — *Molles.* Sunt natura sua imbelles

Vidimus, et fati sorte iacere pari.
Spectavere canes praedam; stupuitque superbus
Venator, cultro nil superesse suo.
Vnde leves animi tanto caluere furore?
Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

damae; lib. XIII, epigr. 94: *Dente timentur apri: defendunt cornua cervos. Imbelles damae, quid nisi praeda sumus?* Miratur ergo Poëta fugacia animantia in mutuam necem concurrentia, ut faciunt tauri vel gladiatores. Ed. P.

2. Et sese invicem perimere. Ed. P.

3. *Spectavere, etc.* Steterunt canes otiosi spectatores oblatae ultro praedae: qui quidem non saeviunt in morientia animalia. — *Superbus.* Gloriantur venatores feris a se interfectis. — *Cultro, etc.* Cultrum proprium venatoris, quo iugulabant feras, quas ceperant venabulo, cominus vel frustrato ictu propius ad eas accedebant. Lib. XIV, epigr. 31, de cultro: *Si deiecta gemes longo venabula rostro, Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.* Vide et lib. VII, ep. 27.

5. *Vnde leves animi.* Domitiano adulatur, cuius numine damas fuisse concitatas intelligit Poëta, ut vidimus lib. Spect. et alibi innumeris in locis.

6. *Sic cecidere.* Gladiatores scilicet. Forsan viri in praelio fortiter dimicantes. Vide lib. Spect. epigr. 29, v. 8.

36. — AD OLVM.

Cana est barba tibi; nigra est coma: tingere barbam
Non potes, haec causa est; sed potes, Ole, comam.

1. *Tingere barbam.* Forte quia fucus tinctorius in barba minus commode quam in capillis tegebatur; quum enim barbam vix promitterent Romani, fucus non poterat haerere in cute nuda aut brevioribus barbae pilis. — Vel forte quod Olus eodem morbo laborabat, quo Charinus, de quo lib. I, epigr. 78, unde facile diaereretur fucus: vel quod nollent mulieres, quibus impurum oris praestabat officium, fucum barbae illitum circa inguina adhaerescere. *Ramires.* Vid. lib. III, epigramm. 43. Festive suadet, ut capillos natura nigros canitie inficiat, quam ad dissimulandam vulgo tingitur coma. Ed. P.

37. — AD AFRVM

Centum Coranus, et ducenta Mancinus,

Vt Mancinum infr. epigr. 61, sic Afrum, importunum suarum opum iactatorem, Noster hoc epigrammate deridet; cui, debitorum suorum nominibus, et annuorum proventuum computationibus Martialis aures re-

Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabinus, alterumque Serranus;
Ex insulis fundisque tricies soldum,
Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi:
Totis diebus, Afer, hoc mihi narras:
Et teneo melius ista, quam meum nomen.
Numeres oportet aliquid, ut pati possim:
Quotidianam refice nauseam nummis.
Audire gratis, Afer, ista non possum.

tundenti, ait ille, non posse audiri tantas pecuniae numerationes, nisi numerata quadam, in pretium patientiae, pecunia. Ed. P.

1. *Centum, ducenta, trecenta.* Adiunge millia sestertium: adverbiis vero *bis*, *decies*, *tricies*, *ter*, adde centena millia sestertium.

2. *Debet.* Mihi.

3. *Alterumque.* Decies et alterum decies, id est, vicies.

4. *Ex insulis.* Aedificia in urbe quae sola stant, ab aliis ita seiuncta, ut aliquo vico undecumque ambiantur, quemadmodum verae insulae cinguntur mari. Sub Imperatoribus vox illa sumebatur pro omnibus aedibus conductitiis; ex quarum locatione magnam pensionem percipiebat Afer. — *Tricies soldum.* Tricies solidum, id est integrum, ut lib. I, epigr. 100, vs. 1, dixit *vicies plenum*.

5. *Ex pecore Parmensi.* Oves Parmenses interpretare, quarum lana passim laudatur a nostro poeta.

7. *Teneo melius ista.* Memoriae meae commissa. Ed. P.

38. — AD GALLAM.

Galla, nega: satiatur amor, nisi gaudia torquent:
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

Monet Gallam, ut aliquamdiu neget, ne scilicet satietur amor, non tamen perneget, ne odium pariat. Lena Ovidiana, eleg. 8, lib. Amor. I: *Saepe nega noctem, etc. Mox recipe, ut nullum patiendi colligat usum*; et idem poëta III de Arte: *Dulcia non ferimus, succo renovamur amaro.*

39. — AD CHARINVM.

Argenti genus omne comparasti,

Charinum eumdem cuius iam impuritatem notavit lib. I, epigr. 78, eodem vitio tectius hoc epigrammate taxat, ludens in verbo *argentum pu*-

Et solus veteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopaeque,
Solus Phidiaci toreuma caeli,
Solus Mentoreos habes labores.
Nec desunt tibi vera Gratiana,
Nec quae Callaico linuntur auro,
Nec mensis anaglypta de paternis.
Argentum tamen inter omne, miror,
Quare non habeas, Charine, purum.

rum, quod significat simul *argentum non caelatum*, et *argentum non contaminatum*. Eo. P.

1. *Argenti.* Argenti facti, id est, argenteorum vasorum.

2. *Et solus, etc.* Gloriaris te habere, vel diligenter et suxie tibi comparasti vasa arebetypa caelata et elaborata ab his nobilibus artificibus, Myrone, Praxitele, etc. de quibus Plinius lib. XXXIV, eap. 8. — *Myronis.* Praeclari illi artifices, operibus suis nomen inseulpebant suum. Seneca lib. I, de Tranquill. vitae, e. 1: *Placet minister incultus et rudis vernula, argentum grave rustici patris sine ullo opere et nomine artificis.* Herald.

4. *Phidiaci, etc.* Phidiacum eaelum appellat, quia toreuticen ille primus aperuit ac demonstravit. — *Caeli.* Stili sculptorii.

5. *Mentoreos labores.* Mentor nobilis toreuta. — *Labores.* Proprie enim de eaelatura labor. Sic Martialis lib. VIII, epigr. 51: *Quis labor in phiala?* Hinc *laboriosi caelatores* vulgo dieti.

6. Solebant enim avari artifices Veterum manus plerumque imitari, et inscriptiones effigere, quo pretiosiora vasa fierent; quod archetypa imitatis praeferrentur. — *Gratiana.* Ex officina Gratii euiusdam, cuius opera tune placebant (gallice, *étaient à la mode*); ut legitur apud Plinium, l. XXXIII, eap. 11: *Vasa ex argento mira inconstantia humani ingenii variat, nullum genus officinae diu probando, nunc Forniana, nunc Clodiana, nunc Gratiana.* Ed. P.

7. *Callaico.* Callaici, sive Gallaici, aut Gallaeci, populi sunt Hispaniae Tarraconensis ad occasum et Boream; attingunt a meridie Lusitaniam; ab oriente Asturias; nunc *la Galice.* Apud eos aurum eruebatur ad deaurandum argentum probatissimum, quodque phialis allini solebat eleganti artifieio, fortasse ab illis invento.

8. *Anaglypta.* Hoc est, vasa in asperitatem excisa, ut scribit Plin. lib. XXXIII, cap. 11; ab ἀνὰ, *sursum*, et γλύφω, *scalpo.* Virgil. Aen. l. V, vs. 267. — *Mensis de paternis.* Hoc addit ut ostendat illorum poculorum antiquitatem, quibus usi fuerant Charini maiores.

10. *Purum.* Hic epigrammatis acumen et scopus; *purum* enim argentum dicebatur non *contaminatum*, id est, *non caelatum* aut non alii metallo *mixtum*; sed ab ambiguo exprobrat Charino oris impuritatem, a quo vasa haec omnia conspurcabantur, et, ut ita dicam, impurabantur.

40. — AD POSTHVMVM.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecae ter numeranda domus;
Praetulimus tantis solum te, Posthume, regnis:
Pauper eras, et eques, sed mihi consul eras.
Tecum ter denas numeravi, Posthume, brumas:
Communis nobis lectus et unus erat.
Iam donare potes, iam perdere, plenus honorum,

Neglectis divitibus patronis, Noster per annos triginta diligentissime coluerat Posthumum pauperem; qui tacita sic sese quasi obstrinxerat obligatione amicum tam fidelem remunerandi, si quando potens fieret ac locuples. Quod quum accidisset, et Posthumus dives, quid deberet Posthumus pauper, oblivisceretur, eum ingrati animi reum facit Martialis, Fortunamque incusat, quae malae fidei virum ditaverit Ed. P.

1. *Atria Pisonum*, *etc.* Sensus est: Poteram mihi patronos et amicos eligere ex domo illa Calpurniorum, cui cognomen fuit Pisonum; quum enim te, Posthume, patronum elegi, florebat illa familia longa virorum nobilissimorum serie, cum toto splendore suo antiquo; patebat mihi etiam celebris Senecarum familia: hos divites omnes tibi postposui pauperi, etc. Ed. P. — *Stabant*. Florebant. — *Atria*. In atrio seu primo domus aditu collocabantur stemmata et maiorum imagines. Ed. P. — *Stemmate*. Stemma est ordo genealogiae in picta arbore eiusque ramis descriptus. Στέμμα proprie coronam significat; nempe ex arboris illius genealogicae ramis fiebant circuli in modum coronae, in quibus vel imago, vel nomen alicuius e maioribus poneretur. Seneca de Benef. lib. III, cap. 28: *Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine et multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima aedium collocant, noti magis quam nobiles fiunt.* Iuvenalis, sat. VIII, vs. 1: *Stemmata quid faciunt?*

2. *Et docti Senecae ter numeranda.* Ter celebris, valde celebris, more graeco: alii intelligunt *divisa in tres familias*, propter tres Rhetoris filios.

3. *Regnis.* Regibus. Patronos appellari reges a clientibus iam saepe diximus. Ed. P.

4. *Pauper eras, sed eques* legi vult Scriverius. — *Paupe*, *etc.* Pauperem te et non patricium, ut Pisones, sed equitem, anteposui te et nobilioribus ac ditioribus; neque tamen secus colui, atque consulem aut consularem. *Rad.*

6. *Communis nobis lectus.* Quo ad mensam accumberemus. — *Et unus.* Communis lectus esse potest duobus amicis, et non unus tamen: potest enim uterque suum lectum habere, et cubare simul altero derelicto vacuo, ot quoties libuerit possint separari. Hoc quamvis sit signum arctissimae necessitudinis, non tamen tantae quanta illorum est, quibus duobus tantum unus lectus est, qui nullo casu possunt distrahi et seiungi. *Ramir.*

7. *Iam donare*, *etc.* Iam largiri

Largus opum: exspecto, Posthume, quid facias.
Nil facis: et serum est alium mihi quaerere regem.
Hoc, Fortuna, placet? Posthumus imposuit.

amicis munera facile potes, immo multa impune perdere ac sine magno detrimento, ita honoribus et opibus large abundas.

9. *Nil facis.* Nihil mihi largiris, quum tamen maxime nunc indigeam tua liberalitate, quippe qui senex aegre novos patronos sim inventurus, et morte instante non satis habiturus temporis aut virium ad gratiam alicuius aucupandam. Ed. P.

10. *Hoc, Fortuna, placet?* Cur, o Fortuna, Posthumum beasti, quem ingratum et avarum fore noras? An tibi placet his perfidis benefacere? Neutiquam (respondet Fortuna), sed Posthumum liberaliorem fore putabam; ille mihi imposuit, tibique pro eo vota facienti: nos fefellit.

41. — IN MALE RECITANTEM.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus illa magis.

1. *Circumdas vellera.* Intellige focalis, quae erant fasciae, seu vellera, a faucibus quas muniebant contra ravim (quasi faucalia) dicta, quibus fauces, aures, et colla muniebant recitaturi ne frigore corriperentur, nec obstrepentium clamore terrerentur.

2. *Conveniunt nostris.* Ne te ineptum recitatorem, vel forte ineptum scriptorem audiamus: allusum videtur ad id Xenocratis: *Pueris adversum turpia dicta potius muniendae aures follibus, quam athletis adversum ictus adversariorum.* Laërtius, IV. Vid. lib. XIV, epigr. 142: *Si recitaturus dedero tibi forte libellum, Hoc focale tuas asserat auriculas.*

42. — AD FLACCVM.

Si quis forte mihi posset praestare roganti;

Laudat Flacci puerum Amazonicum artificiose; describit enim quem puerum optaret, et post longam descriptionem talem fuisse Amazonicum affirmat. *Ramires.*

1. *Roganti.* Pretio prostitutum, ut lib. IX, epigr. 7 et 9. Alii, *locanti*; nec quidquam offendit in utraque varietate. Commodato petere, per verbum *rogare* quoque exprimitur; vide supra epigr. 15, versu 1; et Cicer. in Verrem: *Quae posteaquam ille omnia abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo.* Vid. l. VIII, epigr. 52, vs. 5, in quo Rufo commodat puerum Martialis, et lib. I, epigr. 59, ubi queritur Martialis se non posse cariorem emere puerum.

Audi, quem puerum, Flacce, rogare velim.
Niliacis primum puer is nascatur in oris:
Nequitias tellus scit dare nulla magis.
Sit nive candidior: namque in Mareotide fusca
Pulchrior est, quanto rarior iste color.
Lumina sideribus certent, mollesque flagellent
Colla comae: tortas non amo, Flacce, comas.
Frons brevis, atque modus breviter sit naribus uncis;
Paestanis rubeant aemula labra rosis.
Saepe et nolentem cogat, nolitque volentem:
Liberior domino saepe sit ille suo.

2. Et hic etiam nonnolli legunt *locare* pro *rogare*. Ald. Iunt. et Colin. quae versu primo *roganti* habent, hic *locare* exhibent.

4. *Nequitias tellus*, etc. Lascivism et improbitatem veneream. Iuveoalis. sat. XV, 45. Vide lib. III, epigr. 62, vs. 5; Ovld. lib. I Tristium, elegia 2: *Non ut Alexandri claram delatus in urbem Delicias videam, Nile iocose, tuas.* Consentiunt enim iunumera Veterum testimonia, quibus constet Aegyptlos fuisse deditos nequitiis; deducitur autem illa vox *nequitiae* a voce *nequam*, quae ipsa per syncopen deducitur a *ne quidquam*, id est *nihil*: ita ut homo nequam significet homo nullius pretil, gallice *un homme de rien*; et quum sigoificare velleot Veteres homioem luxuriosum, etc. dicebant *hominem nequam*.

5. *Namque*, etc. Namque inter Aegyptios, qui omnes fere fusci sunt, maiori in pretio est, quo quis sit candidior. — Poëta, credo, voluit io Aegypto plerosque fuscos esse, at cui color candidus, eum esse purissimum. Eo. P. — *Mareotide.* Mareotis lacus est Aegypti.

7. *Flagellent.* Dimissae et diffusae fluant per colla, non crobylis, annulis, aut cirris calamistratae.

8. Iuotina nostra margini adscriptum habet *curtas* pro *tortas*, quod probabilius est. Haec vocabula facillime permutantur in membranis.

9. *Frons brevis*, etc. Frons tenuis Veteribus in laude. Sic canit Horatius, od. I, 33, ad Tibullum: *Insignem tenui fronte Lycorida Cyri Torret amor.* — *Modus breviter*, etc. Sit modus naribus breviter, id est, modice uncis. Sic fere Petronius loquitur: *Nares paululum inflexae.* Et Sidonius lib. I, epist. 2, de Theodorico rege: *Nasus venustissime incurvus.*

10. *Paestanis rubeant aemula r.* In Paesto Lucaniae oppido bis in anno proveniebant rosae.

11. *Saepe et nolentem*, etc. Grata petulantia et protervitate. Vt saepe excitentur et quasi cogantur noleotes; saepeque volentes, quo magis iocendantur, ad tempus frustrentur; ut videre est lib. V, epigr. 46 et 83 et supr. epigr. 88.

Et timeat pueros, excludat saepe puellas;
Vir reliquis, uni sit puer ille mihi.
Iam scio, nec fallis; nam me quoque iudice verum est:
Talis erat, dices, noster Amazonicus.

13. *Et timeat.... excludat.* Zelotypis testetur amorem.

14. *Vir reliquis, etc.* Sic vocabant eos quos ad rem veneream inhabiles volebant significare; exsuerant enim puerilem aetatem, quae sola τὰ παιδικὰ patiebatur. Aliis neget, mihi soli det.

15. *Iam scio, etc.* Respondet voto suo Poëta ex persona Flacci, cuius puerum Amazonicum talem fuisse dicit. — *Nec fallis.* Formula vetus est pro *verum dicis.* Dicebant enim Veteres *si sciens fallo*, id est, *nisi verum dico.* Ramirez.

43. — IN CORACINVM.

Non dixi, Coracine, te cinaedum:
Non sum tam temerarius, nec audax,
Nec mendacia qui loquar libenter.
Si dixi, Coracine, te cinaedum,
Iratam mihi Pontiae lagenam,
Iratum calicem mihi Metili.
Iuro per Syrios tibi tumores,

Est faceta quaedam in Coracinum illusio expressa per suspensionem, quae desinit in paradoxon. Negat enim quod minus est probrum, et fatetur quod est maius. Similis iocus refertur a Quintiliano de Iunio Basso, lib. VI, cap. 3; qui querente Domitia Passieni, quod, incusans eius sordes, calceos eam veteres dicerel vendere solere; *Non me hercule*, inquit, *hoc unquam dixi, sed emere te solere.* Simile est lib. II, epigr. 28, in Sextillum. *Ramirez.*

2. *Temerarius.* Vides distingui temerarium ab audaci. Distinxerunt et alii. Titus Livius, lib. XXV: *Marcius ad consilium, prima specie temerarium magis quam audax, animum adiecit, ut ultro castra hostium oppugnaret.*

5. *Iratam mihi.* Supple *precor*, *habeam*, aut *experiar.* Imprecationis formula. — *Pontiae.* Veneficae, quae, ut Iuvenalis ait, aconita filiis suis miscuerat. Lib. II, epigr. 34. — *Lagenam... calicem mihi.* Vas quo miscetur venenum.

6. *Metili.* Venefici; vel etiam putidi, cui foetebat anima.

7. *Syrios tumores.* Occasionem rixandi dedit hic locus interpretibus. Ego cum Merula intelligo tumores illos, ulcera et morbos quibus credebatur irata Isis inflare peierantes, ex mente Persii, sat. V, vs. 187: *Hinc grandes Galli, et cum sistro lusca sa-*

Iuro per Berecynthios furores.
Quod dixi tamen, hoc leve et pusillum est:
Quod notum est, quod et ipse non negabis;
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

cerdos incussere deos inflantes corpora: si non Praedictum ter mane caput gustaveris alli. Nec quidem Isis sola dea erat, quae tumores istos mittere credebatur. — Alii tamen putant hic dicere Martialem quod explicat sequenti versu, id est: Iuro per tumores provenientes ex verberibus vulneribusque, quae Galli sibi sacerdotes fanatico furore correpti, iubente Cybele, dea Syris, sibi infligunt. Quam rem graphice depingit Apuleius, Metam. lib. VIII. Hic sensus minus mihi placet. Ed. P.

8. *Per Berecynthios furores.* Id e., per furores quos Cybele Ita suis sacerdotibus immittit, ut cultris sibi lacertos, pectus et humeros secent. — *Berecynthios.* Fuit appellata Berecynthia Cybele propter templum quod illi erat in monte Phrygiae Berecyntho. Ed. P.

9. *Quid dixi tamen? hoc leve, etc.* legit Musambertina.

11. *Dixi te, etc.* Negabat probrum levius, profitetur vero sarcastice quod gravius est.

44. — DE VESVVIO MONTE.

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris:
Presserat hic madidos nobilis uva lacus.

Vesuvium montem nuperrime Deorum benignitate felicem, nunc eorumdem ira tristissimum, non iam vitibus, quas alebat, decorantibus aureum, sed flammis, quas avomit, populantibus horridissimum pingit Martialis. Incendium hoc, Tito imperante, Romanis terrorem iniecerat, prodigium omnino inauditum, vel saltem multis a seculis repetitum, mirantibus. Hoc exstinctus est diligentissimus naturae indagator, Plinius, sicut vixit ita moriens, rerum causas explorando; cuius casum accurate describit Plinius Iunior lib. VI, epistola 16, ad Tacitum. Ed. P.

1. *Pampineis viridis.... umbris.* Id est, viridis pampinis umbriferis: sic per metonymiam viriditatem, quae ad vitem pertinet, tribuit umbrae, quae semper nigra. Ed. P. — *Pampineis.* Non priscam fertilitatem dedidicit Vesuvius, multo vino quod Graecum vocatur, nostris diebus copiosus. Ed. Par. — *Viridis modo.* Nunc autem niger; namque *Cuncta iacent flammis, et tristi mersa favilla.* Ed. P.— *Vesvius.* Vesvius, vel Vesuvius (quem et alii vocant Vesebium, vel Vesbium), mons ignivomus in terra Laboris prope Neapolim; nunc vulgo vocatus *il monte di Somma*, tribus millibus et septingentis pedibus supra maris superficiem eminens, et ex anno I. C. 79 ad annum 1779, triginta et tribus eruptionibus celebris. Hunc prope recolligitur vinum vocatum *Lacryma Christi*, sua fama non omnino dignum. Ed. Par.

2. *Presserat.* Oppleverat. — *Lacus.*

Haec iuga, quam Nysae colles, plus Bacchus amavit:
Hoc nuper Satyri monte dedere choros.
Haec Veneris sedes, Lacedaemone gratior illi :
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta iacent flammis, et tristi mersa favilla :
Nec Superi vellent hoc licuisse sibi.

Torcularia. Sive intellige vasa quae excipiunt vinum, torculari expressum.

3. *Haec iuga, etc.* Ob vini nobilitatem Bacchus praetulit Vesuvium montem Nysae, Indiae monti, ubi ex Iovis femore editus fuit; unde invenit nomen Dionysii a patre Iove (Ζεύς, gen. Διός), et Nysa (Νύσα). Prope montem Nysam est urbs Nysa ad fluvium Indum. Nysa est quoque unus e verticibus Parnassi.

4. *Satyri.* Bacchi comites Satyri, qui choreas agebant in locis amoenis; eratque eorum locorum summa laus.

5. *Haec Veneris sedes.* Veneri et Herculi templum in Vesuvio dicatum fuit: Lacedaemone autem colebatur Venus. Pausanias in Laconicis.

6. *Herculeo.* Oppidum Herculanum fuit cum Pompeia hoc incendio sepultum. Ed. P.

7. *Cuncta iacent.... mersa favilla.* Hoc incendio, ut diximus supra, occidit Plinius maior. Nec est habenda fides Eusebio, qui scribit duodecimo anno Traiani imperatoris periisse Plinium, dum viseret incendium Vesuvii montis. Nam quum id. Plinius Hist. Nat. lib. II, cap. 106 enumeret ea loca per quae erumpit ignis e terra, non meminit Vesuvii montis: unde colligitur hoc incendium tempore Titi vel primum fuisse, vel a multis saeculis repetitum. Non enim fugisset diligentissimum scriptorem incendium ipsius tempore adeo celebre. Sed credibile exsitatum fuisse ea fama, ut vellet oculis insigne illud naturae miraculum perlustrare, ut id literis mandaret, quemadmodum Plinius iunior in supra dicta epistola testatur fecisse. *Ramir.*

8. *Nec superi vellent.* Hyperbolικῶς innuit Poëta deos ipsos huius incendii poenituisse; ita ut vellent sibi ablatam hominibus nocendi et eos puniendi facultatem.

45. — VOTVM PARTHENII AD PHOEBVM PRO BVRRO FILIO.

Haec tibi pro nato plena dat laetus acerra,

Suas preces precibus adiungit Parthenii, Domitiani cubicularii, pro Burro filio, quintum natalis suae diei anniversarium complectente, sacrificium Phoebo patrantis; Apollinem igitur Apollinis alumnus Noster rogat, ut patris vota libenter accipiat, et nati vitam clementer producat. Ed. Par.

4, *Haec.... munera.* Thus scilicet. — *Plena.... acerra.* Id est, abunde; proverbialiter dictum. Acerra est vas thurarium. Contra vero parva acerra significabat pauperum et tenuium sa-

Phoebe, Palatinus munera Parthenius;
Vt qui prima novo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
Fac rata vota patris : sic te tua diligat arbor,
Gaudeat et certa virginitate soror:
Perpetuo sic flore mices : sic denique non sint
Tam longae Bromio, quam tibi, Phoebe, comae.

crificium, qui tribus digitis paucula grana thuris libabant. *Ramir.*

2. *Phoebe.* Phoebo, qui semper iuveois, commendatur iuventus. — *Palatinus..... Parthenius.* Parthenius in Palatio Imperatori serviebat a cubiculo, de quo Suetooius io Domitiano cap. 16, et Noster lib. V, epigr. 6.

3. *Lustro.* Lustrum eat apatium quinque annorum, Olympias vero quatuor; quarto euim anoo expleto, quinto ineuote Olympici ludi celebrabantur in honorem Iovis Olympici ad urbes Graeciae Pisam et Elidem. Vid. ad lib. VII, epigr. 40, v. 6.

5. *Fac rata vota patris.* Fac ot pater, quod orat, exoret. — *Diligat arbor.* Daphne nempe in laurum mutata, quam uxorem ducere cupiebat Apollo. Ovid. Met. I.

6. *Soror.* Diana scilicet, cuius pudicitiam tentaverat Orion. Perpetuam virgioitatem servasse Dianam, et castitatis laudem meruisse, omnium scriptorum testimonio comprobatur. Id autem gratissimum Apollini fratri semper fuit : timuitque aliquaodo ne secus illa faceret. Sic Oriona, ob temeritatem ab ea sagittis confectum caoit Horatius III, od. 4: *Et integrae Tentator Orion Dianae Virginea domitus sagitta.* Occisum vero esse virgineae sagittae io ictu fronte tradit Diocles in Lethiferis Pharmacis postquam ab Apolline decepta fuisset, qui sponsionem subdole fecerat com ea, si in notum quoddam aigoum certo sagittam dirigeret, dum ipse probe nosset caput esse advenientis Orionis; qui tantae magoitudinis erat, ut a quavis vel maxima profunditate humeros saltem supereminens emitteret. Sic Virgilio, Aeoeid. lib. X, vs. 763: *Quum pedes incedit, medii per maxima Nerei Stagna viam scindens, humero supereminet undas.* Id autem fecisse Apollinem constat, quod suspicaretor aliquem amuris igniculum io sorore accensum consuetudine Orionis, quae etiam illi nubere decreverit. Callimachus in Hymnois: Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν. *Da mihi, tata, virginitatem in aeternum conservare.*

7 *Flore.* Iuventae. Apollo, ot Bacchus quoque, gloriatur aeterno ioventutis flore.

8. *Tam longae Bromio.* Bromius vocabatur Bacchus, a βρέμω, *fremo*, quia furor vino inspiratur. Is crines, ut Phoebus, iotonsos et iuveniliter fluentes gestabat, qua laude certare videbatur cum Phoebo; quem ne Bacchus vincat precatur Martialis.

46. — DE SABELLO.

Saturnalia divitem Sabellum
Fecerunt : merito tumet Sabellus ;
Nec quemquam putat esse, praedicatque
Inter causidicos beatiorem.
Hos fastus animosque dat Sabello
Farris semodius, fabaeque fressae,
Et thuris piperisque tres selibrae,
Et Lucanica ventre cum Falisco,

Mercedem causidici Romae accipiebant divites divitem, pauperes pauperem : sic enim Iuvenalis, sat. VII, 119, de pauperibus : *Quod vocis pretium? siccus petasunculus et vas Pelamidum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi; Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenae. Si quater egisti, etc.* — Sic idem de divite patrono Aemilio, ibid. 124 : *Aemilio dabitur quantum petet; et melius nos Egimus; huius enim stat currus aheneus, alti Quadriiuges in vestibulis, etc.* Deridet igitue causidicum pauperem Sabellum Martialis, qui, quum accepisset a clientibus, Saturnalium tempore, multa xenia, ut mos erat (vid. lib. XIII), sed nullius pretii, se divitem existimabat ac beatum; quae quidem enumerat Martialis. Similis est irrisio lib. VII, epigr. 53. Ed. P.

1. *Saturnalia.* Saturnalium tempore sicut et natali die, munera mittebantur patronis, sicut et amicis. — *Divitem.* Scilicet Sabelli unius sententia. Ed. P.

2. *Merito.* Ironice.

6. *Farris.* Est far quodlibet frumenti genus; vulgo tamen optimum significat. — *Semodius.* Mensura aridorum, dimidiam modii partem continens : modius vero, inquit Raderus, capiebat viginti sex libras et octo uncias. — *Fabaeque fressae.* Frendeo (*frendui, fressum*) idem est, ac frango. Fabae igitur fressae aut fractae sunt fabae nudatae extima illa pellicula duriori, qua teguntur, ut fiat mollius et suavius pulmentum. Porcus dicitur *nefrens*, qui nondum fabas frendet, seu frangit; porcus lactens.

7. *Tres selibrae.* Selibra est semilibra. — Quod Martialis dicat *tres selibrae*, non autem uno verbo *sesquilibra*, inde coniiciunt quidam a tribus clientibus fuisse missas tres selibras; quod non reiicimus Ed. P.

8. *Lucanica.* Lucanica est intestinum suillum frustis porcinae carnis, pipere et aliis saporibus conditum. Vid. lib. XIII, epigr. 35. Quod farciminis genus, *isicium* quoque dictum, milites a Lucanis didicerunt, ut Varro scribit lib IV de L. L. *Lucanicam dicunt, quod milites a Lucanis didicerunt, qui et a Faliscis ventrem.* Vide et Athenaeum lib. IX, cap. 5. Lucani sunt Italiae populi, quorum regio nunc vocatur *Basilicata*. Ed. P. — *Ventre cum Falisco.* Cum ventre porcino certis modis condito, et farciminibus tur-

Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus Libyca gelata testa,
Cum bulbis, cochleisque, caseoque.
Piceno quoque venit a cliente
Parcae cistula non capax olivae,
Et crasso figuli polita caelo

gente; ita vocatum est hoc opsonii genus a Faliscis, a quibus milites hoc acceperant, teste Varrone; loco supra citato. Faliscorum urbs primaria Faliscum, sive Falisca, nunc *Galese*.

9. *Et nigri Syra.* Syra lagena, hoc est, vitrea, quia vitrum in Syris inventum, teste Plinio lib. XXXI, cap. 26. *Defrutum* vero Columella libro XII, capite 21, sic explicat: *Mustum quam dulcissimum decoquitur ad tertias, et decoctum, sicut supra dixi, defrutum vocatur.* Idem dicit Plinius lib. XIV, c. 9.

10. *Et ficus Libyca, etc.* Ficus hiberna Africana. Alia sunt enim ficus hibernae, aliae aestivae. De ficubus Libycis hibernis scitum est, a Catone *Africanis* appellatis, quae causa fuerunt belli Punici tertii.— *Ficus.* Quum hae ficus magno haberentur in pretio, putat Ramiresius unam tantum missam Sabello: quum plures xenium essent non contemnendum et divitibus patronis reservatum; quod forsan subtilius nobis videtur. Ed. P. — *Gelata.* Gelatam dicit ficum (non testam ut multi putaverunt, obstante metro), quia stipata erat ac densata ficus in testa ipsa et adstricta quodam roscido humore, qui ex ficu emissus circa eam paululum durescebat. Ed. P. — Alii intelligunt *gelatam*, quod tempore brumali missa fuisset ficus, alii quod ficuum cortex esset tactu frigidus; alii tandem, sed certe perperam, *testam* intelligunt durum ficus corium. Iudicet lector, et si nostrum sensum adoptavit, videat I. Barclaii Argenidem lib. V, de artificiosa ratione gelandi glacieque incrustandi poma in Africa.

11. *Bulbis, etc.* Bulbi coepae sunt (gallice, *des oignons*), maxime herbarum, quarum radices rotundae et tunicatae, ut liliorum, tuliparum, etc. Sunt etiam coepae quaedam Ascaloniae (gallice, *des échalotes*) dictae. *Cochleae* sunt proprie limaces testa inclusae. — Erant *bulbi* luxuriosis in deliciis. Athenaeum lib. II, cap. 22; Dioscorides lib. II, cap. 9. Notandumque bulbos et cochleas saepe coniungi. Petronius: *Mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine iure cervicibus, hausi parcius merum.*

12. *Piceno quoque, etc.* Ager Picenus est in Umbria, olivarum dives; hodie vocatur *la Marca d'Ancona.* De olivis ex agro Piceno, vide quae lib. XIII, epigr. 36, Poëta dixerit: *Haec quae Picenis venit subducta trapetis, Inchoat atque eadem finit oliva dapes.*

13 *Parcae cistula, etc.* Extenuat munus: cistellam enim tam angustam fuisse iocabundus dicit, ut vix paucarum olivarum capax.

14. Edd. vett. *polita coeno*, et sic in codice Palat. probante Grutero.— *Crasso coelo.* Rotam figuli Saguntini ironice vocat *coelum* (*burin*) ab operibus nobilibus ad vilia translato nomine.

Septenaria synthesis Sagunti,
Hispanae luteum rotae toreuma,
Et lato variata mappa clavo.
Saturnalia fructuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

15. *Septenaria synthesis* Synthesis vox est graeca (σύν, *cum*; τίθημι, *pono*) quae plurimarum rerum collectionem compositionemque significat, sed praecipue vestium; unde per synecdochen synthesis pro veste sumitur; sic lib. V, epigr. 79: *Vndecies una surrexisti, Zoile, coena, Et mutata tibi est synthesis undecies*. Et ultimo versu: *Frigus enim magnum synthesis una fecit*. Vide et lib. II, epigr. 46; vs. 4. Sed proprie hoc verbo, ut dixi, universa vestia composita in vestiario vocabatur; hinc per translationem eleganter *synthesim vasorum* appellat vasorum collectionem, et *septenariam* addit, quia septem vasa saguntina paria contineret. — Alii intelligunt *septenariam synthesim* vas capax septuncis, id est, septem cyathorum. — *Sagunti*. Saguntus, sive Saguntum, nunc *Morvedre*, oppidum olim clarissimum Tarraconensis Hispaniae, unde fictilia Romam advehebantur.

16. *Luteum*. Ex vili argilla factum. Lib. VIII, epigr. 6, vs. 2: *Ficta Saguntino cymbia malo luto*. — *Toreuma*. Proprie est opus torno factum, aut sculptum, a τορεύω, *torno*, *sculpo*; ut supra rotam Hispanam vocavit *coelum*, sic vasa hac rota confecta *toreuma luteum* irrisorie vocat; quum id nomen caelatis auri argentique vasis tribuatur.

17. *Et lato variata, etc.* Mappas Saturnalium tempore mitti solere vulgatum. Hae autem mappae vel purae erant, vel *clavatae*, id est variegatae orbiculis, flosculis, aut stellulis e panno aureo vel purpureo assutis in mappae limbo. Latus clavus senatorum erat insigne, angustus vero equitum: magnum erat igitur munus Sabello mappa latis distincta clavis, quam Petronius mappam laticlaviam appellat: *Pallio enim coccineo ad rasum incluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus*; ubi *immiserat*, pro *straverat*, dixit non communi notione. *Ramir*. De lato clavo, vid. lib. V, epigr. 17, vs. 3.

18. *Saturnalia fructuosiora*. An non ex his muneribus tantis, iusta *Sabello* fastus causa?

47. — DE PHAETHONTE.

Encaustus Phaëthon tabula depictus in hac est.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaëthonta facis?

1. *Encaustus Phaethon*. Encaustice genus est picturae, quae in cera vel ebore ignitis instrumentis fiebat, ab ἐγκαίομαι, *inuror*. Vide Plinium lib. XXXV, cap. 11. Gallice, *de l'émail*.

2. *Dipyron*. Alludit ad casum Phae-

thontis, qui igne caelesti fuit consumptus, et iterum igne expressus a pictore, eumdem casum subire videtur. Dipyros ergo (δὶς, πῦρ), hoc est, *bis ustus*, merito dici potest.

48. — IN PAPILVM.

Percidi gaudes: percisus, Papile, ploras.
Cur, quae vis fieri, Papile, facta doles?
Poenitet obscoenae pruriginis, an magis illud
Fles, quod percidi, Papile, desieris?

1. *Praecidi gaudes, praecisus* in edd. vett. — *Percidi*. Vid. lib. II, epigr. 72, v. 3.

2. *Cur, etc.* Si enim poeniteat facti, cur ultra pateris? immo a nova prurigine oriuntur lacrymae tuae, Papile.

49. — AD FLACCVM.

Nescis, crede mihi, quid sint Epigrammata, Flacce,
Qui tantum lusus illa, iocosque putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia saevi
Tereos; aut coenam, crude Thyesta, tuam;

Epigrammata, quasi lusorias pusilli pretii nugas, fastidioso Flaccus despiciebat supercilio; et versus lectu tam faciles facile deduci putabat. Cui respondet Noster plus fortasse poëticae dignitatis inesse lepidis istis quam epicis carminibus: quod si confirmatum volueris, lege lib X, epigr. 4, in quo docet vatem heroicum, in somniorum regione, saepe relicta natura, vagantem, plus delectationis afferre quam utilitatis, epigrammatographum contra, in vitiis insectandis, et emendandis moribus totum, et delectationi simul ac utilitati esse legentibus. Ed. Par.

1. *Flacce*. Forsan ille idem est Valerius Flaccus, Argonauticorum scriptor, ad quem lib. I, epigr. 77. Ed. Par.

3. *Prandia saevi Tereos.* Tereus, Thraciae rex, et Prognes maritus, uxoris suae sororem Philomelam temeraverat, et abscissa lingua in castellum incluserat. Quae tamen iniuriae suae imaginem tota expressam ad Procnem mittere potuit: illa per Bacchanalium tumultum liberata Philomela, Itym filium patri Tereo comedendum apposuit, et satури caput abiecit: Tereus in upupam, Procne in hirundinem, Philomela in lusciniam conversa fuit. Ed. P.

4. *Tereos*. Genitivus graecus. — *Crude*. Crudelis. Sic Ovidio: *Non tibi Thermodoon, crudusve rogabitur Atreus*. Vel forsan, quum Atreus, non Thyestes, convivium adparaverit, *crude* intelligerem de stomacho patris infelicis dapes nefandas quasi hor-

Aut puero liquidas aptantem Daedalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.
A nostris procul est omnis vesica libellis:
Musa nec insano syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

rentis, et concoquere nolentis: hanc enim vocis *erudus* significationem vidimus lib. III, epigr. 13, v. 4. Ed. P. — *Crude Thyesta, tuam.* Filii sui membra a fratre Atreo apposita epulatus est Thyestes. Ed. P.

5. *Aut puero, etc.* Fabula notissima; sicut et Polyphemi. Similis est enumeratio epicorum argumentorum apud Iuven. sat. I, 7 sqq.: *Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus Martis, et Aeoliis vicinum rupibus antrum Vulcani: quid agant venti; quas torqueat umbras Aeacus; unde alius furtivae devehat aurum Pelliculae; quantas iaculetur Monychus ornos; Frontonis platani convulsaque marmora clamant Semper.* Et infra vs. 52 sqq.: *sed quid magis Heracleas, Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi, Et mare percussum puero, fabrumque volantem.* Ed. P. — *Liquidas.* Ex cera factas, ita ut solis ardore liquefierent.

Daedalon. Accusativus graecus, ut mox Polyphemon est. Ed. P.

7. *Vesica.* Tumor, ampullatum dicendi genus et ventosum; gallice *enflure*. Ed. P.

8. *Insano.* Furiosum in morem agitato et iactato. — *Syrmate.* Syrma sic appellatur a σύρω, *traho*; ea pars vestis est quae oblonga nimis solum verrit, qualem reges et heroës trahebant per theatra in agendis tragoediis. Ait metaphorice Poëta se stylo tragico non immoderate turgere.

9. *Illa tamen.* Flaccus obiicit: tamen laudantur poëmata tragica et epica.

10. *Sed ista legunt.* Sic innuit ista tumida carmina non legi; facilius enim erat, et nostris diebus est, longa volumina nescio quid soporiferi secum apportantia laudare, ut gallice dicimus, *sur parole*, quam legere; quum autem nullius sit laboris epigrammata brevi et venusto argumento scripta ad recreationem pervolvere. Vide lib. VIII, epigr. 3, etc. Ed. P.

50 — IN THAIDEM.

Quid me, Thai, senem subinde dicis?
Nemo est, Thai, senex ad irrumandum.

Tecte fellatricem appellat Thaidem, quam supra, epigr. 12, eodem vitio notavit.

2. *Nemo est, etc.* Namque hic non tanta vi opus est, et ad hoc genus libidinis pronior est senectus, ut de Tiberio Suetonius cap. 44, *pronior sane ad id genus libidinis et natura et aetate*; et Iuven. sat. X, 208. Vid. et lib. III, epigr. 75, versu 5. Hic simul Thaim accusat, quasi diceret: satis, quamvis senex, aptus sum ad usum quem appetis.

51. — AD CAECILIANVM.

Quum tibi non essent sex millia, Caeciliane,
Ingenti late vectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit Dea caeca, sinumque
Ruperunt nummi, factus es ecce pedes.
Quid tibi pro meritis, et tantis laudibus optem?
Di reddant sellam, Caeciliane, tibi.

Similem Calaeno (lib. I, epigr. 100), et Scaevolae (lib. I, epigr. 104), reprehendit Caecilianum, qui, quamdiu mediocribus fuit in rebus, satis laute vixit, deinde factus est simul dives et avarus. Ed. P.

1. *Sex millia.* Sestertium.

2. *Hexaphoro.* Hexaphorum est lectica a sex servis gestata (ἕξ, *sex*; φέρω, *fero*). Sic Iuvenal. sat 1: *quum iam sexta cervice feratur Hinc atque inde patens, etc.*

3. *Bis decies, etc.* Vicies centena millia HS.— *Dea caeca, etc.* Fortuna quae, ac si caeca esset, inique distribuit munera. — *Sinumque.* Solebant Veteres ea in sinu reponere, quae secum ferre necesse erat; his verbis pecunia abundasse Caecilianum significat. Sic Horat. lib. II, sat. 3: *Te talos, Aule, nucesque Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi.*

4. Beverlandi MS. *factus es ipse pedes.*

5. *Et tantis laudibus.* Frugalitatis nempe, per ironiam.

6. *Di reddant.* Hoc est, hexaphorum, seu pristinam conditionem reddant, quum fortunae muneribus male utaris. Sic lib. I, epigr. 104: *Aut vive, aut decies, Scaevola, redde deis.*

52. — IN HEDYLVM.

Gestari iunctis nisi desinis, Hedyle, capris,

1. *Gestari iunctis.* Fico laborans *Hedylus* seu *Aedilus*, ut scribunt alii (de quo morbo dictum lib. I, epigramm. 66), capris simul iunctis vehebatur, ut lib. I, epigr. 105, de pardis, cervis, etc. etc. diximus, et de Heliogabalo canibus iunctis vecto refert Lampridius. Illinc colligit Poëta illum mox fore caprificum, habita ratione vocum, non verae significationis, ex capra enim et ficu fit caprificus. Similis iocus est in voce *Argonautas* lib. III, epigr. 67. Alii has capras meretrices fuisse putant. Vid. Horat. lib. I, epist. 5. Domitius contra haec: Hedylus turpi quaestu lucrabatur, nam cinaedus fuerat: adeo ut quum gestaretur lectica, servos superbe appellaret capros. Simul morbus Hedyli notatur; qui ex nimio pruritu factus erat ficosus: ait ergo, quum soleat servos appellare capros et ipse ficus sit ob morbum, posse vocari caprificum. *Domit.* Brodaeus intelligit hircosos servos, impuros et olentes. Contra caprae iun-

Qui modo ficus eras, iam caprificus eris.

etae effingerent quoddam genus concubitus, de quo iam Martial. et quo tres una serie catenati coibant. Iude iocatur poëta in Hedylum, qui quum a paedicatione ficosus evasisset, nunc utitur concubitu olidarum meretricum, unde caprificus inditur nomen. Domit.

2. *Caprificus*. Est arbor sterilis in parietinis nascens, et ad summos muros assurgens, assiliensque instar caprarum; folio ficum quasi referens.

53. — AD COSMVM.

Hunc, quem saepe vides inter penetralia nostrae
Pallados, et templi limina, Cosme, novi,
Cum baculo, peraque senem; cui cana, putrisque
Stat coma, et in pectus sordida barba cadit;
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,

Epigramma est in fictum quemdam philosophum cynicum, qui solo corporis cultu et maledicentia Cynicum se profitebatur: quum omni prorsus cynica institutione et doctrina esset destitutus.

1. *Hunc quem saepe, etc.* Videretur ordo verborum significare hunc Cynicum stipem erogare in via *quae separat penetralia Pallados a liminibus novi templi*; quum autem *novum hoc templum* videatur Minervae Flavianae fanum a Domitiano exstructum (vid. lib. IX, epigr. 2), intelligemus *penetralia nostrae Pallados*, et *limina templi novi* unum tantum aedificium esse, in cuius porticibus, vel etiam interiori parte stabat Cynicus. Ed. P. — Quum enim receptacula miserorum essent templa, Cynicorum esse poterant; et Hieronymus de Diogene: *Habitavit autem in portarum vestibulis, et porticibus civitatum.*

3. *Cum baculo.* Haec est descriptio cultus Cynici. Ausonius, epigr. 52: *Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex Ista fuit Cynici.* — *Peraque.* Pera est sacculi viatorii genus, a collo ad lumbos pendens, quo obsonia feruntur. Lib. XIV, epigramm. 81.

4. *Stat coma.* Constat canitie et putredine: sic Virg. Aeneid. VI, vs. 300: *Stant lumina flamma*, et lib. XII, vs. 407: *Iam pulvere caelum Stare vident.* Sordes scilicet et squalorem affectabat secta illa impudentissima. Ed. P.

5. *Cerea quem nudum* legit Heraldus, et ineptire eos dicit qui *nudi* legunt. — *Cerea.* Vestis *cerea* dicitur, quum adeo attrita est, ut flavescat; vel quum sebo et sudore quasi incerata videtur. Vide lib. I, epigr. 93, vs. 7. — *Nudi, etc.* Nullo sindonis et lodicis operimento vestiti, nisi hac abolla, quae cum suo domino, velut fida uxor, nec unquam mutata, recubabat in grabato. Vide lib. XIV, epigr. 119. — *Abolla.* Abolla vestis erat duplicis generis, altera militum, altera vero philosophorum propria. — *Grabati.* Vilis lectuli.

Cui dat latratos obvia turba cibos;
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? canis.

6. *Cui dat latratos.* Suis enim latratibus stipem a praetereuntibus extorquebant Cynici. — Si legere vis; *Cuique datis latrant obvia turba cibis*, quod et adoptari potest hoc sensu: cui obvia turba dat ciboa latrando, id est, convicia in eum ingerendo, ut eum per derisionem et iocum imitetur. Gallice, *parodier*. Ed. P.

8. *Non est hic.* Sensus est: iste habitum quidem Cynici prae se fert, doctrinam autem non profitetur, sed mere in canem degeneravit. Vid. lib. I, epigr. 93. Huius sectae philosophi fuere a voce *κυών canis*, *cynici*, vel etiam per iocum *canes*, tum propter impudentiam qua omnia propalam agerent, quae caeteri homines solent abscondere, tum ob maledicentiam, qua in caeteros omnes veluti adlatrabant. Hinc quum Hecuba, doloris impatiens, probra et maledicts in obvios iaceret, in canem conversa fuisse dicitur a poëtis. Plaut. in Menaechm. *Nimis stulte dudum feci.* — *ME. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis. Omnia mala ingerebat, quemquem adspexerat. Itaque adeo iure coepta appellari est canis.*

54. — AD COLINVM.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas!
Si sapis, utaris totis, Coline, diebus,

Est epicurea exhortatio ad vivendum genioque indulgendum, quam iam alibi vidimus. — Eadem enim causa quae Christianos a deliciis dehortatur, ad voluptates incitabantur Ethnici, id est, vitae brevitatis reputatione: quum spes vitae futurae prioribus adsit, posterioribus deesset. Ed. P.

1. *O cui Tarpeias, etc.* O Coline! qui in Capitolino quinquennali certamine coronas quernas, Iovi consecratas, a Domitiano accepisti, etc. — *Tarpeias.* Tarpeias vocat has coronas, quia in ludis in honorem Iovis Capitolini a Domitiano institutis donabantur. *Capitolium* autem, antequam hoc suum sumeret nomen ex templo Iovi aedificato in cuius fundamentis humanum inventum fuit *caput*, *mons Tarpeius* vocabatur a Tarpeia, quae Sabinis virginum raptus ulturis arcis aditus aperuerat, moxque perfidiae dederat poenas, scutis eorumdem obruta. Ed. P.

2. *Prima.* Hinc intellige Colinum primum omnium fuisse coronatum, vel primam et praestantissimam adeptum fuisse coronam. Vel *prima* hic significat *nobilissima*; et frondem quernam, qua olim constabant civicae coronae, ait poëta *nobilissimam*, aut quia Iovi sacra erat, aut quia ab Imperatore data.

Extremumque tibi semper adesse putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: observant, quem statuere, diem.
Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior et nitido sis Meliore licet;
Nil adicit penso Lachesis, fusosque sororum
Explicat, et semper de tribus una secat.

5. *Lanificas puellas.* Parcas; Clothon, Lachesim et Atropon, quae dicuntur metiri vitam hominum ex fusis et staminibus, quae ex sua colunent et deducunt. Earum vero officia sic distinguuntur a poëtis, ut velint unam esse quae teneat colum, altera fusum deducat, tertia filum rescindat. Gallice, *les sœurs filandières.*

6. *Observant, etc.* Diem mortis nostrae, ubi decrevere, non praetereunt: Seneca in Hercule furente, choro primo: *Durae peragunt pensa sorores, Nec sua retro fila revolvunt.*

7. *Divitior Croeso* in quibusdam. — *Crispo.* Fuit is vitricus Neronis; dicitur habuisse in censu bis millies sestertium. Suetonius, in Nerone, cap. 6: *Sed et Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est* (Nero scilicet). Sed contra sic Gronovius: « Iste non est *Crispus* Passienus, Neronis vitricus, ut notat Farnabius; sed Vibius Crispus de quo Tacit. Hist. II, *Vibius Crispus, pecunia, potentia*, ingenio, inter claros magis, quam inter bonos. Et auctor dialogi de causis corruptae eloquent. quum Marcellum Eprium et Crispum Vibium nominasset: *Nec hoc illis alterive ter millies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse.* » Gronovius.

8. *Nitido sis Meliore.* Nobilis hic Melior Statii carminibus, scilicet epistola libri secundi Silvarum, et poëmatiis de arbore, Psittaco et Glaucia. *Nitidus* vocatur et a Martiale, et a Statio Silv. II, quia fuit lautus et splendidus.

9. *Nil adicit, etc.* Lachesis nunquam quidquam addit ad lanam qua colum instruxit, sed ea demum tota tracta, quantulacumque sit, exhaustaque, pereundum est. — *Penso.* Est pensum lana vel cannabis in oblongum glomum convoluta, et circa colum summam illigata, unde fusus trahitur. — *Fusosque sororum Explicat.* Hoc intelligerem de Lachesi, quae colum tenens lanam metitur devolvendam, et fusis sororum ministrat explicandis. Ed. P. — Alii tamen hoc referendum putant ad versum sequentem hoc sensu: Parca de tribus, quae filum secat, ea fusos explicat, id est, iubet quiescere absoluto penso; vel evolvit ac recognoscit quantum fili tractum fuerit.

10. Pro *secat*, alii legunt *necat.* — *Vna secat.* Sensus: etiamsi duae exorari possint, tertia tamen inexorabilis permaneret. — *Vna.* Atropos. Nomina tamen Parcarum saepe confunduntur a poëtis. Ed. P.

55. — AD LVCIVM.

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Graium veterem Tagumque nostrum
Arpis cedere non sinis disertis;
Argivas generatus inter urbes,
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosae

Pulchro in patriam amori potius quam molliori carminis numero consulens, Lucium poëtam Hispanum ad celebranda Celtiberiae loca Martialis eahortatur et esemplo docet; duriora enim illa nomina et quasi rebellantia in versus suos venire cogit simili labore, quo Bolaeus noster in epist. IV.

1. Gruterus ex Palst. legit *temporum duorum;* praeteriti sc. et praesentis. — *Luci, gloria, etc.* O Luci, nobilis poëta, qui non pateris Hispaniam, quae te genuit, Apuliae cedere, quae genuit Horatium, etc. Alii intelligunt qui Hispaniae loca tam diserte celebras, quam suam Horatius Apuliam; qui minus mihi placet sensus, quum ad haec loca celebranda hunc hortetur Noster. Ed. P. — *Luci.* Fuit iste Lucius Hispanus poëta lyricus, qui Horatium est imitatus; sub Domitiano floruit.

2. *Graium veterem.* Est Graius fluvius Hispaniae; veterem vocat, quia a veteribus dictus erat *Graius*, a recentioribus *Gravius* fuerat nuncupatus; non longe ab hoc fluvio, ut apparet, natus fuerat Lucius, et erat e natione Graviorum qui sunt populi citerioris Hispaniae, teste Plinio lib. IV, cap. 20. — *Tagum.* Tagus, nunc *Tajo*, fluvius Hispaniae nobilis, in Castella nova oriens, quam totam alluit, cum Lusitaniae parte, at duabus leucis infra Vlisiponem in Atlanticum mare devolvitur. Ed. P.

3. *Arpis cedere non sinis disertis.* Non sinis cedere Horatio diserto. Arpi, Arporum (quos non confundere oportet cum Arpino), urbs Apuliae Dauniae, nunc diruta. Appulus autem erat, natus Venusii, Horatius, vel forsan tamen Lucanus, sic ut ipse lepide ait, sat. I, lib. II: *Lucanus an Appulus, anceps: Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus, Missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis, Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis; Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum Incuteret violenta.* Ed. P.

4. *Argivas generatus.* Hoc est: Poëtae Graeci celebrent suas urbes, nos Hispani nostras commendemus. Idem Horat. I, od. 7: *Laudabunt alii claram Rhodon, etc.*

5. *Thebas.* Thebae, urbs Boeotiae, patria Pindari, hodie *Stives.* — *Mycenas.* Mycenae, urbs in Peloponneso; nunc *Agios Adrianos.*

6. *Rhodon.* Rhodus, *Rhodes*, insula maris Mediterranei e regione Ciliciae, olim Soli sacra. — *Libidinosae.* Vel propter gymnicum puellarum certamen, quod parum honestum erat; vel quod praecipue ibi

Ledaeas Lacedaemonis palaestras.
Nos, Celtis genitos et ex Iberis,
Nostrae nomina duriora terrae
Grato non pudeat referre versu:
Saevo Bilbilin optimam metallo,
Quae vincit Chalybasque, Noricosque,
Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto,

Venus colebatur; vel propter Helenam.

7. *Ledaeas Lacedaemonis palaestras.* Palaestras cognominat *Ledaeas*, vel propter Castora Pollucemque, qui athleticis certaminibus praecipue gaudebant; vel etiam quia luctae puellarum nudarum in arena institutae fuerant in honorem Ledae quae, quum Iovi placuit, nuda erat in balneo. In cuius rei memoriam descendebant ad palaestram cum viris virgines. Propert. lib. III, eleg. 12: *Multa tuae, Sparte, miramur iura palaestrae, Sed mage virginei tot bona gymnasii: Quod non infames exercet corpore ludos, Inter luctantes nuda puella viros.* Et Ovid. epist. 15: *More tuae gentis nitida dum nuda palaestra Ludis, et es nudis mixta puella viris.* Vid. et Xenoph. de Republ. Lacaed. Euripid. in Androm. Plutarch. in Lycurgo existimat id institutum fuisse, ut iuvenes puellarum pulchritudine capti facilius earum nuptias appeterent.

8. *Nos Celtis genitos, etc.* Hic Hispaniae tractus, ubi erat Bilbilis, fuerat olim occupatus a Celtis, id est, Gallis circa Garumnam positis; qui quum venissent ad Iberum Hispaniae flumen, ibique consedissent, addiderunt suo nomini nomen huius fluminis, et Celtiberi sunt vocati. Nunc magna est pars Arragoniae et Castellae.

9. *Nomina duriora.* Vide infr. *Rixamarum, Carduorum, Peteron, Vetonissae, Baradonis, etc.* Ed. P.

10. *Grato.* Vel patriae iucundo quam celebrabit; vel patriae quae nos genuit, gratias referente, eam illustrando. Ed. P.

11. *Saevo, etc. Saevum metallum* appellat ferrum, quod optime Bilbili cudebatur ad arma fabricanda. Ed. P.

12. *Chalybasque.* Chalybes, descripti a Mela, lib. I, cap. 12, et poëtarum carminibus celebrati, sunt populi Asiae minoris ad Pontum Euxinum, circa Bithyniam, apud quos ferrum optimum terrae visceribus eruitur. — *Noricosque.* Germaniae populos (hodie *la Bavière* et *la Souabe*), Grisonibus seu Rhaetis finitimos, Danubiique accolas. Hic ferrum praestans et armorum affabre cudendorum industria celebrata. Ed. Par.

13. *Et ferro Plateam, etc.* Et Plateam cuius in officinis sonantibus ferrum elaboratur; quam cingit et complectitur fluvius Salo, qui ad laminas ensium tingendas et temperandas plurimum valet. — *Plateam.* Hispaniae oppidum, ferrariis officinis nobile.

Armorum Salo temperator ambit:
Tutelamque, chorosque Rixamarum,
Et convivia festa Carduarum,
Et textis Peteron rosis rubentem,
Atque antiqua patrum theatra Rigas,
Et certos iaculo levi Silaos,
Turgentisque lacus, Petusiaeque,
Et parvae vada pura Vetonissae,
Et sanctum Baradonis ilicetum,
Per quod vel piger ambulat viator;
Et quae fortibus excolit iuvencis
Curvae Manlius arva Matinessae.
Haec tam rustica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit.
Haec tam rustica malo, quam Bituntum.

15. *Salo.* Fluvius Celtiberiae.

16. *Tutelamque.* Forsitan hodie est *Tudela* ad Iberum. Subsequuntur multa nomina oppidorum, quae propter ignobilitatem praetermisere veteres scriptores, et quae nunc diruta vel immutata sunt, ita ut de illis nihil nisi tacere possimus. — *Chorosque Rixamarum.* Rixamas choreis gaudentes.

17. *Et convivia, etc.* Et gaudentes conviviis Carduanos seu Carduas. Ed. P.

18. *Textis.* In coronas.

19. In edd. vett. *ripas*, pro *Rigas*; quod prisci iuxta ripas ederent spectacula et aurigationes. — *Atque antiqua, etc.* Et Rigas, ubi maiores nostri solebant edere spectacula, propter nobile illius urbis theatrum; vel forte propter convallem quemdam, qui theatrum naturale efficiebat rudibus istis hominibus acceptissimum. Vide lib. Spect. epigr. 21, vs. 1.

20. Raderus dicit Suellum seu Suelum oppidum esse Hispaniae, hodie *Molena.* — *Certos iaculo.* Qui a scopo non aberrant, quum emittunt iaculum.

23. *Sanctum.* Quia numini alicui consecratum, aut quia incaeduum et inviolatum ferro. Sic apud antiquos saepius *sacer lucus*, *sacrum nemus*. Ed. P. — *Ilicetum.* Locus est in quo consitae sunt multae ilices.

24. *Ambulat viator.* Cuius amoenitate captus viator, etsi fessus et languidus, locum non sine molli voluptate perambulat. An quia locus hic declivis pronus erat, ut vult Brodaeus?

26. *Curvae.* In clivo positae. Ed. Par. *Manlius.* Nomen populi ad urbem Matinessam; aut unius ex amicis Martialis.

29. *Bitunnos* in codice Vatican. Musambertius legendum censet, *Britannos*, quod habent Ald. Iunt. et

Colin. ut sit contentio inter provincias Hispaniarum et Britannorum. — *Bituntum*. Est vilissimum Apuliae oppidum, quod nominis sui rusticitate, atque agri tenuitate videtur omnibus Hispaniae oppidis, quae hic adnumerantur, infelicius. Sic illud adduxit per contemptum lib. II, epigramm. 48, vs. 7: *Hoc praestes mihi, Rufe, vel Bitunti*. Hodie *Bitonto*. Sensus est: Delicate lector Itale, si aspera illa nomina Hispana derides, quanto magis deridere debes insulsum nomen illud *Bituntum?* Vel sensus hic est: Haec nomina licet rustica, quum dulcem mihi patriae subiiciant memoriam, antepono rusticis Italicis nominibus, quorum asperitas nullo simili lenocinio compensatur. Ed. P.

56. — IN GARGILIANVM.

Munera quod senibus, viduisque ingentia mittis,
   Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
   Qui potes insidias dona vocare tuas.
Sic avidis fallax indulget piscibus hamus;
   Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare, docebo,
   Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

Gargilianum iis quorum captabat haereditatem munera mittentem ait Poëta, eodem modo esse munificum quam piscatorem, qui hamatos cibos piscibus, quam aucupem, qui viscatas escas avibus largitur; vere enim liberalis est qui nullum sibi proponit liberalitatis suae praemium. Ed. P.

1. *Munera, etc.* Seneca epist. 8: *Munera ista fortunae putatis? Insidiae sunt.* Quod quarto versu similiter dixit Martialis. Ed. P. — *Viduisque* Quum divitibus viduis omnes captandae haereditatis causa adularentur, hinc illis fastus et arrogantia. Lib. I, epigr. 50, vs. 34: *Imperia viduarum procul*, et lib. II, epigr. 32, vs. 5: *Abnegat et retinet nostrum Laronia servum; Respondes: Orba est, dives, anus, vidua.*

5. *Indulget.* Se offert blande, ac permittit fruendum, ita ut eos lactet, fallatque incautos.

8. *Dona, Gargiliane, mihi.* Munificum te agnoscam et confitebor, si mihi poëtae et caeteris a quibus mutuam vicem sperare non potes, largiris: sic se vitio poëtarum, id est, rei familiaris exiguitate, laborare fatetur Noster; nec quidem hoc tantummodo loco. Vide enim lib. II, epigr. 16, versu ultimo: *Vis fieri sanus? Stragula sume mea;* et lib. I, epigr. 118, vs. 7, etc. etc. Ed. P. — *Gargiliane.* Quum huic Gargiliano similes haeredipetas multos numerare esset in Vrbe, argumentum quod hoc epigrammate tractavit Noster, ab auctoribus huius aetatis saepe fuit usurpatum. Inter quos Petronius, sub ficto Crotonae nomine: *Quoscumque*

homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos: nam aut captantur, aut captant; et vide ipsum Martialem lib. V, epigr. 18, vs. 6: *Odi dolosas munerum et malas artes. Imitantur hamos dona; namque quis nescit Avidum vorata decipi scarum musca? Quoties amico diviti nihil donat, O Quintiane, liberalis est pauper*. Lib. VI, epigr. 63, vs. 5: *Munera magna quidem misit, sed misit in hamo: Et piscatorem piscis amare potest?* Ed. P.

57. — AD FAVSTINVM.

Dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini,
Et quae pumiceis fontibus antra calent;
Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,
Quo te bis decimus ducit ab Vrbe lapis.
Horrida sed fervent Nemeaei pectora monstri;
Nec satis est, Baias igne calere suo.

Quum violentissimo calore aestuet mensis Iulius, Baias duplici aëris et thermarum ardore iniucundas valere iubet Noster, in Tibur gelidum migraturus apud Faustinum amicum; nempe qui aestivas hibernasque sedes melius callebat eligere. Ed. P.

1. *Lascivi*. Ob delicias lacus illius, et hominum lascivientium frequentiam, tum quia illa balnea, Seneca teste, epist. 52, *Diversorium vitiorum esse coeperant*. Vide lib. I, epigramm. 63. — *Lucrini*. Lacus Lucrinus inter Puteolos et Baias, olim celebris; sed terrae motu, anno 1538, absorptus est; restat tantum lutosa palus, et vocatur *Mare morto*.

2. *Et quae pumiceis, etc*. Et Baianae aquae, quae quidem calidae sunt, scaturientes e pumicibus sive tophis, hoc est, exesis et spongiosis lapidibus ac speluncis. Baiae ad radices montis, in littore Campano sitae, inter Puteolos et Misenum montem; hodie *Baia*, locus amoenissimus.

3. *Argivi regnum*:.....*coloni*. Sic Horatius, lib. I, od. 6: *Tibur Argeo positum colono*. In Tibure enim a se condito regnavit Catillus e Graecia veniens: fuit ille Amphiarai filius, tresque filios in Italia suscepit, Tiburtum, a quo nomen Tiburtinae urbi fecit, Coram seu Coracem, et Catillum. Tibur nunc est *Tivoli*. — *Coloni*. Non hic sumitur *colonus* pro *agricola*; sed hominem significat, qui ex longinqua regione venit ad locum aliquem incolendum, et gallico sermone, *colon*. Ed. P.

4. *Quo te bis decimus, etc*. Quae ius villa Tiburtina distat ab urbe viginti millibus passuum. Hoc spatium est leucarum gallicarum admodum octo.

5. *Nemeaei pectora*. Hoc est, leonis in silva Nemeaea ab Hercule interfecti, et relati inter astra. Sol autem mense Augusto ingressus Leonem ardores auget. *Pectora* dixit, quod in Leonis pectore, inquit Ramiresius, astrum est fulgentissimum, ab astrologis dictum cor Leonis.

6. *Nec satis est, etc*. Aquarum

Ergo, sacri fontes et litora grata, valete,
Nympharum pariter Nereidumque domus.
Herculeos colles gelida vos vincite bruma;
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

enim vel situs ardori solis ardor additur, qui hoc mense maxime vividus. Ed. P.

7. *Sacri fontes, etc.* Baiani, Nymphis sacri, lib. III, epigr. 3, vs. 3; fontibus enim et fluviis divinitatem nescio quam adsignavit rudis illa antiquitas. — *Litora grata.* Aliis scilicet annis aut tempestatibus. Vel etiam hac tempestate, quia *omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est,* ut Florus scribit. Nec miretur Ramiresius, *grata* dici, quo tempore aestus illarum fugiebatur. Loquitur enim de illis, ut natura sua sunt, nimio aestu etsi nunc ex accidenti, et certatim praedicaverant multi poëtae latini, fiat, ut ea, quamvis grata, Tibure mutare malit. *Gronov.*

8. *Nympharum pariter, etc.* Nymphae in fontibus, Nereides, filiae Nerei, in mari, cuius ad littus sunt Baiae. Ed. P.

9. *Herculeos colles.* Tibure enim Hercules colebatur. Lib. I, epigr. 13: *Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces.*

10. *Nunc Tiburtinis, etc.* Vos, o Baiae, calore vestro melius solvetis brumae frigus quam Tibur, quod Statius vocat glaciale, in Tiburtino Manlii: «Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci.» *Rader.* — Iam autem per aestatis fervorem magis placet Tibur, frigori et ventis expositum, utpote quod in colle situm. Dictum est Tibur a Tiburto conditore, qui et Catillus.

58. — IN GALLAM.

In tenebris luges amissum, Galla, maritum:
Nam plorare pudet te, puto, Galla, virum.

1. *In tenebris, etc.* Galla vivente viro tam impudica fuerat, ut eum mortuum palam deflere merito illam puderet; vel flebat, quod illam utpote infamem mortuo marito uxorem nullus esset ducturus. — Fateor tamen alium mihi magis placere sensum: scilicet per ironiam Gallam ait Poëta pudere plorare virum, quasi hoc sit imbellis animi et vere muliebris, ut innuat eam tenebras ideo tantum sectari quod non ploret, sed contra forte consolationem admittat, ut matrona illa Ephesia Petronii. Vide infra finem notae alterius. Ed. P. — *Tenebris.* Signum doloris, solitudinem captare et silentium. Seneca ad Marciam, cap. 11, de Octavia lugente Marcellum: *Tenebris et solitudini familiarissima.* Taciti Annal. IV: *Vix propinquorum alloquia, vix diem adspici a plerisque lugentium.*

2. *Nam plorare pudet.* Lib. vero I, epigr. 34, secretas lacrymas laudat noster poëta: *Ille dolet vere, qui*

sine teste dolet. Sensus pendet ex discrimine vocum *maritum* et *virum*. Galla deflebat, aut simulabat deflere maritum, at non virum; quae nempe consuescebat cum multis aliis, nec merebat unius inter multos concubinos interitum dolere. Ed. P.

59. — DE VIPERA ELECTRO INCLVSA.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
  Fluxit in obstantem succina gemma feram;
Quae dum miratur pingui se rore teneri,
  Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulcro;

Est hoc epigramma eiusdem argumenti quam epigr. 32 sup. et lib. VI, epigr. 15. Est enim de vipera, quae electro inclusa pellucido videbatur. Ed. P.

1. Gruterus praefert *dum vipera repit.* — *Flentibus Heliadum, etc.* Dum e populi ramis viscosus humor defluit, serpebat vipera per ramos madentes. — *Heliadum.* Sorores Phaethontis Heliades vocabantur, quia erant filiae Solis qui a Graecis Ἥλιος dicitur. Fratris casum deflentes ad Padi ripas, in populos conversae fuere, quarum e ramis defluit electrum, quod earum lacrymas esse fingunt poëtae. — *Serpit.* Serpere dicuntur animalia quae pedibus carent, repere quae pedes habent brevissimis cruribus, ut lacertae. Nostram igitur cum Ramiresio praetulimus lectionem. Ed. P.

2. In quibusdam, *gutta feram*, ut lib. VI, epigr. 15, vs. 2. — *Fluxit in obstantem.* Forte erat opus arte factum, quod ad casum refert Poëta; quamvis tamen animalia multa, sed vipera minora, includi solere in electro diximus epigr. 32 supr. ubi vide quae adnotavimus. Ed. P. — *Obstantem.* Ex adversa parte ita occurrentem, ut electrum nisi in ipsam fluere nequiret. Ed. P. — *Gemma.* Quidquid, instar vitri, pellucet, gemmam vocari diximus quoque epigramm. 22 supr. vs. 6. Ed. P.

4. *Gelu.* Electri viscoso humore qui, dum ex arbore defluit, est liquidus, mox vero induratur tanquam gelu.

5. *Cleopatra.* Quae Aegypti regina et M. Antonii uxor, e praelio Actiaco fugiens sese inclusit sepulcro magnifico, quod ipsa inchoaverat, unde extracta aspidis morsu periisse putatur. Quod Poëta respicere videtur, quum viperae tumulum conferat tumulo illius, quae aspidis morsu interiit. — *Sepulcro.* Refert Plutarchus in Antonio, Cleopatrae corpus ab Augusto regali apparatu conditum esse cum Antonio. Et Suetonius in Augusto, cap. 17: *Cleopatrae, quam servatam triumpho magnopere cupiebat, etiam psyllos admovit, qui venenum ac virus exsugerent, quod periisse morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturae honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit.* Rader.

Vipera si tumulo nobiliore iacet.

6. *Nobiliore.* Electrum enim magno apud Romanos erat pretio. Vide lib. III, epigr. 65, vs. 5, quae adnotavimus. Eo. P.

60. — DE CVRIATIO.

Ardea solstitio, Castranaque rura petantur,
Quique Cleonaeo sidere fervet ager;
Quum Tiburtinas damnet Curiatius auras,

Sub omni caelo seu salubri, seu pestilenti, grassari mortem docet Martialis, exemplo Curiatii cuiusdam, qui dum valetudinis causa Tibure, salutari loco, aestivi solstitii fugeret ardorem, ibi tamen fatum excludere non potuit. En. P.

1. *Ardea solstitio, etc.* Est indignantis iratique Poëtae exclamatio, quasi dicat: Quid! nihil prodest saluberrima loca quaerere! ergo pestilentissima quaeramus, quoniam mors in omnia pariter irrumpit. En. P. — *Ardea..... Castranaque rura..... Quique Cleonaeo..... etc.* Tria oppida solis fervore maxime aestuantia, et salubria parum enumerat; Ardeam, Castrum Inui, et Baias. — *Ardea.* Ardea urbs est antiqua Latii, vel ab *ardore*, vel ab *ardea* avi dicta, Turni patria, calidissimo positu. Latium est hodie *Campagna di Roma.* — *Solstitio.* Quum vox illa *solstitium* sola ponitur, significat solstitium *aestivum.* Sic appellatur tempus illud, quo *sol stare* videtur; nempe mense iunio, quum attigit tropicum Cancri; et mense decembri, quum est in tropico Capricorni: tunc enim dies ita lente crescunt, aut decrescunt, ut vix sentias. Aestivo solstitio calor gravissimus, sole verticibus propemodum imminente. — *Castranaque rura.* Castrum, *Castro.* Vrbs Italiae non una fuit eodem nomine appellata. — Alii legunt *Paestana*: Paestum, *Pesto*, est urbs Lucaniae, prope Paestanum sinum, qui hodie *Golfo di Salerno.*

2. *Quique Cleonaeo.* Id est ager Baianus; Baias enim aquis et pectore Leonis fervere dixit supr. epigr. 57, v. 5 et 6. — *Cleonaeo.* Intellige leonem, in caelum relatum, quem Hercules interfecit in Nemeaea Peloponnesi silva, iuxta Cleonam urbem. Augusto mense vehementissimis caloribus terram accendit Leo, inter duodecim Zodiaci signa, signum quintum.

3. *Quum Tiburtinas damnet, etc.* Quum antiquam illam famam, qua Tibur (*Tivoli*) velut saluberrimum praedicabatur, immeritam mendacemque confirmet esse mors Curiatii. Eo. P. — *Tiburtinas.* Ditiores praedia et villas circa Tibur, aut in ipsa urbe habebant, quo aestate secederent; praedia illa *Tiburtina* appellabantur, quemadmodum *Tusculana* quae prope Tusculum: unde *Tusculanum*, villa Ciceronis. Vide supra epigr. 57, v. 3, 4. — *Laudatas aquas.* Aquam Martiam, quae se in Tiburtinam aperit. Plinius Hist. Nat. lib. XIII, cap. 3. Haec aqua per novem millia passuum olim Romam deducta est. De aliis aquis huc deductis sumi potest, Rader.

Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere; quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

4. *Ad styga.* Fons est Arcadiae, cuius aqua frigidissima omnibus animalibus est ditiosa. Poëtae fabulantur paludem esse apud inferos.

5. *Quum mors venerit, etc.* Vbi fatalis hora venerit, saluberrimus locus, qualis est Tibur, vitam non magis conservat, quam Sardinia insula, caeli intemperie et gravitate pestilentissima, ob salinas, graves Austros, solpugas, venenatae formicae genus, seu batrachium; hodie *la Sardegna.* Tacitus lib. 2 Annalium, ad finem, narrat sub Tiberio senatusconsultum fuisse factum, *ut Iudaeorum et Aegyptiorum quatuor millia in insulam Sardinam veherentur, qui si interiissent ob gravitatem caeli, facilem iacturam, et vile damnum futurum.*

61. — IN MANCINVM.

Donasse amicum tibi ducenta, Mancine,
Nuper superbo laetus ore iactasti.
Quartus dies est, in schola Poëtarum

Inducit Mancinum quemdam qui, non aliter quam Afer ille assiduus suarum fortunarum ostentator (supra epigr. 37), quidquid sibi munerum, quidquid sibi haereditatum obtigisset, ita narrabat, ut pauperiores amicos odiosa suae cum ipsorum sortis comparatione anecaret. Ed. P.

1. *Ducenta.* Millia sestertium.

3. *Quartus dies est.* Quarto die ante hodiernam diem, mihi in schola, etc. Ed. P. — *In schola Poëtarum.* Locus erat in quem ad recitandum poëtae conveniebant, aut ad legenda et emendanda carmina. Vide lib III, epigr. 20, vs. 8. — Ibi, dum homines convenirent, atque recitatio exspectaretur, locus erat confabulationibus opportunissimus. Sequentibus temporibus vox *schola* sumpta est pro omni collegio. Erant scholae iurisconsultorum, id est collegia; unde advocati eorum collegiorum scholastici vocabantur: quo nomine primum nuncupati sunt rhetores, ut in dialogo de oratoribus scribit vel Tacitus, vel Quintilianus et etiam declamatores litium fictarum. Vnde translatum nomen ad verarum litium actores. Plin. epist. lib. II, 3, 5: *Adhuc scholasticus tantum est: quo genere hominum nihil aut sincerius aut melius. Nos enim qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut ficta causa, ita res inermis innoxia est.* Hac acceptione utitur eo nomine Constantinus imperator in L. *Praeter solemnes*, 2 Cod. de Lucr. advocat. lib. XII: *Praeter solemnes et canonicas pensitationes, multa a provincialibus indignissima postulantur ab officialibus et scholasticis* Et lex in Cod. Theodosiano: *Non latet scholasticos, ultra modum acceptis honorariis, in defensionem causarum annonas et sum-*

Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillae;
Sardonycha verum, lineisque ter cinctum,
Duasque similes fluctibus maris gemmas
Dedisse Bassam Caeliamque iurasti.
Here, de theatro, Pollione cantante,
Quum subito abires, dum fugis, loquebaris,
Haereditatis tibi trecenta venisse;
Et mane centum, et post meridiem centum.
Quid tibi sodales fecimus mali tantum?
Miserere iam, crudelis, et sile tandem.
Aut, si tacere lingua non potest ista,
Aliquando narra, quod velimus audire.

ptus accipere consuesse: et aliis multis in locis. Hinc celebris scriptor Agathias historicus, et poëta graecus, Scholasticus appellatur, qui advocatus erat, ut ipse testatur lib. III init. et epist. ad Silentiarium. *Ramir*. Ed. P.

4. *Millibus decem*, *etc*. Dixisti lacernas tuas, quae emptae essent decem sestertiis maioribus, id est decem millibus minorum sestertiorum, tibi esse muneri datas a Pompilla quadam.

5. *Emptas lacernas*. Lacerna togae superinduebatur ad arcendum frigus, inquit Bayfius; vide etiam quid de lacernis diximus epigr. 2 huius libri, et multis aliis locis. Ed. P. — *Pompillae*. Clientae Mancini; vel viduae divitis.

6. Est sardonyx, *sardoine*, gemma subrubra et subcandida, colorem habens Sardii lapilli qui rubeus; et onychis, qui fere albus est. — *Lineisque ter cinctum*. Plinius, loco supra citato, scribit hanc gemmam lineolis tribus nigra, candida, et miniata distingui.

7. *Duasque similes*, *etc*. Demetrius intelligit smaragdos, *émeraudes*; alii callaides, quas Plinius litoreo mari similes dicit; alii beryllos, *béril*, quae maximam laudem habent, si mari concolores; alii cyanos, *turquoises*; alii caristos, de quibus Statius: *Et gaudent fluctus spectare caristos*; et alibi: *et concolor alto Vena mari*. — Eligat lector, vel potius adeat recentiora opera viri illustrissimi *Haüy*, cuius nuperrime exitum deflevit Gallia. Ed. P.

8. *Bassam Caeliamque*. Nomina mulierum ficta.

10. *Dum fugis*. Dum propere exires, et quasi evolares, ut levissimi ingenii homines, isti Mancino similes.

13. *Quid tibi*, *etc*. Vt pauperes nos longis narrationibus divitiarum tuarum in dies enecare velis. Ed. P.

14. *Crudelis*. Est enim odiosa importunaque improbitas divitias coram paupere, splendidam coenam coram esuriente ita explicare, ut imago quaedam fiat Tantali supplicii. Ed. P.

16. *Quod velimus audire*. Te muneris aliquid nobis e tot muneribus largiturum, hoc non tam segni aure

accipiemus; nam tanta bonorum enumeratio non potest audiri gratis. Ed. P. — Vel narra te aliquam fecisse iacturam, aut aliquid expertum fuisse infortunii; quod in poenam tuae avaritiae tibi accidisse libentissime audiemus. Ed. P.

62. — DE LYCORI.

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Lycoris, deformis et fusca mulier, quae *nigrior cadente moro, cerussata sibi placebat* (ut ait Poëta lib. I, epigramm. 73), quum Romae non magno in pretio esset, et audiisset omnia Tibure candida fieri, Tibur migravit. Quis autem fuerit itineris successus, vis scire, lector? adi lib. VII, epigr. 13: *Dum Tiburtinis albescere solibus audit Antiqui dentis fusca Lycoris ebur, Venit in Herculeos colles. Quid Tiburis alti Aura valet? Parvo tempore nigra redit.* Hic autem non dentes tantum sed *omnia* albescere sperabat. Vid. et lib. I, epigr. 103.

1. Beverlandi MS. exhibet, *migravit fusca Lycoris*, ut infra. — *Herculeum* Ita vocatur ob insigne fanum Herculis ibi exstructum.

2. *Omnia dum fieri candida*, etc. Ebur a frigidissima Tiburis aura candorem vel semper retinere, vel etiam augere dicebatur; ut testatur Plinius, et Silius Italicus, dum canit: *semperque novum quod Tiburis aura Pascit ebur*, ubi *pascit* dicit, pro sustentat et conservat: et Propert. lib. IV, eleg. 7: *Herculeo numquam numine pallet ebur.*

63. — DE CAERELLIA.

Dum petit a Baulis mater Caerellia Baias,

Deflet Caerelliae cuiusdam matris casum, quae quum a Baulis peteret Baias, naufragio periit in eo freto.

1. *Baulis.* Vocabatur olim *Boaulia*, deinde corrupta voce *Bauli* dicta, ut Symmachus eius postea villae dominus scribit: *Huc deus Alcides stabulanda armenta coëgit Eruta Gorgonis de lare tergemini. Inde recens actus corrupta Boaulia Baulos Nuncupat occulto nominis indicio. Ab divo ad proceres dominos Fortuna cucurrit, Fama loci obscuros ne pateretur heros. Hanc celebravit opum felix Hortensius molam, Contra Arpinatem qui stetit eloquio*, Fuerunt ergo Bauli primum Herculis, deinde procerum romanorum, e quibus Hortensius, tum imperatorum et Antoniae Drusi. Villa in litore Campano, *quae promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari alluitur*, ut ait Tacitus Annal. initio libri XIV: quae hodie *Bauli*, vel *Bagola*. — *Mater.* Vel matrona; vel ut a filia eiusdem nominis distinguatur. Ad id *mater* dixit Martialis,

Occidit insani crimine mersa freti.
Gloria quanta perit vobis! haec monstra Neroni
Nec quondam iussae praestiteratis aquae.

ut sequens comparatio Caerelliae cum Agrippina magis congrueret, et augeretur undarum scelus; maius enim videtur matrem immergentium. Ed. Par.

2. *Insani*. Vel tempestate commoti; vel quod in eo qui scelus admittit quaedam insania videtur. Ed. P. — *Crimine*. De more habet Noster, crimina rebus inanimatis tribuere. Lib. IX, epigr. 31, v. 4: *Cappadocum saevis Antistius occidit oris Rusticus*: o *tristi crimine terra nocens!* lib. I, epigramm. 13, v. 6: *Heu quam paene novum porticus aura nefas!* et eodem libro, epigr. 83, vs. ult.: *Propter quem fuit innocens ruina, etc.*

3. *Gloria quanta perit vobis!* Habebatis, undae, quamdam innocentiae famam laudabilem; quum enim Agrippinam, mulierem sceleratam, licet a Nerone iussae, non mersistis, magnam comparaitis gloriam; quam cur nunc perditis, feminam probitatis spectatae mergentes immerentem, et quidem iniussae? Ed. P. — *Haec monstra*. Haec naufragia, haec scelera — *Neroni*. Olim Nero matrem suam Agrippinam iusserat mergi, excogitato solutili et machinoso navigio quod repente laxatum in mediis fluctibus eam destitueret. Sueton. in Nerone cap. 34; Tacit. Annal. lib. XIV; Dio, etc.

4 *Praestiteratis*. Praestare aliquid alicui interdum est aliquid in eius gratiam facere, eum aliquo munere devincire. — *Aquae*. Agrippinam, veluti in gratiam rediturus, elicuerat Nero, ut Quinquatruum festos dies apud Baias frequentaret, veniens igitur Agrippina obvium habuit Neronem, qui eam duxit Baulos; hinc terrestri via ivit ad Baias. Tacit. Annalium lib. XIV: *Satis constitit, extitisse proditorem, et Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellae Baias pervectam.* Deinde tamen blanditiis Neronis sublevato metu, navem perfidam, nocte adventante, conscendit Baulos repetitura; igitur parum abfuit quin periret, quum a Baiis ad Baulos iter faceret: periit autem Caerellia, quum iter faceret a Baulis ad Baias. Ed. P.

64. — DE HORTIS IVLII MARTIALIS.

Iuli iugera pauca Martialis,

Laudat hortos Iulii Martialis a situ, a caelo, a subiectis amoenis regionibus, a benignitate et hospitalitate domini, eosque Tiburtino, Praenestino, Setinoque ruri praefert. *Ramires*.

1. *Iuli.... Martialis*. Iulius ille Martialis erat amicus nostri M. Val. Martialis, qui illi misit sextum librum epigrammatum, ut apparet ex primo epigramm eiusdem libri; eiusque bibliothecam septem e suis libellis munivit, ut videmus lib. VII, epigr. 17. Ed. P.

Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Ianiculi iugo recumbunt:
Lati collibns imminent recessus;
Et planus modico tumore vertex
Caelo perfruitur sereniore;
Et curvas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur astris
Celsae culmina delicata villae.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet aestimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Ed quodcumque iacet sub urbe frigus,
Fidenas veteres, brevesque Rubras,

2. *Hesperidum*. Atlaotis filiae, quibus hortos tribuunt Poëtae aureis pomis, id est, citreis pretiosos

3. *Longo Ianiculi. Longo iugo* dixit quod, ut Barooius cardinalis Annal. vol. I probat, Ianicolus erat Veteribus locus ille qui complectebatur seriem collium, qui, modicarum vallium Interiecto coniuncti ab eo termino qoi est proximus Aventino atque Vaticaoo continuantur, et super Mutia porta porriguntur, ac propter pontem Milieium terminantur. — *Ianiculi*. Moos Iaoiculus, trans Tiberim situs, nunc *Montorio*, ad pontem usque Milvium, seu Mulv um, seu Milicium extra Romam porrigitur. Nomen a Iano habuit. En. P.

4. *Lati collibus, etc*. In colle summo spatia campi lata et solitaria emioeot, ubi est villa Iulii Martialis caelo vicioior.

5. *Et planus, etc*. Io vertice Iaoiculi planities est, quae colles superat, serena et suda, non nebulis, ut valles, tecta. Hic horti Martialis, etc. — *Puris astris*. Pura vocat astra, quae nullis nebulis aspectui subtrahuntur.

11. *Septem dominos*. Septem colles, Palatinum, Capitolioum, Quirinalem, Caelium, Esquilinum, Viminalem, Aventinum, quibus imposita Roma rerum domioa.

12. *Aestimare Romam*. Id est, oculis lustrare, et qoanta sit, quam late pateat aestimare.

13. *Albanos quoque*. Ex eodem loco licet prospectare Albanos colles, sic appellatos ab Alba Longa ibi quondam exstructa ab Ascanio, Aeneae filio. Ed. P.

14. *Et quodcumque iacet, etc*. Et quaecumque loca suburbana sunt minus opacata, aërique ideo magis exposita, quo se conferunt Romani, frigidiores auras captaturi. Ed. P.

15. *Fidenas veteres*. Fidenae, urbs Roma antiquior io Latio, nunc vicus, *Castel Giubileo* dictus. — *Brevesque Rubras*. Rubrae, vel saxa Rubra, locus

Et quod virgineo cruore gaudet,
Annae pomiferum nemus Perannae.
Illic Flaminiae Salariaeque

Etruriae in agro Veientino, nunc *Grotta rossa*. — *Rubras* parvum oppidum circa Tibur fuisse existimat Ortelius. Forte *Vlubras*.

16. *Et quod virgineo canore gaudet* Heins. ad Ovid. Fast. III, 675: « Nec Interpp. *inquit*, quid sibi velit cruor iste virgineus assequuntur. Si quis apud Martialem malit *virgineo rubore gaudet*, ut ad obscena carmina respiciatur, nil repugno. » Vide lib. VI, epigr. 47. — *Et quod virgineo cruore gaudet Annae pomiferum nemus Perannae*. Et nemus Aricinum (id est Dianae Aricinae), fructibus ferax, et Annae Perannae sacrum, quod olim madebat cruore virginum: in hoc loco enim, non secus ac in Taurida, in honorem Dianae, victimas humanas fuisse immolatas nos docet Strabo lib. V. Ed. P. — Hic sensus, quem ut verisimilem maxime, adoptare non dubitamus, displicet tamen Ramiresio, qui putat *cruorem* per metonymiam dici pro *mortem*, et intelligit *cruore virgineo* de morte Annae ipsius, in aquis suffocatae. Ed. P. — Nec arridet nobis Domitii interpretatio, qui hunc locum intelligit de flagellis quibus caedebantur pueri, ut Lacedaemone ex ritu Thoantio; nec aliorum opinio qui virgineum cruorem aiunt esse *cruorem* ferarum a *virgine* Diana fusum. Ed. P.

17. *Annae Perannae*. Anna Peranna, vel Perenna, Didonis soror, in Italiam apud Aeneam exsulavit, postea autem Laviniae odio vexata, in amnem Numicum, insidias eius vitatura, se praecipitem dedit, mox pro dea culta fuit. Totam hanc narrationem complectitur Ovidius, Fast. III, 675: *Ipsa loqui visa est: Placidi sum nympha Numici, Amne perenne latens, Anna Perenna vocor, etc.* Aliam tamen quam Ovidius eius nominis originem refert Macrobius, Saturn. lib. I, cap. 12; et hinc Perannam dici sit quod idib. Martii, *et publice et privatim ad Annam Perennam sacrificatum itur; ut annare, perennareque commode liceat*, id est, per annos durare. — Alii historici Annam Perennam affirmant anum fuisse ortam Bovillis prope Romam, quae populo in montem per seditionem digresso victum tulerit, seque postea ex alta fenestra praecipitaverit: in cuius memoriam haec celebritas tandem instituta est. Haec est Raderi sententia. Vid. Tiraquell. ad lib. III Alexand.

18. *Illic Flaminiae, etc.* Hic incipit Poëta domus situm laudare, tam feliciter electam, ut omnis circum a domino videri possint, nihil autem audiri; et oculi spectaculo, aures silentio fruantur. Ed. P. — *Flaminiae Salariaeque Gestator patet, essedo tacente*. Procul apparent in viis Flaminia Salariaque currus, gestatores, etc.; sed molesto rotarum stridore non somnus interpellatur, aut aures obtunduntur. Ed P. — *Flaminiae* Ab Vrbe per Tusciam, Vmbriam, Ariminum usque haec via pertinebat et strata fuerat a C. Flaminio consule, qui ad lacum Trasimenum ab Annibale interfectus est. — *Salariaeque*. Salaria via ducebat in Sabinos, atque a sale nomen sortita est, quia per eam Sabini sal a mari Romam deferre solebant.

Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno;
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum;
Quum sit tam prope Mulvius, sacrumque
Lapsae per Tiberim volent carinae.
Hoc rus (seu potius domus vocanda est)
Commendat dominus; tuam putabis;
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoi pios penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.

19. *Gestator*. Gestator est qui vel onera, vel homines gestat seu ducit essedo rotis suspenso, ut apparet ex verbis sequentibus: propter quae non servos intelligerem lecticas gestantes. Ed. P. — *Patet*. Totus adspicitur. — *Essedo*. Esseda sunt currus Britannici aut etiam Gallici. Vid. lib. I, epigr. 105, vs. 8. Quasi apud nos *fourgons*, *charrettes*. — *Tacente*. Non revera tacente, sed non audito. Ed. P.

21. *Nauticum celeusma*. Celeusma, vox graeca (κελεύω, *iubeo*), latine *cohortatio*, est nautarum clamor, quo sese accingunt ad remigandum.

22. *Helciariorum*. Helciarii (ab ἕλκω aut ἑλκύω, *traho*) sunt ii qui navem adverso flumine deducunt aut remulco agunt, aut anchoram uno connixu et mutuo hortatu moliuntur, et generatim onus aliquod iunctis viribus trahunt *helciis*, id est, funibus aut vectibus.

23. *Quum sit tam prope, etc.* Id est, quamvis sit tam prope pons Mulvius et Tiberis, is est situs villae, ut omnia visu, nihil auditu excipias. — *Mulvius*. Sive *Milvius*, pons, hodie *Ponte Molo*, ultra primum ab urbe lapidem, Tiberi impositus, in via Flaminia. — *Sacrum*. Quia pro deo colebatur Tiberis, uti alia flumina. Vid. Virg. Aen. lib. VIII. Caeterum cuncta flumina et fontes, quae tuebantur dei aut nymphae erant sacra. Ed. P.

25. *Domus vocanda*. Quia ornatissima et simillima urbanae domui.

26. *Commendat dominus*. Facit honestiorem gratioremque Iulius Martialis, qui in eam omnes hospites admittit, sic ut *suam* quisque *esse putet*.

29. *Alcinoi, etc.* Fuit ille rex Phaeacum in insula Corcyra, *Corfou*, ubi hortos habebat praestantes. — *Penates* erant dii domestici; pro ipsa domo ponuntur, quam *piam* appellat hoc in loco vates, quia Vlissem naufragio eiectum benigne excepit Alcinous, ut narrat Homerus, Odyss. Z.

30. *Divitis Molorchi*. Molorchus pastor venientem ad leonem Nemeacum opprimendum humanissime excepit, licet pauper, Herculem: factus vero dives dicitur, quia Domitianus fanum Herculi magnifico luxu in via Latia exstruxerat lib. IX, epigr. 65,

Vos nunc omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Praeneste domate, pendulamque
Vni dedite Setiam colono;
Dum, me iudice, praeferantur istis
Iuli iugera pauca Martialis.

iuxta quod Molorcho sacellum aedificavit multis donis locupletatum, de quo dicit Statius, Silv. III: *Nec pauperis arva Molorchi.*

31. Ite nunc vos, o lauti homines, quibus omnes villae sordent, tanquam exiguae, prae vestris ingentibus latifundiis; arate et colite, per me licet, centum aratris et centum ligonibus Tiburtina vestra praedia et Praenestina; imo totum agrum Setinum obtinete, et uni e vestris villicis tradite: ego istis omnibus parvam Iulii Martialis villam antepono.

32. *Centeno..... ligone.* Centum servis ligone utentibus. Ed. P.

33. *Praeneste.* Praeneste est urbs Latii, nunc *Palestrina*, in clivo sita, octo leucis Roma distans, pulchris templi Fortunae reliquiis conspicua. Ed. P.

34. *Vni dedite.* Vni colono Setinum agrum locandum date, qui eum colat cum familia sua. — Vnum colonum dicit, ut ostendat fastus divitum, quos alloquitur, quique non tantum ex villicis, quos innumeros habent, Setiam dent colendam. Ed. P. *Setia* civitas est in extrema Latii parte supra Forum Appii, unde et Setinum vinum. Lib. XIII, epigr. 112; *Pendula Pontinos qua spectat Setia campos.* Pendulam dicit, quia in monte sita est, unde videtur pendere urbs illa decem et octo leucis distans a Roma, hodie *Sezza*; hic templi Saturni rudera videntur. Ed. P.

65. — DE PHILAENI.

Oculo Philaenis semper altero plorat.
Quo fiat istud, quaeritis, modo? lusca est.

2. *Lusca est.* Miserum naturae vitium in illa muliere irridet Poëta, quae oculo altero plorabat, quod alter deesset; et plorasset utroque, si utrumque habuisset. Ed. P.

66. — AD LINVM.

Egisti vitam semper, Line, municipalem;

Linus quidam, frugalis municipii incola, vitam actitando tenuissimam, patrimonium ingens non aliter decoxerat, ac perditus Romae nepos delicias quaeritando luxuriosissimas. Miratur Noster eum artem excogitavisse

Qua nihil omnino vilius esse potest.
Idibus, et raris togula est excussa Kalendis;
Duxit et aestates synthesis una decem.
Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemptum;
Sylva graves turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo venit de gurgite piscis;

qua fieret pauper, quum nulla arte pauper fieri posse videretur; et rem imminuisse eodem vitae cultu, quo res augeri aut saltem servari deberet. Ed. P.

1. *Municipalem*. Sobrism, utpote rusticam, qualis degitur in municipiis, quae sunt oppida donata iure civitatis; quorum proinde incolis eadem licebat capere munia et magistratus gerere, qui Romae gerebantur.

2. *Vilius*. Parcius, augustius, minus sumptuosum.

3. *Idibus, et raris togula est excussa kalendis*. Togulam tantum summis festis kalendarum et iduum diebus, qui sunt rari, et duo tantum in mense; igitur non eam teris, nec pecuniam in nova emenda profundis. Ed. P. — *Idibus et.... kalendis*. Idus in medium fere mensem incidebant, eumque in duas partes quia dividebant, dictae sunt *idus* ab Etrusca voce *iduare*, hoc est, dividere. Kalendae autem prima dies mensis erant, ita dictae a verbo καλῶ, *voco*, quod pontifex, ubi nascentem primum lunam observasset (utebantur enim prisci Romani lunari mense, licet imperfecto), *vocaret* plebem in Capitolium, eique denuntiaret quot dies ad nonas usque superessent, quinque ao septem. — *Togula*. Non lauta et magni pretii; sed paucis nummis tibi coostans. Ed. P. — *Togula est excussa*. In secessu vestibus utentes vilioribus, Romani repositam habebant togam quam sumebant rarissime solennibus in festis; quum kalendae autem Iunoni, idus Iovi sacrae essent, ut ait Ovidius, Fast. I, *Vindicat Ausonias Iunonis cura kalendas; Idibus alba Iovi grandior agna cadit*; ad sacra quaedam publica populus conveniebat togatus: in municipiis autem rarior togae usus. Iuven. sat. III, vs. 171: *Pars magna Italiae, si verum admittimus in qua Nemo togam sumit nisi mortuus.* — *Excussa*. Quum educuntur vestes ex arculis ubi servantur, solent excuti ad pulverem purgandum; et quo rarius educebatur Lini toga, eo pulverea magis. Ed. P.

4. *Synthesis*. Vestis coenatoria, de qua iam multa mentio. Vide supra epigr. 46, vs. 15. Quum synthesim non mutaret Linus, ut Zoilus lib. V, epigr. 79, nec quotidie apud amicos coenaret, diu eadem synthesi utebatur. Ed. P.

5. *Saltus aprum*. Hoc est, venaris, piscaris, et vindemias colligis in tuis praediis; inde pecuniae tuae parcens, quum esculenta et poculenta omnia habeas tua, nullo pretio comparata — *Inemptum*. Labore venationis tantum, non pretio quaesitum. *Dapibus mensas onerabat inemptis*, Virg. Georg. IV.

6. *Sylva*. Hic notari potest vocum *sylva* et *saltus* discrimen: Nostro hic ferarum, illa volucrium est domus. Ed. P. — *Graves*. Pingues. — *Exagitata*. Tui venantis indagatione, et canum clamoribus. Ed. P.

Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.
Villica vel duri compressa est nupta coloni,
Incaluit quoties saucia vena mero.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris;
Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis.
Supposita est blando nunquam tibi tessera talo;
Alea sed parcae sola fuere nuces.

8. *Rubens.* Et a vini colore, et a colore testae igne coctae; ex argilla enim fiebant vulgo dolia. — *Non peregrina.* Inempta quoque, nata in vineis tuis. Ed. P.

9. *Nec tener Argolica.* Graeci pueri delicati ingenti pretio venundabantur, in quo plerique insaniebant, ita ut effunderent in puerorum pretia ingentes opes. Sic lib. I, epigr. 59: *Millia pro puero centum me mango poposcit; Risi ego, sed Phoebus protinus illa dedit*; et lib. XII, epigr. 33: *Vt pueros emeret Labienus vendidit hortos.* At nulla inde Lino paupertatis occasio.

10. *Stetit.* A pedibus; vel non tibi rectus adstitit minister et pincerna formosus, sed, etc. Ed. P. — *Rustica turba foci.* Villici pueri vernae.

12. *Saucia.... mero.* Ebria. — *Vena.* Libidinis instrumentum.

13. *Nec nocuit, etc.* Proponit nunc per negationem causas paupertatis, quarum nulla contigit Lino; tectorum conflagrationem, agrorum ardorem, navium iacturam. *Ramir.* — *Sirius.* Signum caeleste aliter dictum Canicula, astrum nocentissimum segetibus et arboribus, e cuius nimio ardore exusti solent perire fundi.

14. *Nec merces pelago prodidit ulla ratis* coniicit Ant. *de Rooy*. Haud ineleganter, inquit, navis merces pelago *prodere* dicitur pro *effundere*, atque adeo possessorem spe fraudare. Fortasse: *Nec mersas pelago obruit unda rates*, vel: *Nec mersas pelagi obruit unda rates.* Nec est, quod hiatum moremur. Saepius hunc vel primi ordinis vates neglexisse, noverunt illi, qui Veterum monumenta versarunt. — *Fluit.* Nulla ratis quae tua sit, per mare versatur, et in periculum naufragii venit. Ed P.

15. *Supposita est blando, etc.* Numquam talis relictis, in eorum locum tesseris lusisti, cum maiori pecuniae iactura; hoc est, non decoxisti patrimonium tesseris: lusores autem solebant a minori ludo, a talis nempe, incipere, mox animis incalescentibus, depositis talis, supponebantur tesserae, in quibus maior erat alea. Lib. XIV, epigr. 15: *Non sim talorum numero par tessera, dum sit maior, quam talis, alea saepe mihi.* — *Tessera talo.* Talus, *osselet*, quatuor tantum facies habet, sic dictus quia speciem habet ac formam ossiculi quod in talo est. Talis potissimum ludebant animi causa; lucri autem causa tesseris. Tessera est cubus, seu ebur ab omni parte quadratum, et certis notatum punctis numero variis; gallico sermone *un dè.*

16. *Alea sed parcae.* Hoc est, sed

Dic ubi sit decies, mater quod avara reliquit?
Nusquam est: fecisti rem, Line, difficilem.

victoriae praemium erant nuces, quibuscum vel pueri ludunt. — Ant. *de Rooy* conlicit, *tota fuere nuces*. Cf. Ovid. Nuc. 75.

17. *Dic ubi*, *etc.* Quum itaque frugaliter vixeris, vestitu, victu, ministerio et venere; quum nec igni, nec caeli inclementia, nec naufragio neque alea iacturam feceris, demiror quomodo eodem vitae cultu, quo alius quis e paupere dives fieri poterat, tu ex ditissimo factus sis pauperrimus.

Vbi sit decies. Post adverbia *decies*, *tricies*, *etc.* intellige semper centena millia sestertium.

18. *Fecisti rem, Line, difficilem.* Ludit in ambiguitate verbi Martialis quasi dicens: dum rem tuam *familiarem* fecisti difficilem, id est, *pauperem* (quemadmodum opes dicuntur *facultates*), rem fecisti difficilem, in qua excogitanda multum tibi fuit laborandum: difficilius enim erat patrimonium tuum exhaurire quam servare; quum simplici et admodum parco vitae genere hactenus usus fueris. Ed. P.

67. — IN PRAETOREM.

Praetorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat cana notus amicitia;
Dicebatque suis haec tantum deesse trecentis,

Quibus parum deerat ad esplendum censum equestrem, ii a ditioribus amicis petebant, unde explerent. Plin. lib. I, epist. 19. Inducit igitur praetorem quemdam Noster, qui centum sestertia Gauro amico ad hanc causam petenti negat, quia ingens munus daturus esset duobus equorum agitatoribus, unde isti sibi statum ponerent equestrem; indignaturque Poëta equo aeneo potius quam equiti vivo pecuniam suam largiri amicum illum inhumanum. Vid. lib. V, epigr. 25. Ed. P. — *Praetorem.* Hoc mihi videtur nomen proprium. Ed. P. Alii tamen intelligunt magistratum. Quum consules saepe ab Vrbe abesse coacti, non possent ius semper dicere civibus, praetor unus creatus est anno ab urbe condita 387, qui litigantibus iuris formulas daret, et iuris quaestione, non autem facti, diiudicata, eos coram iudicibus pedaneis remitteret; sic illud munus obibat, quod nunc apud Anglos, *le chancelier de l'échiquier*. Anno autem ab urbe condita 510, alter praetor additus, qui peregrinis ius diceret. Crevit deinde praetorum numerus usque ad 14; nec eorum munus idem omnino permansit. Ed. P.

2. *Orabat.* Vt sibi daret precabatur, sed frustra. Ed. P. — *Cana.* Veteri, ad canitiem producta.

3. *Haec tantum deesse trecentis.* Census equestris erat quadringentorum sestertium: trecenta autem tantum habebat Gaurus; centum igitur a Praetore postulabat. Potuisset tamen sine ulla petitione inter quatuordecim ordines sedere, si nomen equi-

Vt posset Domino plaudere iustus eques.
Praetor ait: Scis me Scorpo, Thalloque daturum;
Atque utinam centum millia sola darem.
Ah pudet ingratae, pudet ah male divitis arcae!
Quod non vis equiti, vis dare, Praetor, equo?

tia honorarium accepisset a Principe, ut diximus de Martiale lib. III, epigr. 96, vs. 10. Eo. P.

4. *Domino.* De superbia Domitiani regem dominumque se vocari iubentis, vide quae adnotavimus supra epigramm. 30, vs. 4, et multis aliis in locis. Eo. P. — *Plaudere iustus eques.* Moris erat plsusu laeto excipere viros nobiles in theatrum prodeuntes. Sic advenienti Caesari plaudebat populus. Lib. VI, epigr. 34, vs. 5: *Quaeque sonant pleno vocesque manusque theatro Quum populus subiti Caesaris ora videt.* Volebat autem Gaurus Caesari plaudere inter quatuordecim ordines sedens, non in infimis theatri subselliis.—*Iustus eques.* Integris equestribus facultatibus ex lege Roscia.

5. *Scorpo.* Scorpus nobilis equorum agitator, Domitiani tempore, idem erat quem deflet Poëta mortuum lib. X, epigr. 50; euius epitaphium scribit eod. lib. epigr. 53, cuius et ingentea quaestus enumerat epigr. 74, vs. 5. — *Thallo.* Equorum quoque agitatore.

6. *Atque utinam, eto.* Sed multo plura mihi danda esse video.

7. *Ah pudet ingratae, etc.* Pudet me tui, o Praetor, ait Martialis, qui tam sis ingratus erga veterem amicum, et usum divitiarum nescis. — *Male divitis arcae.* Quia Praetor abutebatur suis opibus, nec illas cum amicis communicabat.

8. *Quod non das equiti,* sic vett. et recent nonn. — *Equo.* Statuae equestres, inter alia victoriae praemia, agitatoribus excitabantur ab iis qui fautorea illorum se profitebantur.— *Dare equo.* Est igitur dare statuae equestri erigendae; iu qua maioris pretii erat aeneus equus eum basi, quam statua ipsa. — Vel intellige *dare equo,* dare homini qui nihil novit nisi equos agitare, et est ipse quasi *caballus.*— Vel denique intellige dare Scorpo, ut equos alat, celeresque ac nitentes habeat. — *Dat equo,* id est, dat homini qui tantum valet ob equi pernicitatem. Noster V, epigr. 25, 9: *Quam non sensuro dare quadringenta caballo Aureus ut Scorpi nasus ubique micet;* ubi multi viri docti reponunt *aereus;* pro *aureus* quia statuae aeneae equestres agitatoribus erigebantur, quum palmia multis in Circo inelaruissent. Eo. P.

68. — AD SEXTVM.

Invitas centum quadrantibus, et bene coenas.

Invitas me ad coenam promissis mihi centum quadrantibus (ea vulgo summa sportulae erat ut diximus); tu laute coenas, ego in eadem tecum mensa spectator otiosus accumbo: an invitas me ut coenem, an ut esuriens tibi prandenti invideam?

Vt coenem invitor, Sexte, an ut invideam?

1. *Centum quadrantibus*. Clientes pauperes, quibus dabatur sportula, eam non ante accipiebant quam interfuissent coenae divitis, a quo sportula donabantur: ita erant convivae honorarii et *venales*. Saepe et quoddam dabatur, praeter sportulam, pretium, ut sic inertes convivae, perparum e ferculis attingentes, praesentia sua tantum divitis mensam honestarent. Hinc Sextus hic dicitur invitare centum quadrantibus; hinc lib. IX, epigr. 101: *Denariis tribus invitas*. — Hos fictos convivas, has fraudes sustulit Domitianus, coenas rectas revocando: et inde dicere Martialem *nihil strophyarum est* lib. III, epigr. 7, vs. 6 putat Ramiresius; recte quidem, ut videtur. Ed. P.

2. *An ut invideam*. Sic queritur de Caeciliano lib. I, 21; de Mancino lib. I, 44; de Fabullo lib. III, 12; de Naevia lib. III, 13; de avaro quodam lib. III, 23 et 49; de Rufo eodem lib. 94, etc. etc. Ed. P.

69. — AD PAMPHILVM.

Tu Setina quidem semper, vel Massica ponis,
  Pamphile: sed rumor tam bona vina negat.
Diceris hac factus caelebs quater esse lagena.
  Nec puto, nec credo, Pamphile, nec sitio.

2. *Sed rumor*. Serpebat quippe rumor vina a Pamphilo apponi infecta veneno. — *Negat*. Negat esse nectar, sed ait esse venenum.

3. *Diceris hac factus*. Hoc est, quatuor uxores veneno necasse, ut earum dote fieres locupletior. — *Caelebs*. Viduus; caelebs est qui caret uxore.

4. *Nec puto*. Sensus est: Non credo quidem verum esse illum rumorem; attamen meo discrimine discere nolo: malo famae quam experientiae credere. Ideo bene valeas cum lagena tua: non sitio istud vinum, quamvis exquisitum et inter optima. Ed. P.

70. — DE AMMIANO AD MARONILLVM.

Nihil Ammiano, praeter aridam restem

1. *Mamiano* in cod. Florent. Ramiresius legit *vestem* pro *restem*, et, ut credit, meliore sensu; quod arida vestis sit sola vestis, nulla alia re adhibita. Sic lib. X, epigr. 75, vs. 11: *Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum*. Sic est etiam in edd. vett. Ald. Iunt. Colin. Gryph. Aridam vestem tritam intelligit Domitius; at Lips. elect. I, cap. 18 legit *restem* — *Aridam restem*. Qua se perditae luxuriae filius et nequam suspenderet. Eum scilicet exhaeredavit pater, illi male precatus. Solebant enim iis ver-

Moriens reliquit ultimis pater ceris.
Fieri putaret posse quis, Maronille,
Vt Ammianus mortuum patrem nollet?

bis impreeando uti: *restem et clavum quibus collum alliget*; subaud. *relinquo.*

2. *Vltimis..... ceris.* Id est ultimo testamento: nam prioribus pater haeredem eum scripserat, unde illi perditissimae luxuriae filio desiderium erat paternee mortis; sed eius improbitate iratus pater, nil eimile exspectentem eehaeredevit. En. P.—*Ceris.* A consuetudine in ceretis tabulis scribendi, adpellabantur per metonymlam *eerae*, quaevis scripturee, vel tabulae.

3. *Fieri putaret, etc.* Vulgatissimum erat Ammianum patris mortem impense optare, heereditatis copiosae cupiditate, quod in prioribus tabulis se sciret haeredem institutum Quum autem eperto testamento nihil sibi relictum videret, nisi lequeum, dulehat mortuum patrem, a quo vivo poterat aliquid eecipere, quo vitam hilarem in comessationibus duceret.

71. — AD SOPHRONIVM RVFVM.

Quaero diu totam, Sophroni Rufe, per urbem,
Si qua puella neget; nulla puella negat.
Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare,
Tanquam non liceat, nulla puella negat.
Casta igitur nulla est? castae sunt mille. Quid ergo
Casta facit? non dat; non tamen illa negat.

Queritur puellarum Romanarum facilitatem, ex quibus nullam quee negaret inveniebat; et quid sit casta puelle, docet. Huic epigrammati coniunctum est epigr. 82 infre.

1. *Quaero diu totam, etc.* Negantem puellem quaerebat ob eam eeusem quod facilitas in dendo setiare soleat, ut dixit ipse supra epigr. 38: *Galla, nega; satiatur amor, nisi gaudia torquent*; et epigr. 42 de puero, *Saepeque nolentem cogat, nolitque volentem*; atque lib. I, epigr. 58, *Nolo nimis facilem difficilemque nimis*, et ultimo versu subiungit causam: *Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.* Ramiresius.

3-4. Differunt *fas esse* et *licere*: *nefas est* quod sua natura turpe et iniquum; *non licet* quod seu aequum, seu iniquum prohibetur ab eliquo; igitur hic est sensus, quasi iniquum sua nature vel turpe sit negere, et quasi non concessam ed negendum habeant puellae facultatem, non negant. *Ramiresius.* — *Fas.* Dicitur a *fando*: *fas* est ideo quod aequum est *fari*; *nefas*, quod *fari* non aequum est.

6. *Non dat; non tamen illa negat.* Quae non ultro dat, ea caste vocatur: sed rogata non negat; sic Ovidius, Amor. I, 8, 43, *casta est quam nemo rogavit.*

72. — AD QVINTVM.

Exigis, ut donem nostros tibi, Quinte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Aes dabo pro nugis, et emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatue. Nec ego.

Sub persona Quinti sordes reprehendit eorum qui ut Lupercus ille lib. I, epigr. 118, libellos epigrammatum a Nostro petebant, ut legerent gratis, nec emerent a bibliopola. Ed. P.

4. *Nec ego.* Respondet Martialis; nec ego tam fatuus ero, qui fatuo gratis donem meos libros. Istius Quinti avaritiam castigat, qui paucos impendere nummos recusabat, ut sibi hos libros compararet, quos tamen legere summo studio espetebat.

73. — DE VESTINO.

Quum gravis extremas Vestinus duceret horas,
Et iam per Stygias esset iturus aquas;
Vltima volventes orabat pensa sorores,
Vt traherent parva stamina pulla mora,
Iam sibi defunctus, caris dum vivit amicis;
Moverunt tetricas tam pia vota Deas.

Atticum Vestinum laudat a liberalitate qua, mortifero morbo loborans, et modo animam emissurus, cum amicis usus est; quibus ingentia divisit dona; quo facto, lubens decessit.

1. *Gravis.* Gravi morbo affectus.— *Vestinus* filius erat illius Vestini quem consulem damnavit et mori iussit immerentem Nero.

3. *Sorores.* Parcas.

4. *Vt traherent, etc.* Vt lanae paululum e ferali colu producere continuarent et a stamine praecidendo aliquantisper abstinerent, nec quidem ut sibi viveret, sed ut viveret amicis; et tempus haberet unicuique bona largiendi. Ed. P. — *Stamina pulla.* Pulla Parcarum stamina ea sunt quae mortem minantur. Lib. VI, epigr. 58, vs. 7: *Si mihi lanificae ducunt non pulla sorores Stamina.* Alba autem stamina ducere Parcae dicebantur, quando vitam in longius protrahebant. Iuvenal. sat. 12, vs. 65: *postquam Parcae meliora benigna Pensa manu ducunt hilares, et staminis albi Lanificae.*

5. *Iam sibi defunctus.* Parcas exiguam orabat moram, non mortem causa sua metuens, nec quia vitae desiderio tenebatur, sed ut amicis suis consuleret; quod votum valde pium erat.

6. *Tetricas.* Quas nemini datur exorare, ut ait ipse Martialis supra epigr. 54, vs. 5, eas tamen exoravit Vestinus. Ed. P.

Tum largas partitus opes, a luce recessit;
Seque mori post hoc credidit ille senem.

8. Alii legunt, *posthac*: alii *post haec*. — *Senem*. Satis se vixisse, hoc facto, credidit; nihil superesse melius quod faceret, etiamsi ad summam usque senectutem perveniret.

74. — DE DAMIS.

Adspicis, imbelles tentent quam fortia damae
Praelia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus ardent.
Vis, Caesar, damis parcere? mitte canes.

De damis in arena adversis frontibus in se mutuo concurrentibus, dictum supr. epigr. 35.

1. *Imbelles, etc.* Elegantibus antithetis hoc distichon ornavit, *imbelles*, *fortia praelia*; *timidis feris*, *quanta ira*. — *Damae*. Sunt caprae quaedam silvestres, imprimis meticulosae.

3. In aliis *audent*.

4. *Mitte canes*. Canibus, qui alias damis exitio sunt, immissis, dirimetur praelium damarum ad perniciem inter se furentium. Minus enim iis timendum est a canibus, quam a semetipsis. Similis est locus lib. I, epigramm. 49, vs. 7: *Si vitare canum morsus, lepus improbe, quaeris, Ad quae confugias, ora leonis habes.*

75. — DE NIGRINA.

O felix animo, felix, Nigrina, marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus!

Non Romae licebat marito patrimonium uxoris caducum participare, a qua liberos non suscepisset; Nigrina tamen quaedam, coniugi suo impertierat relictos a patre census, licet nullos haberet liberos. Hoc liberalitatis exemplum, forsan quia rarum, vehementissime laudat Martialis, ita ut Nigrinam Evadnae Alcestaeque anteponat, quod illae morte sua, Nigrina autem sine morte piam in coniugem caritatem confirmaverit. Ed. P.

1. *O felix animo!* Felicem animo vocat Nigrinam, quia quidquid praeclare facimus nos vere praestat felices. Ed. P. — Vel quod hic animus ita benignus in virum summae laudi sit ei futurus. *Ramires*. — *Felix..... marito*. Si vocem *marito* ablativum esse casum putabimus, hic erit sensus: O felix, quae maritum habeas tali virtute commendatum, ut mereatur te in eius gratiam haec agere! Sin autem cum Ramiresio dativum casum esse censebimus, *felix marito* intelligemus *marito utilis*, seu *in felicitatem mariti nata*.

2. *Latias*. Quum mentionem fa-

Te patrios miscere iuvat cum coniuge census
Gaudentem socio, participique viro.
Arserit Evadne flammis iniecta mariti,
Nec minor Alcestem fama sub astra ferat.
Tu melius: certo meruisti pignore vitae,
Vt tibi non esset morte probandus amor.

ciat infra de Evadne et Alceste, quae exterae nationis fuerant, ideo dixit Latias nurus. — *Gloria prima* Quidquid eminentissimum in quovis genere est, appellat *gloria prima* Noster: sic lib. XIII, epigr. 93, *Inter quadrupedes gloria prima lepus*, vel *gloria rara*, lib. Spect. epigr. 18: *Tigris ab hircano gloria rara iugo*. — *Nurus*. Proprie est *uxor filii*; hic pro uxoribus quibuslibet accipitur.

3. *Iam patrios* Beverlandi Ms. *cum coniuge sensus* in edd. vett.

4. In iisdem, *participemque*.— *Participi* divitiarum a patre tuo acceptarum; sic quod non ei competebat ex lege ius, id ei competivit ex tua liberalitate. En. P.

5. *Arserit Evadne*. Iphiae filia et uxor Capanei, unius ex septem ducibus Graecorum, et in oppugnatione Thebarum caesi, quem tanto amore prosequebatur, ut, quum mortuum illum cremari videret, in eumdem se rogum immiserit. Virg. Aen. VI. Ovid. Trist. IV, eleg. 3, 63: *Quum cecidit Capaneus subito temerarius ictu, Num legis Evadnen erubuisse viro*, etc. et Art. Am. III, 21: *Accipe me, Capaneu; cineres miscebimur*, inquit Iphias; *in medios desiluitque rogos*. Vide et Stat. Thebaid. lib. XII.

6. *Alcestem*. Peliae fuit filia et uxor Admeti regis Thessaliae, pro quo lubens se morti obiecit, quum Oraculum respondisset, brevi Admetum moriturum, nisi aliquis ex propinquis pro eo mortem sponte oppeteret. Ovid. P. III, 1, 106: *Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset, Admeti* coniux, *quam sequereris, erat*. Vid. et Euripid. Admetus iamiam profecturus ad Troiae obsidionem.

7. *Tu melius certe* in vett. ed. *Tu melius certo* cod. Palat. et Beverlandi Ms. et sic legit Musambertius. *Tu melius certo* ed. Colin. recentior. *Tu melius certae* legendum putat Ramiresius. At *pignora vitae* codex Pulmanni. — *Certo meruisti pignore vitae*. Vivens tam certum dedisti pietatis pignus, opibus paternis cum viro communicatis, ut satis illa sit probata, nec indigeat misera mortis conditione ut certius probetur. Lib. I, epigr. 9: *Nolo virum facili redimit qui sanguine vitam: Hunc volo laudari qui sine morte potest*; at lib. II, epigr. 57, vs. 5: *Rebus in angustis facile est contemnere vitam*. — Ramiresius legit *certae*, et *vitam certam* intelligit vitam non periclitantem.

76. — IN AVARVM AMICVM.

Millia misisti mihi sex, bis sena petenti;

Dixerat Martialis lib. I, epigr. 76: *Dimidium donare Lino, quam credere totum qui mavult, mavult perdere dimidium*. Hic autem avarus amicus,

Vt bis sena feram, bis duodena petam.

in quem est hoc epigramma, illud sibi consilium utile existimavit, et sibi cavens, duodecim millia petenti Poëtae sex millia misit: sed qun eum deludat artificio invenit Poëta, dicens se duplum summae, qua sibi fuerat opus, alias petiturum, ut summam habeat integram, quam voluerit habere.

77. — IN ZOILVM INVIDVM.

Nunquam divitias Deos rogavi,
Contentus modicis, meoque laetus.
Paupertas, veniam dabis, recede.
Causa est quae subiti, novique voti?
Pendentem volo Zoilum videre.

Invidebant Nostro non pauci, ut et hoc et aliis epigr. docet, intee quos erat Statius.

3. *Veniam dabis.* Mibi ignosce, si postquam te fovi laudavique, nunc te contemno et recedere velim. Ed.P.

4. *Causa est quae.* Vnde fit ut egn divitias nunc optem, quum semper paupertatem amaverim? Quia, inquit, quum Zoilus ditescere me viderit, rumpetur invidia, et prae livore se suspendebit, cuius rei desiderio teneor. De Zoilo superius dissertatum, qui vera suspendio vitam finiit.

5. *Pendentem volo.* Sic lib. I, epigr. 116, vs. 4, de Procillo invido: *Iam suspendia saeva cogitabis, etc.* Aliorum enim felicitas invidum facit infelicem. Ed. P.

78. — IN VARVM.

Ad coenam nuper Varus me forte vocavit;
Ornatus dives, parvula coena fuit.
Auro, non dapibus oneratur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulae.
Tunc ego: Non oculos, sed ventrem pascere veni;
Aut appoue dapes, Vare, vel aufer opes.

Poëta irridet Varum quemdam, qui ornatum quidem mensae divitem, parvulam vero coenam convivis apponebat. Ramiresius tamen elegans epigramma iudicat et poëta dignum, et addit elegantem esse metathesim, qua Nostae vult *aut apponi dapes, aut auferri opes.*

2. *Ornatus.* Supellectilis apparatus. Ed. P.

6. *Opes.* Vasa aurea, lances pretiosas, etc. Ed. P. — *Aufer opes.* De hoc

loco sic Petitus: «Nullum acumen, nulli sales. Rescribo venustissimo sensu: *Aut appone dapes, Vare, vel aufero opes.* Iubet enim Martialis, ut apponantur dapes, non aurum; nam nisi dapes apponantur, minatur se ablaturum aurum, quod appositum erat; quemadmodum e dapibus partem domum auferebant. »

79. — IN AFRVM.

Condita quum tibi sit iam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo;
Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus, Ave.
Et sine te nulli fas est prodire tribuno,
Nec caret officio consul uterque tuo;
Et Sacro decies repetis Pallatia clivo,

Afrum carpit ardelionem, minori etiam, quam Attalum, excusatione dignum, quod, quum esset sexagenarius, et rerum usu tritus, minus eum deceret undique discurrere iuveniliter, et deridenda officiositate unumquemque vexare. Ed. P.

1. *Condita quum tibi, etc.* Quum annos sexaginta sis natus: *messis* pro autumno, *autumnus* pro anno sumitur. — *Condita.* Messem *condere* est eam in horrea devehere.

2. *Et facies multo, etc.* Et barba tibi incanuerit.. Ed. P.

3. *Discurris tota vagus urbe.* Ambitiosa indagine officiosus circumcursas potentiores patronos, divites viduas aut orbas (idest sine liberis), etc. salutaturus. — *Nec ulla cathedra est.* Sensus est: et quoties tibi per urbem vaganti occurrit lectica vel sella gestatoria, extemplo advolas, salutaturus eum qui gestatur. Vide lib. XI, epigr. 99. — Aut per atria divitum transcurris, et unumquemque salutas in cathedram suam ascendentem, ut eat foras. Ed. P. — Vel etiam portas Ave patronis, seu viduis, in cathedra domi sedentibus, et salutantes exspectantibus. — *Cathedra.* Cathedra commune graecis nomen est pro quovis sedili; et eadem ratione a Latinis usurpatur, nunc pro sella, nunc pro muliebribus stratis: hac ultima significatione sumitur a Nostro supra lib. III, epigr. 63, v. 7: *Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet*; et Horatius I, sat. 10: *Discipularum inter iubeo plorare cathedras.*

4. *Cui non mane, etc.* Ineptior Afer, quam caeteri clientes, quia *Ave* portaret, quum iam seni dicendum esset *Vale.*

5. *Et sine te, etc.* Hoc est, tribunos et consules domo exeuntes assectaris, deducis, etc.

6. *Officio.* Tuis officiosis deductionibus.

7. *Decies.* Saepius. — *Repetis Pallatia, etc.* Per viam sacram redis ad palatium Imperatoris. Clivus est locus declivis et pronus. Via Sacra dicebatur ea quae ad Iovis templum in Capitolio exstructum ducebat.

Sigeriosque meros, Partheniosque sonas.
Haec faciant sane iuvenes; deformius, Afer,
Omnino nihil est ardelione sene.

8. *Sigeriosque, etc.* Ex Suet. in Domit. cap. 17, et ex Nostro multis in locis scimus, Parthenium cubicularium fuisse Domitiani, cui Xiphilinus comitem dat Sigerium. — *Meros.* Id est nihil nisi Parthenium et Sigerium habes in ore, ut aulicis familiariter uti videaris. Gallice vox *pur* eodem sensu aliquando sumitur; *en pure perte*, etc. Cicero lib. IX ad Atticum epist. 15 in fine: *Dolabella suis literis idibus Martii datis merum bellum loquitur*; et Horatius I, epist. 7: *Ex nitido fit rusticus, atque Sulcos et vincta crepat mera.* Sic et Martialis lib. VII, epigr. 53: *Semper mane mihi de me mera somnia narras.* Legunt alii, *Sigeriosque modos, etc.* et Raderus interpretatur orationem ad Sigerii et Parthenii aures accommodatam, qua illorum amicitiam sibi conciliare conaretur Afer. Musambertius legit *Sigeriosque modo*, h. e. nihil aliud sonas quam Sigerios et Parthenios; tantum Sigerios loqueris. Hic sensus in primum cecidit.

10. *Ardelione.* Is nempe est, qui totus occupatur in nihil agendo, qui ubique et nusquam est. Vide Phaedri lib. II, fab. 4. — *Sene.* Senes, experientia edocti, vanas spes et amicitiae acquisitiones effugere debent. Id faciant sane iuvenes, quibus adhuc Fortuna non imposuit.

80. — AD MATHONEM.

Hospes eras nostri semper, Matho, Tiburtini.
Hoc emis: imposui; rus tibi vendo tuum.

1. *Hospes eras, etc.* Tam saepe ventitabas in meam villam Tiburtinam ut tua dici posset; itaque decepi te, dum eam tibi vendidi, quae tua iam erat, nempe usu ipso, quum utereris illa gratia. — *Matho.* Vide epigr. sequens. — *Tiburtini.* Tiburtina villa, teste Ortelio, dicitur hodie *Villa Hadriani.*

2. *Imposui.* Te fefelli. Videatur supra, epigr. 40, vs. ult. Ed. P. — *Tuum.* Seneca, epist. 73: *Errare mihi videmur. Stulta avaritia mortalium possessionem proprietatemque discernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est.*

81. — IN MATHONEM.

Declamas in febre, Mathon: hanc esse phrenesim

Loquacem Mathonem quemdam insectatur, qui nec sanus, nec aeger unquam cessabat loqui, et in medio febris ardore summo conatu declamabat. Hoc epigramma, ut et 81, Ianus Rutgers. abdicat Martiali.

Si nescis, non es sanus, amice Mathon.
Declamas aeger, declamas hemitritaeus.
Si sudare aliter non potes, est ratio.
Magna tamen res est. Erras : quum viscera febris
Exurit, res est magna tacere, Mathon.

1. *Phrenesim.* Furorem, insaniam, quam Veterea putabant phrenibus affectis ortam.

2. *Non es sanus.* Ludit in voce *sanus*, quod tam ad corporis quam ad animi valetudinem accommodatur, ut supr. de Zoilo, lib. XVI.

3. *Hemitritaeus.* Ἡμιτριταῖος, *semitertianus:* hoc est, semitertiana febre laborans; febris vero semitertiana est tertiana imperfecta, et accedens ad quotidianam; quod citius recurrat quam vera tertiana: id est, ex utroque febrili die in uno accessum anticipet.

4. *Est ratio.* Videtur esse iusta ratio, si declamas ut sudorem valetudini utilem provoces.

5. *Magna tamen res est.* Excusat se Matho: Magnum est, inquit, id est arduum et laudabile, posse in medio morbo declamare; hoc vires ingenii et pulchrum ad eloquentiam impetum denotat. Vehementer falleris, respondet Martialis; longe est difficilius et sanius in media febri tacere posse: pars furoris et morbi est tunc vociferari. Quum vehementi febre laboras, summis in doloribus nec clamare nec ingemiscere difficile est. Vel sic intellige: Res magna non est in febre declamare; hoc enim phrenesim, seu insaniam notat: at vero tacere, quod est argumentum sanae mentis, res est sane ardua.

82. — DE FABVLLA.

Epigramma nostrum quum Fabulla legisset,
Negare nullam quo queror puellarum,
Semel rogata bisque terque neglexit
Preces amantis. Iam, Fabulla, promitte ;
Negare iussi, pernegare non iussi.

1. *Epigramma.* Supra, istius libri epigr. 71.

5. *Pernegare non iussi.* Sic enim dicit lib IX, epigr. 69. vs. 10: *Nam vigilare leve est, pervigilare grave.*

83. — AD RVFVM.

Hos quoque commenda Venuleio, Rufe, libellos:

Rufo, ad quem epigrammata multa scripsit, librum tertium Noster misit, cum rogando ut caveret ne legeretur a Chione: nunc eidem mit-

Imputet et nobis otia parva, roga :
Immemor et paulum curarum, operumque suorum,
Non tetrica nugas exigat aure meas. 4
Sed nec post primum legat haec, summumve trien-
Sed sua quum medius praelia Bacchus amat. (tem;
Si nimis est legisse duos; tibi charta plicetur
Altera : divisum sic breve fiet opus.

tit librum quartum, et aliud rogat, scilicet ut Venuleio tertium quartumque libellom epigrammatum commendet; quod ut faciat, tempus ad eos legendos aptissimum et legendi modum ei definit. Ed. P.

1. *Hos quoque*. Duos, tertium et quartum; vid. infr. vs. 7.

2. *Imputet et nobis, etc.* Roga ut aliquid otii tribuat eis legendis, id beneficium ab eo me putabo accepisse : hoc in beneficii loco ponam; mihi ab illo imputari patiar. — Est gallice aliquid simile quum dicimus: *Faites-moi la grace de, etc.* Ed. P.

4. *Non tetrica nugas exigat, etc.* Aequus iudex et candidus legat; non severa audiat aure, nec rigida censura ad amussim et perpendiculum metiatur et examinet carmina haec nugatoria, ducta metaph. ab architectis vel statuariis. Vnde *exacta opera*, pro perfectis: pro quo Plautus *amussitata* dixit, quasi ad amussim exacta.

5. *Sed nec post primum, etc.* Non tamen libellos legat Venuleius post primi scyphi haustum, initio mensae, quum nondum erit hilaris et incaluerit mero; nec post ultimum, quum iam, finita coena, videtur alacritas convivii friguisse; sed in medio convivio, quum se poculis invitant mutuis ac impetunt certantes vino et iocis convivae. — *Trientem*. Triens, sic appellatus a vocabulo *tres*, quia tertia pars est sextarii, continet quatuor cyathos; hic ponitur pro quovis poculo : de divisionibus sextarii vide lib. 1, epigr. 28, vs. 2. Ed. P.

6. *Praelia*. Mutuas ad bibendum convivarum provocationes.

7. *Si nimis est legisse duos*. Si duo libri videbuntur longiores, alterum sepone, et ab altero divide, ut alio tempore offeras Venuleio.

8. Iunt. nostra in margine pro *breve*, exhibet *leve*; et Beverlandi MS. *onus* pro *opus*.

84. — IN NAEVOLVM.

Securo nihil est te, Naevole, peius; eodem

Est epigramma in eumdem istum Naevolum, qui nunquam Martiali dicebat Ave, sed tantum semper reddebat. Ait Poëta eum pro rerum suarum eventu modestum vel arrogantem se ostendere. Quum enim nullis premeretur curis, despiciebat cunctos; quum vero sollicitus esset, omnibus se submittebat.

Sollicito nihil est, Naevole, te melius.
Securus, nullum resalutas, despicis omnes;
Nec quisquam liber, nec tibi natus homo est.
Sollicitus, donas: dominum regemque salutas;
Invitas: esto, Naevole, sollicitus.

1. *Securo.* Securus dicitur, qui est siue cura. Sic Virg. Aen. lib. I, de Pygmalione: *Securus amorum Germanae*, id est, *nihil curans sororis in maritum amorem.*

3. *Resalutas.* Priorem salutare confitentis erat se inferiorem esse salutato; reddere autem Ave, vel resalutare erat officium superioris; unde in hoc versu, lib. X, epigr. 70, vs. 5: « Nunc resalutantes video nocturnus amicos; » *resalutantes amicos* intelligit Ramiresius amicos potentes et fastidiosos. Sic Suetonius de Nerone, cap. 37: *Certe neque adveniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertivit, ac nec resalutatione quidem, sed vel respiciebat salutantes, vel annuebat nullo prolato verbo.*

4. *Nec quisquam liber, nec tibi natus homo est.* Omnes ut servos tractas, et ut indignos qui nascerentur, et vivant. — Alii: *nec quisquam visus, nec tibi notus homo est.* Id est, arroganter viam pergis, quasi neminem videres, aut nosses. Alii: *nec quisquam liber, nec tibi gratus homo est.* Scilicet nemo nec ingenuus, nec servus tibi placet. Enim vero vox *homo* significat servum: Leg. II, ff. de Vsu, Vsufructu, etc.

5. *Dominum regemque.* De hac salutatione vide lib. I, epigr. 113. De nomine *regis*, quo Romani salutabant patronos, et viros ad dignitates evectos, a quibus beneficia sperabant, vide quae dicta sunt lib. II, epigr. 18, vs. ultim. Vox autem *dominus*, raro privatis impertiebatur, et per summam adulationis humilitatem: videbatur usu nomini Imperatoris coniuncta; ita ut Domitianus praecepisset hoc nomine se designari. Ed. P.

6. *Invitas.* Ad coenam. — *Esto, Naevole, etc.* Faxint Superi, ut semper aerumnosus sis et negotiosus: si quidem tunc tantum futurus es modestus et humanus.

85. — IN THAIDEM.

Non est in populo, nec urbe tota,
A se Thaida qui probet fututam,
Quum multi cupiant, rogentque multi.

Fellatricem Thaida satis urbane carpit, quod nemo sit in urbe tota, qui probare possit a se foedatam esse, nisi foediori deditam libidini.

2. *Probet.* Hoc est, *demonstret*; quasi nempe dicerent quidem multi se potitos Thaide, at ex hac multitudine nullus probaret. Caeterum minus usitatum hoc sensu τὸ probare.

3. *Quum multi cupiant rogentque.* In

Tam casta est, rogo, Thais? Immo fellat.

hoc versu est epigrammstis iocus: nam illud *cupiant rogentque, etc.* videri poterst ad superiora referri, quod multi cuperent eam futuere: sed reapse refertur ad sequentia, quod cupiant eam irrumare. Huic autem turpitudini praestabat obsequium, sive aliquo vitio turpi partes obscoenae laborarent, sive, quod innuit Martislis, fellationa prae omnibus delectaretur.

86. — IN PONTICVM.

Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice: quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Inurbanitatem Pontici notat hoc disticho; qui convivis vilia, sibi pretiosa vina miscebat, et, ne fucus detegeretur, ipse poculis myrrhinis utebatur; convivis vitra porrigebat. *Ramires.*

1. *Myrrha.* Poculis myrrhinis. Myrrha, lapidis quoddsm genus; erat nitidum et odorstum, non tamen pellucens, ut vitrum. Hanc esse pretiosissimam Romanis confirmat Paulus, L. III, § 4, ff. de supellectili legata: *De myrrhinis et crystallinis dubitari potest, an debeant annumerari supellectili propter eximium usum et pretium.*

2. *Duo vina.* Vile quod bibimus; generosius quod potas.

87. — AD LIBRVM SVVM DE APOLLINARI.

Si vis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneoque te, libelle,
Vt docto placeas Apollinari.
Nil exactius, eruditiusque est,
Sed nec candidius, benigniusque;

Librum suum alloquitur, hortaturque ut placeat Apollinari, viro eruditissimo; quem quidem hoc epigrammate, et lib. VIII, epigr. 26, tam aequum iudicem certumque Aristarchum esse ait, ut quem laudaverit libellum, is omnem laudem sperare possit, aut saltem aliorum iudicia contemnere; quem vero damnaverit, is sine dubio igne aut litura dignus. Ed. P.

1. *Atticis.* Politis, delicatis. Prisci enim Athenienses praeter caeteros urbaniores, et elegantiori lepore venustiores censebantur. Lege librum qui tribuitur Ciceroni, de optimo genere oratorum.

4. *Nil exactius, etc.* Qui, ut apprime exacti est iudicii et eruditionis ad examinandum, ita miri candoris et benigni ingenii ad approbandum. Ed. Par.

Si te pectore, si tenebit ore,
Nec ronchos metues maligniorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnaverit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit,
Inversa pueris arande charta.

6. *Si te pectore, etc.* Si te complectetur ac deponet in sinum. *In sinu ferre*, quod hic eodem sensu ac gallice, *savoir par cœur*; alias sumi metaphorice pro *carum habere* diximus lib. II, epigr. 6, vs. 7, quod quidem et aliis in locis notandum. Ed. P. — *Si tenebit ore.* Si oculis avidis, et quasi ore toto te leget ac vorabit; vel si tibi basia dederit. Ed. P.

7. *Nec ronchos metues, etc.* Sensus est: Tum abunde tutus eris, et extra plebeii iudicii aleam contemptumque positus; censurae haudquaquam patens, quum nemo possit carpere quod Apollinaris laudandum iudicaverit; vel eiusdem approbatione te consolaturus, si quis censor adfuerit. Ed. P. — *Ronchos* Subsannationes. Ronchus est sonitus qui editur naso a stertentibus, quo saepe utuntur qui quid contemnunt, quasi significent adeo ineptum illud esse, ut malint atertere, quam id videre vel audire.

8. *Nec scombris, etc.* Pers. sat. 1: *nec scombros metuentia carmina, nec thus.* Nam pessima carmina ad salsamentarios amandabantur, qui ea, quae vendebant, chartis illis male fortunatis involvebant; vel ad coquos: lib. III, epigr. 2: *Ne nigram cito raptus in culinam Cordyllas madida tegas papyro, Vel thuris piperisque sis cucullus.* — *Tunicas molestas.* Involucrum. Tunica molesta, de qua vide lib. X, epigr. 25, vs. 5, proprie tunica erat sebo, pice et bitumine illita, qua induebantur maiorum criminum rei, ut in ea cremarentur. Alludit ad hunc morem Noster: nam pisciculi iisdem involuti chartis, in quibus afferebantur, frigebantur; aut saltem illae chartae in ignem a coquo iniiciebantur.

9. *Si damnaverit.* Ille, si improbarit, despera te placere aliis posse. — *Ad salariorum, etc.* Curre ad tabernas et officinas mercatorum salsamenta vendentium, qui quidem vilibus abundant chartis.

11. *Inversa pueris, etc.* In una tantum chartae facie scribi solebant poëmata: unde Iuvenalis, sat. 1, arguens longam cuiusdam poëtae fabulam, ait: *Scriptus, et in tergo, necdum finitus Orestes.* Sed vero quum vilescere coepissent libri in voluminibus exarati, aliquando invertebantur et ab altera parte conscribebantur. In primis vero charta, quae a tergo scripturam susceperat, usui puerorum cedebat, ut in illa scribendo exercerentur, ut nunc fieri videmus. Quem casum Horatius libro suo vaticinatus, lib. I, epist. 2, cecinit: *Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem Occupet extremis in vicis alba senectus*; hoc est, interprete Porphyrione: nemo te ornabit ac describet, sed aut carie consumeris, aut fient ex te opisthographae epistolae. Eodem respexisse nobis videtur hic Noster. Ed. P. — Alii intelligunt *pueris salariorum* et aliorum paupe-

rum, qui quum ob egestatem non possint uti charta pura, magistrorum dictata in tergo scribebant. — *Arande. Arare* per metaphoram significat *scribere*, quia stilo ferreo in ceratis tabulis literas imprimentes Antiqui sulculos quosdam ducere videbantur.

88. — DE BASSA.

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
 Collocat, et lusus deliciasque vocat.
Et quod mireris magis, infantaria non est.
 Ergo quid in causa est? Pedere Bassa solet.

2. In Beverl. MS. *deliciasque facit.* — *Deliciasque vocat.* Et id se facere dicit ad delicias, ut colludat puero.

3. *Infantaria non est.* Verbum a Poëta fictum, ut *domicoenium*, lib. V, epigr. 78, vs. 1: hoc est, non est amatrix infantium, nec quae eorum ludis delectetur; sed quum crebro flatum ventris emitteret Bassa, in infantem reiiciebat culpam.

89. — IN AVARVM AMICVM MVNERA A SE ACCEPTA DISSIMVLANTEM.

Nulla remisisti parvo pro munere dona;
 Et iam Saturni quinque fuere dies.
Ergo nec argenti sex scriptula Septitiani

Saturnalibus munera commeabant, ut calend. Ianuarii Strenae. Martialis amico cuilibet libellum epigrammatum, vel aliud donum quoddam miserat, pro quo nihil acceperat: hinc iratus poëta eius avaritiam hoc epigrammate insectatur.

2. *Et iam Saturni quinque fuere dies.* Id est, iam finita sunt Saturnalia, quae ad quintum diem protraxerat Caligula. Ed. P.

3. *Ergo nec argenti*, etc. Quis sit in hoc versu et sequentibus ordo verborum et sensus, non perspicue patet. Ego virgulam post vocem *Septitiani*, et notam interrogationis, quam miror deesse in omnibus editionibus quas consului, post vocem *mei* pono, ita ut hic fiat sensus: Nonne fuere sex scriptula argenti Septitiani, nonne fuit mappa *quae solet mitti a cliente*, etc. quibus me donare posses, ita ut te meminisse mei appareret? Vel forte: An mihi dices nullum fuisse munusculum missum tibi a clientibus, quod vice tua mihi mitteres, ut mei meminisse te dicere posses, scilicet *sex scriptula*, etc. Iudicet lector. Mihi certe videtur vocem *missa* in quarto versu non posse ad Martialem referri, quum hac voce sublata *a querulo mappa cliente*, omni sensu destitutum superesset, nisi forte subaudiatur *veniens*, quod parum latinum. Nunc quidam interrogabunt forsan quid sit argentum Septitianum. Hoc non con-

Missa, nec a querulo mappa cliente fuit;
Antipolitani nec quae de sanguine thynni
Testa rubet, nec quae coctana parva gerit,
Nec rugosarum vimen breve Picenarum;
Dicere te posses ut meminisse mei?
Decipies alios verbis vultuque benigno;
Nam mihi iam notus dissimulator eris.

stat; videtur certe ex enumeratione subsequenti et sensu totius epigrammatis, aliquid fuisse parvi pretii; idem et ex lib. VIII, epigr. 71, vs. 6, apparet. Forte Septitius fuit aurifex, cuius argentum erat notae deterioris. Vel quod huic sensui proximum, malae fidei operarius et mercator qui pro argento argyrodeta, gallice *du plaqué* ementi dabat, fallaci librae imposita, ita ut falsum pondus, falsa materia esset. — *Sex scriptula*. Perexiguum munus. Scriptulum, seu scripulum, seu scripilum, vigesima quarta pars est unciae, quae duodecima pars librae; sic 288 scriptula continebat libra. Tria scriptula drachmam efficiebant, quae octava pars unciae. Scriptula Graecis dicebantur γράμματα, a numero literarum, quum uncia contineret viginti quatuor huiusmodi ponduscula. Scrupulum, taste Roberto Stephano in suo Thesauro linguae latinae, nomen est ponderis, ac in binos obolos dividitur: est etiam mensura agrorum et diei. Ed. P.

4. *Querulo ... cliente*. Querulum clientem vocat, quia apud patronum de egestate semper queritur, atque auxilium rogat.

5. *Antipolitani, etc.* Nec testa plena muriae, quae conficitur ex sanguine thynni, et ex urbe Antipoli mittitur optima. Antipolis, urbs maritima Galliae Narbonensis, *Antibe*, vel *Rogni*, ut refert Ortelius. — *Thynni*. Viles pisciculi sunt marini, atque capiuntur frequentes in freto Gaditano.

6. *Nec quae coctana, etc.* Nec testa coctanis plena. Coctana, genus parvarum ficuum ex Syria.

7. *Rugosarum*. Olivae contrahunt rugas vetustate. — *Vimen breve*. Sporta parvula viminea. Ed. P. — *Picenarum*. Olivae Picenae maxime laudabantur. Picenus ager est in Vmbria, hodie *la marca d'Ancona*.

8. *Dicere te posses*. Raderus hoc loco adducit Catullum, qui linteum a Fabullo sibi missum μνημόσυνον sodalis sui appellat, et existimat mittendis in muneribus hanc usitatam fuisse formulam, ut amicus amici memorem se diceret.

9. *Decipies alios*. Id est me non decipies.

10. *Dissimulator eris*. Ingratus. Est enim ingratus qui beneficium accepisse se negat, et qui dissimulat. — Alii sic explicant, *dissimulator eris*, quia simulas te non intelligere quid velim; munus enim ad te misi, ut vicissim munus ad me remitteres. Ergo vel non mittam ad te deinceps ullum donum, vel si quid misero, pretii levissimi illud erit.

90. — DE RVSTICATIONE.

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus :
Luce Deos oro ; famulos, post arva reviso,
Partibus atque meis iustos indico labores.
Inde lego, Phoebumque cio, Musamque lacesso.
Hinc oleo corpusque frico, mollique palaestra
Stringo libens, animo gaudens, ac foenore liber.
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, coeno, quiesco.
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi,

Hoc epigramma omnino Martiale indignum, ct quod in multis editionibus merito abest, loco tamen non moveo, quum iam saepe in lucem vulgatum publici iuris sit factum. — *Rure morans, etc.* Ordo est : rogatus (ab amico vel quovis alio) quid agam, dum rure moror, his paucis verbis respondeo. Ed. P.

2. *Luce* nascente, Id est, mane. Ed. P. — *Famulos, post arva.* Si *post* adverbium esse censebimus, hic erit sensus : Famulos reviso, deinde arva; sin autem praepositionem : Famulos reviso, postquam arva revisi. Prior sensus mihi placet magis ; et Poëtam puto primum famulis In domo sua suas quibusque partes distribuere, deinde egressurum, ut distribuat villicis. Ed. P.

3. *Partibus atque meis.* Non vocem *meis* refer ad vocem *partibus* ; sed sic intellige : et indico *meis* (famulis) labores *iustos partibus*, per hypallagen pro *iustis partibus* seu per iustas partes, quas ipse divido. Sic Virg. Aen. lib. I, vs. 511, de Didone : *Iura dabat legesque viris, operumque laborem Partibus aequabat iustis.* Sic Lucretia ancillis lanificia pensa partiebatur. — Sic intelligo : labores aequatos partior inter servos meos, qui sunt *partes*, id est, personae servientes in domo et in agris meis ; ut Horat. II, Serm. vii, 173 : « accedes opera agro nona Sabino. Ed. P.

4. *Cio.* Invoco ; sc. pango carmina.

5. *Oleo* Supra epigr. 8, v. 5, *nitidas* vocavit palaestras, quod oleo ungerentur, qui sese exercebant. Sic unctam et pinguem poëtae passim palaestram vocant. *Ramir.* — *Mollique palaestra stringo libens.* Vnctione laxatam cutem mox lucta adstringo, vel palaestrae pulvere, quem *haphe* vocat lib. VII, epigr. 67.

6. *Foenore liber.* Sic Horat. Epod. od. 2 : *Beatus ille qui procul negotiis, Vt prisca gens mortalium Paterna rura bobus exercet suis Solutus omni foenore !*

7. *Prandeo.* Non saepe quidem, attamen aliquando senes et pueri, immo et sani prandebant.

8. *Dum parvus, etc.* Donec mea lucernula exstincta fuerit, versibus meis perpoliendis curam do. Lychnum posuit pro lucerna, Virgilii et Ciceronis imitatione. Ille Aeneid. lib. I : *pendent lychni laquearibus aureis.* Gravius enim verbum est lychnus quam lucerna, quod notavit Fortunatianus scholasticae Rhetoricae lib. III. Vocabula autem *lychnus et olivum*

Quae prima quoque pagina peracta est.
Iam lector queriturque, deficitque;
Iam librarius, ohe! et ipse dicit:
Ohe! iam satis est, ohe! libelle.

agere potes prima pagina, in qua legenda mox satietas lectorem cepit. *Ramires.*

8. *Hoc et ipse* Omnes. *Iam librarius! ohe, et ipse dicit* legendum forte credit Heraldus, quod admisimus. — *Librarius, ohe, etc.* Qui libros transcribit. Hinc scriptor librarius: nam nomen est mobile, ut vocant grammatici. Attamen Horat. Art. Poët. 354: *scriptor si peccat idem librarius usque.* Librarii nomen pro quocumque scriptore usurparunt Antiqui. Eadem significatione ac gallice *greffier* comparet in l. si librarius 92, II de regul. iur. In re militari librarii dicuntur, qui rationes referebant, Vegetii lib. II, cap. 7. Verba Paterni ICti in leg. quibusdam ult. de iure immunit. *Librarii quoque, qui docere possint, et horreorum librarii, et librarii depositorum, et librarii caducarum*; ubi *librarii qui docere possint* intelligo peritos rationum referendarum, qui possint alios ad idem munus instituere. Harum rationum libros asservabant, qui capsarii dicebantur. *Ramiresius.* — *Ohe et ipse dicit.* Fessus scilicet scribendo, queritur de libri prolixitate, dicens *ōhe!* quod est exclamatio lassi et fastidientis, ad morandum aut cessandum abrupte hortantis. Vid. supra vers. 1. Ed. P.

9. *Ohe! iam satis est, ohe!* Prioris *ohe* syllaba prima producitur; et posterioris eadem corripitur. Ed. P.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER V.

I. — AD CAESAREM.

Hoc tibi, Palladiae seu collibus uteris Albae,
Caesar, et hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicae discunt responsa sorores,

Mittit librum ad Domitianum, tunc per Italiam vagantem, rogatque uti gratum accipiat, seu lecturus, seu neglecturus: dummodo accipiat Caesar, poëta se lectum fuisse simpliciter credet. Ed. P.

1. *Hoc tibi.* Hoc, quidquid id est libri, hunc qualemcunque librum mittimus tibi, o Caesar. — *Palladiae seu collibus.* In honorem Minervae quinquatria quotannis celebrabat Domitianus in monte Albano prope Romam, quem tanquam arcem elegeral. — *Palladiae.* Palladiam vocat per adulationem, quod Domitianus vellet Palladis filius haberi. Philostratus, lib. II: *Apollonius noverat quemdam fuisse in custodiam datum, quod publicis precibus non addidisset Domitianum, Palladis filium. Palladis enim filium se credi dicique voluit.* Quum Pallas virgo reputaretur, se virginis filium, Iosephi monitu, ut putatur, iactabat, quod penes filium virginis sciret futurum aeternum imperium. Hinc summa lege iussit inquiri in stirpem Iessaeam; quod ex Davidis stirpe diceretur is Imperator procreandus. Vid. Cardin. Baronius, ad A. C. 89; Domit. IX. *Rader.* Raderus notat a Martiale blandiente *Palladiam Albam* vocari, quod sciret Domitiano gratissimam. Nihil hic adulationis. *Palladia Alba*, ubi foci Palladii, Minervae signum fatale. Haec duo sacra plerumque coniungebantur. Vide Gronov. ad Stat. Papin. pag. 277.

2. *Et hinc Triviam.* A monte Albano prospiciebatur hinc Dianae templum Artemisium in nemore ad Ariciam, hodie *Rizza*, illinc vero Thetis, quam sumit pro mari.

3. *Seu tua veridicae.* Hoc est, sive et Antii, ubi sub imagine duarum sororum Fortuna colebatur. Germanas vero sorores dixisse videtur, quod una prospera, altera adversa sit. De

Plana suburbani qua cubat unda freti;
Seu placet Aeneae nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus, o rerum felix tutela, salusque!
Sospite quo gratum credimus esse Iovem.
Tu tantum accipias: ego te legisse putabo,
Et tumidus Galla credulitate fruar.

Fortunae templis fuse agit Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. I, cap. 13. Antium, hodie *Antio*, erat urbs in Tyrrheno litore, non procul Ostia, Volscorum olim caput. Eo. P. — *Tua responsa.* His verbis Domitiano adulatur Poëta; namque ostendit Fortunam a Domitiano velut a maiore deo discere responsa, quae ut oracula certissima populo renuntiaret, ut inferiores dii a superioribus adflari solent.

4. *Plana suburbani.* Mare enim alluit urbem Antium, atque ita illius suburbium esse videtur; et quum sit quietum, cubantis simile est.

5. *Aeneae nutrix.* Hoc est, Caieta, urbs maritima in finibus Latii versus Campaniam, et ad oram maris Tyrrheni, in provincia Terrae Laboris, ut vocant. Quidam putant hanc urbem ab Aeneae nutrice conditam. Alii deducunt a καίειν, *urere*, quod ibi classis Troiana fuit incensa. Hodie *Gaeta*. — *Seu filia Solis.* Sive degis in ea urbe quam Circe Solis et Perses filia, vel, ut putat Diodor. Aeetae et Hecates, condidit. Hanc Circeios vocabant: erat in ditione Volscorum, in ora Tyrrheni maris, et ad radices montis Circaei, *monte Circello*, in Latio; nunc est diruta, et in eius ruderibus est pagus *Santa Felicita* dictus. Eo. P.

6. *Salutiferis.* Propter Pontinam, vel alias paludes, in quas pronum est Anxur, ab Vfeoti fluvio non parva aquarum salubritate. Sic lib. X, epigramm. 51, vs. 6. — *Sive candidus Anxur.* Latii oppidum, hodie *Terracina*, cuius aquae sunt valde salutares: dicitur candidus vel a candore saxorum, vel a calce quae conficitur ex lapidibus inde petitis. Neutrius generis reperitur apud Horatium, I, sat. v: *Impositum late saxis candentibus Anxur.* Ita vocatur quasi ἄνευ ξυροῦ, *sine novacula*, quia ibi Iupiter imberbis colebatur.

7. *Mittimus*, o *rerum*. Hoc refertur ad primum distichum huius epigrammatis; unde intelligis, saepe sententiam apud poëtas in secundo, tertio vel quarto disticho absolvi, et nihil esse necesse singulis distichis singulas absolvi sententias, ut spect. lib. epigramm. 1. *Rader.*

8. *Gratum credimus.* Hoc est, memorem beneficii a te accepti: nam praeterquam templum Iovi condiderat, et multa delubra refecerat, bello Vitelliano Domitianus adhuc puer, una cum patruo Sabino, Capitolium pro viribus suis defenderat, et incensum tamen postea restituit. Suetonius in Domitiano, cap. 5.

9. *Accipias*, meliores: hoc admisl. Eo. P.

10. *Et tumidus falsa* codex Pulmanni et Beverlandi MS. — *Galla*

credulitate. Galli enim vera simplicitate boni sunt, atque hinc creduli. Strabo, lib. IV: Ἄλλως δὲ ἁπλοῦν καὶ οὐ κακόηθες, supple φῦλον Γαλλικόν· *Caeterum Gallica gens ingenio simplici, ac nulla malignitate devincto;* quorum indoles temporum lapsu nonnihil in diversum abiit. Ed. P.

2. — AD LECTORES.

Matronae, puerique, virginesque,
Vobis pagina nostra dedicatur.
Tu, quem nequitiae procaciores
Delectant nimium, salesque nudi,
Lascivos lege quatuor libellos;
Quintus cum Domino liber iocetur,
Quem Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropia legat puella.

Verecundum ait hunc libellum et castum, nempe Caesari inscriptum, cuius maiestas et reverentia excludat omnem verborum rerumque licentiam; quod et lib. VIII docet epigrammate *Ad suum librum,* quem ita affatur: *Laurigeros domini liber intrature penates, Disce verecundo sanctius ore loqui.*

5. *Quatuor libellos.* Praecedentes.

7. *Quem Germanicus.* Domitianus a devictis Germanis Germanici nomen assumpsit, quum ab eis tamen foedas clades accepisset. Hunc vero librum tam verecundum et castum esse dicit Poëta, ut ab Imperatore legi possit *coram Cecropia puella,* hoc est, coram Minerva, quae Athenis colebatur, quam et summo studio colebat Domitianus. Suetonius in Domitiano, cap. 4. Alii interpretantur virginem Palladi sacram, quae ritu Vestalium viveret, custodem aeterni ignis, in Palladis templo, ubi Palladium fuisse opinio est. *Rader.* Et Philomelam Raderus putat posse intelligi, quae ob pudicitiam temeratam, filium patri dedit epulandum: vel etiam quamvis Atticam mulierem, inter quas castitatis fama valebat.

3. — AD DOMITIANVM.

Accola iam nostrae Degis, Germanice, ripae,
A famulis Istri qui tibi venit aquis,

1. *Accola iam nostrae.* Hoc est, iam Tiberis accola; Romam enim venerat Degis accola sc. Danubii, qui nobis nunc subditus est. Danubius Imperii Romani limes erat in Germania: ita ut pars et ripa citerior, seu Romam versus posita, esset Romanorum; pars et ripa ulterior esset Germanorum. Ed. P.

2. *Istri.* Danubius maximus Ger-

Laetus et attonitus, viso modo praeside mundi,
Affatus comites dicitur esse suos:
Sors mea quam fratris melior! cui tam prope fas est
Cernere, tam longe quem colit ille Deum.

maniae fluvius, ut primum Illyricum attingit, Ister incipit appellari. Oritur in Suevia, et in Pontum Euxinum per sex septemve ostia prorumpit, postquam Germaniam alluit. Ed. P.

6. *Quem colit ille Deum.* Domitianus nempe.

4. — AD PAVLVM DE MYRTALE.

Foetere multo Myrtale solet vino;
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paule, videris contra,
Dicas licebit: Myrtale bibit laurum.

Myrtale. Nomen fictum, ut solet, quando res turpis exprobratur, nisi quum agitur de nomine quodam per infamiam et scelera vulgato, v. g. de Nerone eiusque satellitibus; nec ita pridem defunctorum nomina citat etiam. Ed. P.

2. *Fallat ut nos, etc.* Vt gravior lauri vis obruat vini odorem, vel ut in ebrietatem defendat. Laurus enim inimica Baccho, arcet ebrietatem. Athenaeus lib. IV Deipnos. Theophr.

3. *Cauta fronde, etc.* Qua cavet graveolentiam spiritus a vino.

4. *Hanc tu, etc.* Quoties itaque Myrtalem vino rubicundam et venas inflatam conspexeris, ne imputes Bacchn sed Apollini, noli illam ebriam dicere, sed vatem numine adflatam, epota lauro, non secus ac alii vates ἐνθουσιασμὸν procurant manducata lauro. Lycophr. Cass. δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Laurum tamen a mensis removebant Romani, quippe gravioris odoris. Coronas tantum lauri prima mensa *(au premirr service)* admittebant: deinde amovebant.

6. *Bibit laurum.* Vel non bibit vinum, sed meram laurum edit: vel non est ebriosa, sed vult fieri vates et laurum edit.

5. — AD SEXTVM.

Sexte, Palatinae cultor facunde Minervae,

Epigrammata mittit Sexto, qui Domitiano a secretis erat, et bibliothecae Palatinae curam habebat, quae poni copit inter alios epigrammatarios. *Rader.*

1. *Palatinae cultor.* Hic Sextus erat

Ingenio frueris qui propiore Dei;
Nam tibi nascentes Domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet;
Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.
Ad Capitolini caelestia carmina belli,
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Domitiano a sacrae religionis cultu, et a studiis ingenii, atque a consiliis secretioribus.

2. *Ingenio frueris, etc.* Versaris enim cum ipso Domitiano, et eius consilia, rationes, negotia, causas pernoscis et literis mandas. — *Deum* vocavit iam Domitianum supra epigramm 3. Eo. P.

5. *Sit locus, etc.* Dignare loco, repone libros meos in bibliotheca tua, vel Imperatoris, inter caeteros epigrammatarios, Catullum, Pedonem, Marsum.

7. *Ad (Et) Capitolini.* Puer adhuc Domitianus Capitolium cum patruo Sabino a Vitellianis defendit. Raderus non repugnat credere haec quae laudat Noster, *caelestia* carmina, a Tito aut Domitiano scripta esse; quibus forsan insertae laudes Iovis Capitolini; namque certabant vates de praemio in ludis quinquennalibus quae Iovi Capitolino agebantur, cuius numen carmine celebrabant. Vid. Quintil. Inst. lib. X, c. 1; et lib IV, prooem.

8. *Cothurnati Maronis.* Cothurnus genus fuit calceamenti Tragicorum proprium, de quo lib. III, epigr. 20. Itaque cothurnatum Maronem dicit, propter gravitatem heroici eius poëmatis. — *Pone*, hoc est, repone, et colloca.

6 — AD MVSAS: VEL LIBRVM COMMENDAT PARTHENIO.

Si non est grave, nec nimis molestum,
Musae, Parthenium rogate vestrum:
Sic te serior et beata quondam

Poëta Musas, Musae Parthenium vocant, ut Parthenius Caesari libellum porrigat, quum tempestivum erit; vel non porrigat, sed legat, tanquam nihil aliud agens, vidente Domitiano; qui quum sit studiosus literarum, statim poscet libellum. *Rader. Domit.*

2. *Parthenium.* Cultorem vestrum: Parthenius vero Domitiani cubiculo erat praepositus et gladii honore donatus, quo usus est contra Caesarem, conscius, immo socius et auctor eiusdem necis.

3. *Sic te serior.* Oratio Musarum ad Parthenium. — *Sic, etc.* Formula optantis, quasi, *Dii faxint, etc.* Vid. Brisson. Form. Item Graeci οὕτως. Eo. P.

Salvo Caesare finiat senectus,
Et sis invidia favente felix;
Sic Burrus cito sentiat parentem;
Admittas timidam brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulae.
Nosti tempora tu Iovis sereni,
Quum fulget placidus, suoque vultu,
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas:
Nunquam grandia nec molesta poscit,
Quae cedro decorata purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.
Nec porrexeris ista, sed teneto,
Sic tanquam nihil offeras agasque.
Si novi dominum novem sororum,

5. *Invidia favente.* Ita ut ipsa invidia cogatur tibi favere, et tuae famae ac felicitati parcere; sis maior invidia.

6. *Sic Burrus.* Parthenii filius indolis paternae det specimen, et intelligat quanto sit patre natus.

7. *Timidam*, etc. Hunc verecundum, nec longum epigrammatum libellum. Ed. P.

8. *Sanctioris aulae.* Hoc est, intromitte in conclave Caesaris, seu in intimam aulam, quam sanctam dicit, vel quod illic coleretur Minerva, vel quod Domitianus ipse vellet haberi Deus.

9. *Nosti tempora.* Macrob. Saturn. lib. 1, cap. 2: *Tentanti mihi, Postumiane, aditus tuos et mollissima fandi tempora.* — *Iovis sereni.* Caesaris Domitiani.

10. *Suoque vultu.* Vultus quidem Domitiani venustus erat, teste Suetonio in Domit. cap. 18.

11. *Nil supplicibus.* Initio enim omnes circa se largissime donis prosequutus est: sed postea avarissimus factus, omnia vi et dolo rapuit et praedatus est, undecunque potuit.

12. *Non est.* Non est quod metuas, o Partheni, et recuses hunc libellum offerre Caesari (inquiunt Musae); neque enim aliquid maioris muneris petit Martialis precibus molestis et improbis, dum libellum cedro decoratum offert.

13. *Nunquam grandia.* Nunquam mea charta meusque liber, cedro decoratus purpuraque tinctus, magnam vim pecuniae aut praedia impudenter petit.

15. *Crevit umbilicis.* Vmbilici erant ornamenta vel ex osse, vel ex ebore, quae extremis librorum partibus addebantur.

18. *Si novi.* Videtur hoc dicere Martialis; nam si Musae loqui pergerent, scripsisset pluraliter, nisi quis dicat unam pro caeteris loqui. — *Dominum novem sororum.* Domi-

Vltro purpureum petet libellum.

tianum intellige, qui, teste Suetonio in Domit. cap. 2, inprimis poëticae studium simulavit. Musas ergo colebat, immo ipsis imperabat, inquit Poëta adulator.

7. — AD VOLCANVM.

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Vna decem quoties saecula vixit avis;
Taliter exsuta est veterem nova Roma senectam,
Et sumpsit vultus praesidis ipsa sui.
Iam precor oblitus nostrae, Volcane, querelae
Parce: sumus Martis turba, sed et Veneris.
Parce, pater: sic Lemniacis lasciva catenis

1. *Qualiter Assyrios.* Vrbem incendiis et ruinis vastatam, a Domitiano vero instauratam, confert Poëta cum Phoenice, qui constructo in Assyria, regione Asiae prope Euphratem, rogo crematur, ut renovetur.

2. *Vna.* Duo tamen visi aliquando, pater, filius. Pierius, Hieroglyph. lib. XX; Philostratus lib. III: *aiunt tantum hanc avem unicam esse.* Hinc Oppianus: *Res mira sine semine, solo splendore Phoebi hanc avem procreari.* Et Lactantius: *Felix, quae Veneris foedera nulla colit. Ipsa sibi proles, suus est pater et suus heres: Nutrix ipsa sui, semper alumna sui.* Rader.

3. *Veterem senectam.* Ita iuventam renovant aquilae, et detracta pelle serpentes. Sed Romam tantum quidem restituit Domitianus, ut alibi Martialis *nunc Roma est, ante taberna fuit.* Et epigr. 2, lib. Spect. *Roma reddita sibi est.* Rader.

4. *Et sumpsit vultus.* Hoc est, Roma facta est venusta; vultus enim Domitiani venustus erat, ut diximus praecedenti epigrammate, vs. 9. Ed. Par.

5. *Oblitus nostrae.* Quae inter te et nos Martis posteros intercessit. Alii legunt *notae* melius meo iudicio; hoc est: Obliviscere querelam omnibus notam, quod scil. Venerem tuam uxorem compresserit Mars, a quo genus suum repetunt Romani. — Vel Parce nobis, Vulcane, et obliviscere nostras de te querelas, quum questi sumus te urbem incendio deformasse (Vulcanus est deus ignis). Si nobis iratus es, quod simus proles Martis adulteri, placatus esse velis quia sumus soboles Veneris ab Aenea.

6. Rescribendum hic esset *turma*, si *turba* semper de re abiecta et vili diceretur, quod quidam volunt; sed hic *turba*, τὸ πᾶν, seu potius τὸ ἅπαν significat. *Herald.*

7. *Parce, pater.* Vulcanum patrem appellat eo sensu, quo dei omnes patres hominum vocantur; etenim Vulcanus non est Romanorum pater, sed Mars. — *Sic Lemniacis.* In Lemno insula Aegei maris, hodie dicta

Ignoscat coniux, et patienter amet.

Stalimene, catenas fabricavit Vulcanus, quibus Martem cum Venere in adulterio deprehensum illigavit. Haec fabula satis nota. Sensus est: Venus iniuriae a te acceptae obliviscatur, teque quamvis claudum et deformem patientec amat.

8. Rutgersius legendum censet, et *sapienter amet*; ut notum id *Deprendi veto te, Lesbia, non, etc.* Gronovius exponit *patienter amet*, moderate amet, et ne laboret impatientis erga Martem, seu alios amatores.

8. — DE PHASIDE.

Edictum Domini, Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis rubens lacernis,
Et iactat tumido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere,

Phasidem libertum, ut fictum equitem, irridet Martialis hoc epigrammate; is enim quum legitimum equitis censum non haberet, lacernis purpureis volebat videri eques, et iactabundus in theatro laudabat legem Othonis, quam Domitianus restituerat; sed Lectius, cui ordinis theatralis cura erat demandata, iussit eum surgere.

1. *Edictum domini.* Domitiani. Suetonius in Domitiano, cap. 13: *Dominus et deus noster sic fieri iubet.* Domitianus ergo renovavit legem Rosciam, qua nulli in quatuordecim equitum subselliis sedere liceret, nisi illi qui haberet censum equestrem, quadraginta nempe sestertium millia. L. Roscius Otho antea hanc legem tulerat, anno V.C. 685, dum esset tribunus plebis.

3. *Et puros eques.* Scorsim a plebe ludos spectabant equites.

4. *Phasis.* Libertus, qui veste purpurea indutus erat, ut videretur eques. Lib. IV, epigr. 2. Legimus Romanos, quum spectaculis adessent, vestibus candidis, immo et nigris, hoc autem loco etiam rubris usos fuisse; unde colligere licet, nullam legem iussisse ut candida veste, quamvis solerent, uterentur. Augustus, teste Suetonio in Augusto, cap. 40, prohibuerat ne quis in foro circove nisi positis lacernis togatus consisteret; attamen diu non obtinuit.

5. Induebant lacernas purpureas, ut equites viderentur: Petrus Faber. Lacerna, quasi lacera, quod capitio minor sit, Sexto Pompeio. Hanc militum quoque fuisse constat. Propert. lib. IV: *Texitur in castris quanta lacerna tuis.* Erant et lacernae quibus uterentur Romani, quum spectaculis operam sedentariam praestarent: Martial. lib. XIV: *Amphitheatrales nos commendamur ad usus, Quum tegit algentes nostra lacerna togas.* Rad.

7. *Tandem ..... licet.* Haec verba sunt Phasidis gloriantis.

Nunc est reddita dignitas equestris;
Turba non premimur, nec inquinamur.
Haec, et talia dum refert supinus,
Illas purpureas et arrogantes
Iussit surgere Lectius lacernas.

8. *Nunc est reddita.* Hoc est, equitibus amissum bellis civilibus equestrem honorem tandem recuperare contigit.

9. *Inquinamur.* Quasi plebis sordidae commercio et vicinia contaminaretur eius vestis et dignitas mentita. Ed. P.

10. *Haec ..... supinus.* In cathedra vel subsellio molliter ac otiose in tergum porrectus, et quasi cubans; quod perspicue pingit impotentiam hominis. Ed. P.

11. *Illas purpureas.* Metonymia est; Id est, designator Lectius, qui bene noverat Phasidem, iussit illum lacernis purpureis indutum loco cedere, atque statim ad plebem transire.

9. — IN SYMMACHVM.

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatae.

Symmachus aetate Martialis, medicus, cuius mentio est lib. VI et VII. Quum ille Martialem aegrum viseret cum suis auditoribus, qui etiam Poëtae arteriae pulsum manu explorarent, ex attactu tot frigidarum, horridam illi febrem conciliarunt, morbumque non tam curarunt, quam crearunt. *Rader.*

1. *Languebam.* Nondum plane aeger eram, sed me tantum deficiebant vires.

2. *Venisti centum, etc.* Venisti, o medice, comitatus multis tuis discipulis (pro more visendi illius temporis), qui singuli longo ordine venam meam tangebant, vel potius arteriam explorabant; *Tâter le pouls.* — *Venisti centum.* Poëta irridet Symmachum quemdam medicum, qui cum suis discipulis illum invisit; quum vero omnes illius arteriam manu gelata exploravissent, frigidissimo illo attactu febrem contraxisse se dicit. — Non erant tunc temporis, ut hodie, nosocomia, ad recipiendos et curandos aegros idonea; aut si qua erant, perpauca, nec nostris ullo modo conferenda. Quum igitur auditores ista instructionis medicae commoditate carerent, cum magistro aegros passim invisere cogebantur. Vox *clinicus* quam lib. IX, epigramm. 94, notabimus, non eumdem sensum cum recentiori praebet: idem sonat ac *medicus ad lectum.*

3. *Me tetigere manus.* Non tantum, arbitror arteriae salientis pulsum explorarunt auditores; sed ut solebant antiqui medici, detexerunt corpus aegrotantis, ut noscerent habitum corporis, quali esset macie aut pin-

Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

guedine, quod erat magni momenti ad curandum. Si addamus has manus gelatas totum corpus attrectavisse, qua se dolere aeger quereretur; facile intelligemus his potius contraxisse febrem, nec uno brachii attactu. Ed. P. — *Aquilone gelatae.* Frigidissimae, tanquam Borea gelatae.

4. *Non habui febrem, etc.* Et latenti in me febris causae προηγουμένη, frigidus vester contactus adiecit extrinsecus προκαταρκτικὴν; ita plane accessit febris, in quam prius solum disponebar.

10. — AD REGVLVM, DE FAMA POETARVM.

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores,
Praeferat antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeii quaerimus umbram;
Sic laudant Catuli vilia templa senes.

Praesentia fastidiri, desiderari remota, et caeteris in rebus, et in poësi docet.

2. *Quod rarus.* Raro lector amat, laudatque scriptores coaevos: *Exstinctus amabitur idem;* Horat. Sat. I, 1.

5. *Sic veterem, etc.* Sic novis Domitiani ambulacris et porticibus pulcherrimis praeferimus porticum Pompeii, de qua lib. II, epigr. 9, vs. 11. — *Pompeii quaerimus.* De porticu Pompeii dictum lib. II, epigr. 14. Sensus est: Porticus atque ambulacra Domitiani, licet pulcherrima, nos ingrati spernimus, antiquam vero Pompeii porticum praeferimus. Lib. XI, epigramm. 48. — *Vmbram.* Sic eodem libro et epigrammate Porticum Pompeii, vocat *umbram Pompeiam.* — Nimirum quia ista porticus multis arboribus consita erat. Vide lib. II, epigr. 9, vs. 11. Ed. P.

6. *Sic laudant Catuli vilia (Iulia) templa.* Capitolium a Servio Tullio aedificari coeptum, a Tarquinio Superbo absolutum, post quadringentos admodum annos deflagravit. Lutatius Catulus Syllae temporibus a Sylla restauratum dedicavit; cuius *Lutatii Catuli nomen inter tanta Caesarum opera usque ad Vitellium mansit.* Tacitus, Histor. lib. III, *Iulia templa* dixit, quia, teste Dione, lib. XLIII, *Decretum, ut eraso Catuli nomine substitueretur Caesaris.* Quod decretum exsecutioni mandatum negat Tacitus, quum Lutatii Catuli nomen ad Vitellium usque permanserit. Lipsius existimat inscriptum quidem Capitolio Iulii Caesaris nomen, et Catuli nomen erasum quidem, sed in hominum memoria haesisse. Alii *Iulia templa* interpretantur basilicam Caesaris in foro Romano a senibus laudari prae templis novis a Domitiano exstructis. Alii vero *Iulia templa* intelligunt aedem Veneris a Iulio Caesare aedificatam. Tandem legunt alii

Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone;
Et sua riserunt saecula Maeonidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro;
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen, o nostri, ne festinate libelli;
Si post fata venit gloria, non propero.

vilia templa, nimirum prae Capitolio a Domitiano instaurato. Vide Suetonium in Iulio, cap. 15; Valerium Maximum, lib VI, cap. 9. — Grotius exponit *Catuli senes*, id est, illustres et nobiles Romani, at laudatores temporis acti, se puero, et censores minorum. Ed. P.

7. *Ennius*. Latinus poëta antiquus, cuius restant adhuc fragmenta. Natus est Rudiis quod est oppidum Calabriae: Scipionis Africani maioris aequalis fuit, eiusque res gestas scripsit ingenioso versu, at rudi et impolito. Ed. P. — *Ennius est lectus, etc.* Neglectum erat opus Maronis, dum ipse erat in vivis, praelato Ennio; sed hoc poëtice amplificat, ut de Homero et Ovidio.

8. *Maeonidem*, dicitur Homerus, quod secundum aliquos in Maeonia regione Asiae patriam habuerit. Verum Plutarchus in Homeri vita dicit Maeonem Lydorum regem loco filii educavisse Homerum, atque hunc inde Maeonidem fuisse dictum.

10 *Corinna*. Nomen fictum puellae ab Ovidio adamatae.

11. *Ne festinate*. Gloriam scilicet vobis debitam quaerere: si morte tantum emitur, nihil me urget, nondum vitae me poenitet; malim gloriam diutius exspectare.

12. *D'Orléans* legit *mox propero*.

II. — DE STELLA.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas,
Invenies: inde est haec, puto, culta manus.

Elegantissime laudat Stellam cui non satis est, ut plurimis trossulis, gemmarum (quarum facit enumerationem) nitore et pretio conspici; sed qui ingenio ornatissimo profert carmina gemmarum, i. e. leporum, plena. Vid. lib. I, epigr. 8, 1. Ed. P.

1. Athenaeus lib. III, pag. 94, contendit *maragdum*, ἀπὸ τοῦ μαρμαίρειν, *splendere*, scribendum esse, adducto Menandri loco.

3. *In carmine gemmas* Elegantiam atque ornamenta versuum appellat gemmas.

4. *Inde est*. Hoc est, manus Stellae non tam dicitur culta a gemmis, quam a versuum venustate et elegantia. Farnabius vero sic explicat: Gemmeis annulis ornatur, quod elegantias et lumina in carmine ponere sciat: et gemmas forte consequebatur ab iis, quorum laudes celebrabat.

12. — DE EODEM.

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Masthlion superbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis
Septem quod pueros levat, vel octo;
Res non difficilis mihi videtur:
Vno quum digito, vel hoc, vel illo,
Portet Stella meus decem puellas.

Venuste locatur in gemmas Stellas, quibus credo decem puellarum vel ora, vel nominum literae erant inscriptae. Alii, inquit, gravia cervicibus onera, alii humeris et brachiis septem octove pueros gestarunt: Stella uno digito portat decem puellas.

1. *Fronte perticata*, non *pertinaci*, Scriverius legit, atque hic interpretatur contum, seu perticam stupendae molis erectam, in area frontis gestatam a Masthlione.

2. *Masthlion* (*Masclion*), *Linus*. Viri duo maximis viribus praediti. — *Superbus*. Quum refertur ad mores, in malam partem sumitur; sed etiam translate ad corpus, et tunc significat *altus*, *procerus*. Rader.

3. *Aut grandis Linus*. Fuere Masthlion et Liuus agyrtae aut praestigiatores, cuiusmodi fuisse Athanatum et Fusium meminit Plin. lib. VII, c. 20. In magno pretio erant isti homines quo tempore robur corporis multum valebat.

6. *Vno quum digito*. Non puto alienum ita intelligere: Stella uno digito quovis portat, unde sibi habeat ad arbitrium decem puellas, muneribus plerasque faciles. Ed. P.

7. *Decem puellas*. Lepide iocatur poëta in gemmis quas digito gestabat Stella. Varia est huius loci interpretatio. Hoc est: quum Stella uno digito gestet decem annulos a puellis donatos, totidem nempe puellarum pignora, vel pretium decem puellarum, ut intelligit Domitius. Sed meo iudicio omnium optime Raderus intelligit decem annulos, in quorum singulis unius puellae effigies esset insculpta; vel unum tantum annulum gemma ornatum, in qua expressae viderentur decem puellarum imagines. Forte decem puellae erant novem Musarum effigies, et Hiantidis, uxoris Stellae, allusumque ad Pyrrhi gemmam, qua effingebatur Apollo cum novem Musis; de qua Mardobaeus sic canit: *Rex Pyrrhus digito gessisse refertur achatem, Cuius plena novem signabat pagina Musas, Et stans in medio citharam tangebat Apollo.*

13. — IN CALLISTRATVM.

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques;
Sed toto legor orbe frequens; et dicitur, Hic est;
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes;
Magnaque Niliacae servit tibi gleba Syenes;
Tondet et innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuque sumus: sed quod sum, non potes esse;

Se divitibus anteponit, quod divites multi et e populo vel sint, vel esse possint; poëtae rari numerentur.

1. *Callistrate.* Fuit is divitiarum amantissimus, quem irridet poëta. — *Pauper.* Attamen habebat in agro Nomentano fundum et villam, et rus suburbanum in Tibure. *Rader.*

2. *Nec male notus.* Ingenio nempe fuit clarus: attamen equestrem censum, quadringenta scilicet sestertium millia non possidebat; at ius sedendi inter equites fuerat illi concessum ex munere Caesaris Domitiani. De censu equestri clare Iuvenalis sat. 14, 324. Equester enim ordo tempore Domitiani foede contaminatus, quum pessimis artibus ad eum honorem pessimi quique et infames admitterentur. Quod Iuven. sat. 3, 153, deplorat: *Exeat*, inquit, *Cuius res legi non sufficit, et sedeant hic lenonum pueri, quocumque in fornice nati. Hic plaudat nitidi praeconis filius, inter Pinnirapi cultos iuvenes, iuvenesque lanistae: Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.* Libertini et mancipia, praecones, etc. modo illis res esset, XIV ordines occuparunt, eiectis iis qui equestri loco nati, propter defectum census et inopiam, tueri dignitatem non poterant. Hoc tamen intellige non omnes equites habuisse equum vel censum, vel ius annuli ferendi. *Rader.*

3. *Dicitur, hic est.* Digito monstror. Persius: *Pulchrum est dicier, Hic est.* Ed. P.

4. *Quodque cinis, etc.* Sic lib III, epigrammate 99: *Ore legor multo, notumque per oppida nomen Non expectato dat mihi fama rogo;* et Ovid. Trist. IV, eleg. 10: *Tu mihi quod rarum est, vivo sublime dedisti Nomen, ab exsequiis quod dare fama solet.*

6. *Libertinas.* Prope immensas interpretare, quales possederunt liberti locupletissimi Narcissus et Pallas, Claudio regnante, et Crispinus etiam quem exagitat Iuvenalis sat. 1. — *Arca flagellat.* Opes quae vix contineri possunt in arca qua quodammodo comprimuntur.

7. *Magnaque Niliacae.* Syene urbs Aegypti quondam nobilissima.

8. *Gallica Parma.* Vrbs Galliae Cisalpinae ad Padum, ubi lana optima.

9. *Hoc ego.* Ego quidem sum inops, at carminibus clarus; tu tantum dives. — *Non potes esse.* Non

Tu quod es, e populo quilibet esse potest.

intelligit Martialis Callistratum a paupertate posse esse semper immunem, sed nobilem poëtam illum evadere posse negat.

10. *E populo quilibet*. Ignarus enim et quilibet ex plebe, rem facere suam potest.

14. — DE NANNEIO.

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc quum liceret occupare, Nanneius;
Bis excitatus terque transtulit castra,
Et inter ipsas paene tertius sellas
Post Caiumque Luciumque consedit.
Illinc cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno.
Et hinc miser deiectus in viam transit,

Venustum sane et elegans epigramma et summo lepore tinctum. Nanneium scil. solitum ante Domitiani edictum sedere inter equites, et quidem in equestrium primo gradu, qui ad orchestram, ubi senatores; sed agnitum et pulsum aliquoties a designatore Lectio, transisse tandem ad summam caveam, et spectasse inter plebem et pullatos. *Rad.*

2. *Quum liceret*. Ante legem theatralem a Domitiano revocatam, qua plebs ab equite, eques a senatore secerneretur in theatro, primi advenientes subsellia prima occupabant.

3. *Transtulit castra*. A designatore *bis terque excitatus*, coactus est sellam suam in locum remotiorem ab equitum loco ad plebis sedilia transferre: et hoc facete dicit, *transferre castra*, ut sermone familiari dicimus, *décamper*. Sellas autem in theatrum inferre solebant Romani. Ed. P.

5. *Post Caium Luciumque*. Equites scil. Posuerat sellam suam Nanneius in ipsis forte gradibus, ex quo loco, licet tectus cucullo, et vix uno oculo ludos spectans, nihilominus agnitus a designatore fuit expulsus. De sellis in theatrum allatis Suetonius in Nerone cap. 26. Lipsius cap. 13, de amphitheatro dubitat, an sic intelligendus sit hic versus, an sellae sumendae pro subselliis graduum ipsorum.

7. *Oculoque uno*. An quia luscus, an quia ita sedebat, ut nonnisi oblique spectare posset? Credo quod altero tantum oculo prospiceret, cucullo obvolutus. — Sic posita inter duos equites *Caiumque, Luciumque*, pone tamen illos, tertium et medium quemdam locum obtinere videbatur. Ed. P.

8. *Deiectus in viam*. Vocabantur *viae* in spectaculis interstitia illa, tum quae inter ordines erant, tum quibus per proclivum descendebatur. Sic igitur plures vias constituo; circa balthea, scil. quae theatrum cingebant; et in popularibus per procli-

Subsellioque semifultus extremo,
Et male receptus altero genu, iactat
Equiti sedere, Lectioque se stare.

vum. Nam Romani illi maiorum gentium loca distincta habebant, et cardinibus obsepta, ne vulgus temere ingrederetur. At populi gradus non ita poterant occludi. *Herald.* — *Viam.* Interstitia quae in spectaculis inter ordines, inter cuneos, et circa balthea erant, non hic signantur. *Via* vero erat inter plebem et equites.

9. *Semifultus.* Semisedens et semistans. — *Extremo,* subsellio, inter equestria quae erant *viae* proxima.

10. *Iactat, etc.* Dimidia corporis parte sedebat Nanneius velut eques, altera vero stabat in via, quod plebeiis concedebatur, ut designatori Lectio obtemperaret, metuens ne et illinc expelleretur, ex quo Nanneii situ risum captat Martialis.

11. *Equiti sedere.* Equiti sedet, hoc est, velut eques. Interpretes omnes sic explicant. — *Lectio.* De hoc designatore vide epigr. 8, supra.

15. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Quintus nostrorum liber est, Auguste, iocorum,
Et queritur laesus carmine nemo meo.
Gaudet honorato sed multus nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur.
Quid tamen haec prosunt, quamvis venerantia multos?
Non prosint: sane me tamen ista iuvant.

Planum et apertum est hoc epigramma, quo multis vitam, hoc est, memoriam sempiternam se peperisse, et offendisse dicit neminem. Quod nec omnibus lectoribus certe probabitur. Eo. P.

2. *Et queritur laesus.* Hellenismus pro *queritur se laesum.* Vbi enim laudat aliquem, verum illius nomen ponit: at vero si improbos carpat, fictis nominibus plerumque utitur.

3. *Gaudet honorato.* Hoc est meis carminibus sempiternam nominis memoriam multis conciliavi.

5. *Quid tamen haec.* Versus mei nullum quidem mihi fructum afferunt, nec unquam attulerunt, sed tamen me delectant. Hoc idem repetit epigrammate sequenti.

16. — AD LECTOREM.

Seria quum possim, quod delectantia malim

Dicit ob studium lectoris cuiusque pronum in carmina delectantia, ipsum illa anteferre seriis; at talis amorem ludicri sibi magno constare, quum

Scribere, tu causa es, lector amice, mihi,
Qui legis, et tota cantas mea carmina Roma.
Sed nescis, quanti stet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa Tonantis,
Sollicitisque velim vendere verba reis;
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,
Et fiet vario sordidus aere sinus.
At nunc conviva est, comissatorque libellus,
Et tantum gratis pagina nostra placet.
Sed non hac Veteres contenti laude fuerunt,

nihil nisi verba laudatoria colligat, dum brevi tempore lites agendo causidicus ditescere posset. Ed. P.

4. *Sed nescis.* O lector, ut meis versibus captem tuam benevolentiam, ad inopiam redigor; sed aliis ex studiis, quae omitto, mercedem consequerer amplissimam. Ita aliis placeo, et circumferor quidem, dum mihi pereo.

5. *Nam si falciferi.* Hoc est, Si velim causas perorare in foro, iuxta quod Saturno falcem gerenti dicatum erat templum, teste Macrobio Saturn. lib. I, cap. 8. — *Defendere.* Id est, causas agere, quae iuvant aerarium. *Gronov.* — *Templa.* Id est, causas in templo dictas.

6. *Vendere, etc.* Locare linguam, et *voces prostituisse foro.*

7. *Plurimus, etc.* Mittentur mihi a clientibus quos defendi, cadi vini Hispani; nummo aereo implebitur sinus, etc. — *Metretas.* Metreta idem genus mensurae quod cadus; de Attico loquor. Caeterum μετρητής dicitur Graecis et Latinis *metretes*, masc. gen. ac LAT. *metreta*, fem. gen. De qua ingens inter auctores sacros et civiles disputatio, quantum *metretes* capiat. Et sciendum Syriacum metretem capaciorem Attico; Atticum Romano. Raderus putat capere 48 sextarios, alii sextarios 60, seu decem congios. Vid. Budaeus, de Asse, lib. V. Ed. P.

9. *Comissator.* Libri mei apti sunt tantum conviviis et comessationibus: vel tractant de symposiis, compotationibus, ludicris, etc. Est autem comessatio, vel comissatio, intempestivum convivium, praesertim nocturnum et quidem post coenam, quum non cibis tantum, sed et lasciviae indulgerent Veteres.

10. *Et tantum gratis.* Iuvenalis, sat. VII, 81: *Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?* Lib. XI, epigr. 4: *Nec sentit laudes sacculus iste meus.* — *Gratis placet.* Quia inde non ditesco; nec vivitur vanis laudibus et gloriae evanido fumo. Ergo *gratis* est sine pretio, quia nemo solvit mihi iocos et hilaritudinem.

11. *Sed non hac Veteres.* Amplissimis enim muneribus culti fuere poëtae quondam; ita ut singuli versus singulis aureis redimerentur. Vid. Iuv. sat. VII, in qua fuse agitur de sterili poëtarum arte. Sententia est veteres poëtas non exiguis fuisse contentos muneribus, ipsumque Virgi-

Quum minimum vati munus Alexis erat.
Belle, inquis, dixti: satis est: laudabimur usque.
Dissimulas? facies me, puto, causidicum.

lium pro minimo munere accepisse servulum, quum praeterea ex arte poëtica opes amplas consequeretur.

12. *Munus Alexis.* Puer eleganti forma Virgilio donatus a Maecenate, vel Pollione, de quo Virg. ecl. II.

13. *Belle, inquis, etc.* Acclamas mihi *Belle*, et laudas, quasi satis sit.

14 *Dissimulas?* Non vis intelligere, me aliud poscere praeter laudem? infr. epigr. 26. — *Facies me, etc.* Certe nihil largiendo coges me mutare studium, et foro servire, ubi seges ampla nummorum et omnis generis munerum; et clientibus quorum magis fructuosa existimatio mihi continget. Conf. lib. I. epigr. 77.

17. — IN GELLIAM.

Dum proavos, atavosque refers, et nomina magna;
Dum tibi noster eques sordida conditio est;
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo

Gellia saepe agitata a Poëta, ridetur iterum, quae ob maiorum imagines, et nobilitatem iactabunda negabat se nisi senatori nupturam; quum postea cuidam prope mendico nupserit. *Rad.*

2. *Dum tibi etc.* Dum sordet tibi maritus ex ordine equestri. — *Noster.* Romanus; vel quia equitis iura habebat Martialis. *Conditio.* Gallice, *un parti*. En. P. — Iuvenalis satira 6, 167: *Malo Venusinam, quam te, Cornelia, mater Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium, et numeras in dote triumphos. Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem..... et cum tota Carthagine migra.*

3. *Lato, Gellia, clavo.* Hoc est, viro senatorii ordinis, cuius insigne erat latus clavus. — *Clavo.* Variis enim figuris, qua rotundis, qua quadratis, Veterum luxuria lusit in vestibus auro purpurave illudendis: quae rotundae erant et in circulum flexae, *plumas* vocabant Latini, et etiam *clavos*, Graeci ἥλους, capita enim clavorum rotunda. Vnde et ἀσπιδίσκους Graeci etiam vocant; dixerunt et *oculos*. Hinc *vestes purpura oculare* apud Tertullianum. *Plumatae* ergo *vestes*, et *plumatiles*, et *plumata Babylonica*, quae pluribus notis ex auro purpurave, acu intextis, sparsa erant et variata: σημεῖα Graecis, Latinis *notae* et *signa*, haec vestium ποικίλματα; unde χρυσόσημος vestis, et πορφυρόσημος, aureis purpureisque notis insignita, ut contra ἄσημος, quae nihil vel auri vel purpurae intextum haberet. *Plumae* itaque erant notae ex auro vel purpura rotundae, et in modum plumarum factae, quibus, vestes intertexebantur ac variabantur. Sic *clavata vestis* dicebatur, quae unius formae clavos, aureos aut purpureos, suis locis insertos et insutos haberet: *picta*, quae diversis coloribus intexta esset,

Nubere: nupsisti, Gellia, cistifero.

ac varias rerum animaliumque formas acu expressas ostenderet. *Clavi* vero tam aurei quam purpurei, particulae erant ex auro vel purpura, nunc rotundae, nunc qnadratae, quae tanquam emblemata quaedam vestibus inserebantur atque insuebantur, quae etiam a veste poterant separari, et inde eximi, ut in aliam vestem transferrentur, et de novo consuerentur. *Tunicam* itaque *laticlaviam* aut *angusticlaviam* vocamus, quae pluribus latis clavis angustisve esset insignita. Qualitate clavi discernebantur equites a senatoribus. Tunicam isti habebant, cui consuti erant multi latiores clavi; equitum vero tunica clavos angustiores insutos habebat; hinc illa *laticlavia* dicebatur, hoc est, πλατύσημος· ista *angusticlavia*, στενόσημος: ψιχόσημον etiam veteres glossae interpretantur, quasi quae micas tantum purpurae, non clavos haberet. Accedebat et illa differentia, quod senatores et reliqui omnes, quibus laticlavi ius erat, non cingerentur, sed laticlaviam tunicam rectam pectore demitterent, cinctura minime strictam: inde accipienda illa Horatii: *Et latum demisit pectore clavum.* Equites autem super tunicam angusti clavi cingebantur. Vid. Quintilianus, lib. XI, cap. 3. *Salmasius.*

4. Beverlandus coniicit *caestifero*, i. e. pugili, qui flagellum fert, et in cuius caesto clavi erant ferrei. Virgilius: *Terga boum plumbo insuto, ferroque rigebant.* — *Nubere: nupsisti, etc.* Haec Gellia tumida ob nobilitatem, dum non vult nubere angusticlavio, nec ad senatorias nuptias pervenire potest; ut tamen non nisi laticlavio nubat, nupsit cistifero, hoc est, externae religionis sacrificulo, qui attamen et laticlavius erat, portabat enim Calasirin, lineum lato clavo ornatum. *Rubens.* — *Cistifero.* Turneb. lib. III, cap. 21, legit *cistigero*, quem pro contemptissimo et vilissimo homine poni existimat, abiectissimo Cybeles sacrificulo, qui ferebat cistulam, in qua religionis Isiacae erant arcana; nec Cybeles tantum, sed Bacchi, Isidis, Osiridis symbolum, praeterea Eleusiniorum sacrorum. Calderinus de Iudaeo intelligit, cui *cophinum foenumque supellex.* Dicebantur etiam senatores quidam *cistiferi*, qui cistas suffragiorum in comitiis custodirent, de quibus explicat argute hoc epigr. interpres Plinianus t. V. pag. 80.

18. — AD QVINTIANVM.

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappae,

Excusat non missa Saturnalibus munera, et eo se liberaliorem dicit Martialis, quod pauper nil donarit diviti, id est, nihil petiverit ab illo; sed multum donavit, qui aeternum victurum carmen misit, quo amicum fecit immortalem.

1. *Decembri mense.* In Saturnalibus lib. IV, epigr. 46, vs. 1. — *Volant mappae.* Vltro citroque inter amicos missae saturnalium tempore, quasque patronis tum mittebant clientes. — *Mappae.* Quid sint, et quo more usitatae, dictum lib. IV, epigramm. 89, vs. 4.

2. *Ligulae.* Lingulas Grammatici

Gracilesque ligulae, cereique, chartaeque,
Et acuta senibus testa cum damascenis,
Praeter libellos vernulas nihil misi;
Fortasse avarus videar, aut inhumanus.
Odi dolosas munerum et malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quintiane, liberalis est pauper.

dicunt; lib. XIV, epigr. 120: quam Gellius sic definit, lib. X, cap. 25: *Existimo lingulam Veteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguae factum.* Ligula vero in calceis a ligando deducitur. Ligula est etiam apud Plinium lib. XX, cap. 5, genus mensurae; hic autem puto sumendam esse pro gladiolo argenteo. Vid. et epigr. sq. vs. 11. — *Cereique, chartaeque.* Dona nimirum quae mitti solebant; lib. XIV, epigr. 10 et 11: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus; quia candelis pauperes, locupletes cereis utebantur.* Festus.

3. *Et acuta.* Vas testaceum intellige, plenum prunis Damascenis, quorum mentionem facit Plinius, lib. XIII, cap. 5. Damascus, vel Damascum, nobilis Syriae civitas: alii *Scham*; alii *Siam* a Turcis vocari affirmant. — *Testa.* Vase testaceo metae, seu turbinis formam habente. *Nunquam turbine conditus ruenti Prunorum globus*; Papin. — *Senibus damascenis.* Prunis rugosis, exsiccatis furno, sole, fumo, a Damasco Syriae urbe.

4. *Vernulas, etc.* Domi meae natos, vel procaces, dicaces, iocosos atque ut vernas.

5. *Forte avarus videor* legunt alii, probante Farnabio. — *Inhumanus.* Id est, humaniori vitae consortio alienus, rudis et impolitus. Ed. P.

6. *Odi dolosas munerum..... artes.* Astutiam illorum qui divitibus paucula mittunt, ut vicissim maioribus muneribus donentur. Ed. P.

8. Brodaeus legendum censet: *Avidum vorato decipi scarum musco*: id est alga: nam Athenaeus lib. VII: χαίρει δὲ τῶν φυκίων τροφῇ· διὸ καὶ τούτοις θηρεύεται· *Gaudet algis vesci, quare illis capitur.* — *Scarum.* Piscem.

10. *Liberalis est pauper.* Donando enim plus petere videtur, quam donum valeat; unde avaritia est, nedum liberalitas.

19. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Si qua fides veri, praeferri, maxime Caesar,

Κολακικόν est: mulget laudando Caesaris marsupium; et quiritando occulte petit, ut quod amici non praestant, praestet ipse Caesar.

1. *Si qua fides veri.* Immo si qua fides adulationis et mendacii turpissimi.

Temporibus possunt saecula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere Dei?
Pulchrior et maior quo sub duce Martia Roma?
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitium, sed non leve, sit licet unum,
Quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri fidoque sodali,
Aut quem prosequitur non alienus eques?
Saturnalitiae ligulam misisse selibrae,

3. *Magis dignos.* Immo indignos. — *Triumphos.* In spectaculis certe, non de hostibus, nisi falsos: ut de Dacis et Cattis victoribus magis quam victis. Vide Suetonium cap. 6, et Dionem. Videtur ergo, hic non tantum militares hos triumphos, sed ludorum et spectaculorum celebritates memorare.

4. *Quando Palatini.* Hoc est, Quando Iuno, Minerva, et Iupiter qui colebantur in Palatio, plus de nobis meriti sunt, quam tu, o Caesar? Alii aliter explicant: Quando maioribus culti fuerunt honoribus, quam nostro aevo? Summo quippe studio Minervam in Palatio colebat Domitianus: Capitolium defenderat et restauraverat: multis numinibus templa refecerat, aut nova aedificaverat. — Vel quandonam dei ipsi de nobis meruere melius, nisi quum Domitianum nobis dedere, quum eumdem nobis servant, et florentem rem publicam praestant? Eligat lector. Ed. P.

6. *Sub quo.* His verbis Domitiano blanditur poëta; nunquam enim minor fuerat libertas, quum nemini de republica sermones habere liceret.

8. *Colit.* Proprie. Corn. Tacit. Hist. lib. I: *Insignes amicitias iuvenis ambitiose coluerat.* Cultores inde designati. — *Ingratas.* Donis, beneficiis, officiis inopes: quasi diceret: Abutuntur divites clientum obsequiis, quae nullo munere compensant.

10. *Non alienus eques.* Triplex Romae fuit equitum ordo. Alii enim stirpe sua et censu erant equites, et quidem veri equites; alii qui equo stipendia mererent, atque opponebantur peditibus. Tertius denique equitum ordo sub Caesaribus primum natus, quibus honoris causa in quatuordecim gradibus sedere licebat, in quo numero fuit noster poëta: Lipsius in Amphiteatro cap 14. Hoc vero loco *non alienus eques* stirpe et censu eques. Sensus est: Veri equites neminem prosequuntur donis. Alii aliter. Eques non alienus, secundum Turnebum lib. IX, cap. 24, est ille quem dives aliquis censu equestri donatum equitem fecerit: hoc est, quem patronum deducit, quem regem comitatur eques factus liberalitate ipsius regis seu patroni. Ed. P.

11. Hic vulgo faciunt novum epigramma; sed recte notarunt Gruterus et Scriverius hanc partem et conclusionem esse prioris. *Gronov.* — *Saturnalitiae, etc.* Mensurae genus est *ligula:* videtur sumi ut epigr. sup. vs. 2, pro gladiolo argenteo, qui con-

Flammataeve togae scriptula tota decem,
Luxuria est, tumidique vocant haec munera reges.
Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu, Caesar, amicus.
Nulla ducis virtus dulcior esse potest.
Iamdudum tacito rides, Germanice, naso;
Vtile quod nobis do tibi consilium.

staret selibra argentea sane, ut in versu sequenti loquitur de toga, quae constaret decem scrupulis; interpretes tamen sumunt pro mensura. Vide supra epigr. 18. — *Selibrae*. Libra seu pondo dividebatur in uncias XII. Sextans sunt unciae duae; quadrans tres; triens, quatuor; quincunx, quinque; semis, seu selibra, sexunciae; septunx, septem; bes, octo; dodrans, novem; dextans, decem; deunx, undecim. Ed. P. — Iam, puto, legentium memoriae inhaerebit.

12. *Flammataeve*. Togam purpuream intelligit, a flammae ardentis similitudine, qua micat purpura. — *Scriptula* (*scrupula*) *decem*. Auri nempe; nam decem argenti scrupulis non emeris togam purpuream. Est autem scrupulum vigesima quarta pars unciae; in libra autem duodecim erant unciae. Libra argenti scrupulis constat ducentis octoginta octo. Agricola atque Philander in epitome eiusdem aestimant libram, 400 sestertium, selibram scrupulorum 144, et sestertium 200. Decem argenti scrupula plus minus quindecim sestertios efficiunt. De scrupulis iam dictum lib. IV, epigr. 89.

13 *Luxuria est*. Luxuriosae et nimiae largitionis videtur esse divitibus nostris. *Tumidique*, *etc*. Et divites patroni vocant haec magna munera.

14. *Qui crepet aureolos*, *etc*. Qui donet ultra unum nummum aureolum, et qui agitati sonent. — *Crepet*. Crepat enim quum numeratur, id est, sonat. — *Aureolos*. volunt plerique romanum aureum aestimatum fuisse 25 denariis, id est, franc. 21.

15. *Quatenus hi non sunt*. Quando tam sordidi et illiberales Romani, esto tu munificus, in exemplum: nam *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Claud. VIII, 300.

16. *Dulcior*, *etc*. Quam munificentia.

17. *Iamdudum adunco* lumina nostra in margine. — *Tacito rides*, *etc*. Suboluit tibi me hoc in rem meam consuluisse, ideoque subrides. — Irrides velut stultum et morionem; quis enim non petat Caesarem amicum in suum commodum. *Nasus* sedes irrisionis ut lib. I dictum est, et pro prudentia ponitur. Ed. P. — *Germanice*. Ex ficta Germanorum clade. Ed. P.

18. *Vtile quod nobis*. Quum suasoris sit finis utilitas eius cui suadet; Martialis contra consilium sibi utile, Domitiano vero, cui suadebat, onerosum dabat. Hunc fucum a Caesare animadversum, et se ab illo rideri fingit. *Scriverius*.

20. — AD IVLIVM MARTIALEM.

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus;
Si disponere tempus otiosum,
Et verae pariter vacare vitae;
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus, nec imagines superbas;
Sed gestatio, fabulae, libelli,
Campus, porticus, umbra, virgo, thermae;
Haec essent loca semper, hi labores.
Nunc vivit sibi neuter, heu! bonosque
Soles effugere atque abire sentit:
Qui nobis pereunt, et imputantur.

Iulium Martialem hortatur ad vitam beatam, id est, voluptuariam, ut non sinat abire bonos soles sine gaudio et delectatione.

4. Vera vita apud nostrum poëtam accipitur, pro eo tempore quo indulgemus voluptatibus honestis, ut iam dictum est supra.

7. *Imagines superbas.* Hoc est, non coleremus nobiles superbos, qui de longa stemmatum atque imaginum serie gloriantur. Res praeclare gestas imaginibus inscribere mos erat. Lib. II, epigr. 90: *Atriaque immodicis arctat imaginibus.*

8. *Gestatio.* Duplicem habet intellectum: primo sensu notat vectionem, quae lectica, sella, vehiculo, navi solita fieri; altero ipsum locum, in quo gestabantur. Fuit autem gestatio, valetudinis et voluptatis causa Veteribus comparata. Vide Celsum lib. II, de Re Med. cap. 15; qui in gravibus morbis hanc praedicat. Lib. I, epigr. 13, vs. 2. — Significat quoque deambulationem arboribus opacam atque amoenam.

9. *Virgo.* Aquam virginem intellige. — Hanc Agrippa deduxit Romam, vis Praenestina. *Virginis* habuit nomen, Plinio teste, quia Herculaneum, rivum propinquum, refugere videtur. Alias eiusdem cognomenti causas affert erudit. interpres Plinianus, lib. XXXI, cap. 3, n.° 25, tom. IV. Hoc cognomen alii Tiberio adscribunt.

11. *Bonosque.* Nempe ad vivendum hilariter. — *Soles.* Soles pro diebus dixit Horat. IV, Od. 5, 7: *Populo gratior it dies, Et soles melius nitent.* Virg. Eclog. IX, 51: *Saepe ego longos cantando puerum memini me condere soles.*

13. *Et imputantur.* Hoc est, Alius dies non redditur, pro eo quem inutiliter absumpsisti. Lib. X, epigr. 44: *Gaudia tu differs, at non et stamina differt Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.*

Quisquam vivere quum sciat, moratur?

14. *Quisquam vivere quum sciat.* Sic lib. I, epigr. 16. Sensus: vivere qnom possit. Horat. Art. Poët. 390: *Nescit* vox missa reverti. Sic ἐκίστασθαι Graecis.

21. — DE APOLLONIO.

Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrum,
Ante salutabat Rhetor Apollonius.
Nunc utrumque suo resalutat nomine: quantum
Cura, laborque potest! scripsit, et edidicit.

Ironicum est, plenum salis et leporis, et praecipuum huius loci acumen est in antithesi nominum. Irridet enim Apollonium rhetorem, cui tam infelix erat memoria, ut duo amicorum nomina retinere non posset, nisi scriberet et edisceret, velut orationem. *Rader.*

3. *Quantum cura.* Videtur alludere ad illud Virgilii: *labor omnia vincit Improbus.* Apollonius enim assiduo labore edidicit duo amicorum nomina, et retinuit tam diu ut posset eos salutare.

22. — IN PAVLLVM.

Mane domi nisi te volui, meruique videre,
Sint mihi, Paulle, tuae longius Exquiliae.

Cur Paullo non dicat *Ave*, excusat iter et absentiam Paulli. Paullus hic causidicus nobilis fuit, de quo saepe Martialis et Iuvenalis, sat. 7.

1. *Mane domi, etc.* Haud dubie vera lectio est: *nisi te volui meruique;* cuius sententia est, non quam ponit infra Raderus, verum haec: Et voluntas fuit mihi te mane salutandi, et tantum in id operae sumpsi, ut dignum esset eam non perire. Si sciens fallo, vel ulterius absis, et longe plus mihi operae sumendum sit. *Gronovius.* — *Mane domi, etc* Si tanti sit tibi officium meum ut te videre mereatur, amor quidem meus is est, ut ad te ire velim, etiamsi longius forent Exquiliae, ubi tu habitas; *nisi te volui meruique.* Vett. Edd. *nisi te merui, voluique*, hoc sensu: tam mihi carus es, ut si te modo merear videre, non recusem longissimum iter. Tu enim in Exquiliis, ego ad Pilam Tiburtinam habito. Sed es tanti, ut si vel longius illae forent, ad te sim venturus, modo domi reperiam. *Rad.* Sed Farnabius censet rescribendum *metui*: volebat amicum visere, sed metuebat, ne Paulus vel domi non esset, vel negaretur esse. Mihi etiam longius iter sit suscipiendum, nisi merear, et copiam te videre. Eligat lector.

2. *Exquiliae* vero locus erat urbis

Sed Tiburtinae sum proximus accola pilae;
  Qua videt antiquum rustica Flora Iovem.
Alta Suburrani vincenda est semita clivi,
  Et nunquam sicco sordida saxa gradu;
Vixque datur longas mulorum rumpere mandras;
  Quaeque trahi multo marmora fune vides.
Illud adhuc gravius, quod te post mille labores,
  Paule, negat lasso ianitor esse domi.
Exitus hic operis vani, togulaeque madentis,
  Vix tanti Paullum mane videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos;

valde distans a pila Tiburtina, ubi erat templum Florae, unde Capitolium vetus prospiciebatur. Marlianus lib. V, cap. 9 et 26. — *Sunt mihi* codex Pulmanni.

3. *Sed Tiburtinae, etc.* Sed ego habito ad pilam in via Tiburtina, lib. I, epigr. 118, vs. 6. *Pila*, id est, columna lapidea quaedam, prope viam et portam, quae ducebat ad Tibur, de qua epigr. 4, 57.

4. *Qua videt, etc.* Prope Florae deae rusticae et florum praesidis templum, atque vetus Capitolium Iovis. Templum enim Florae deae erat e regione domus Martialis. Vid. Ovid. Fastor lib. V.

5. *Alta Suburrani, etc.* Qua per Suburram ascenditur ad montem Exquilinum. Clivus enim *Suburranus* inter urbis Romae notiora. — *Suburra* vicus Romae celebris, qui a foro Romano ad forum Nervae protendebatur, usque in Esquilinum montem. Epigr. lib. II, 17, vs. 1. Haec via fere semper coenosa erat ob vicinum macellum. — *Vincenda.* Magno labore erependa et superanda. Ed. P.

7. *Rumpere mandras* Ovium, boum, mulorum septa et claustra mandrae proprie appellantur; hic vero mandra significat longam mulorum seriem et multitudinem. Iuven. sat. III, *stantis convicia mandrae.*

8. *Qaeque trahi, etc.* Ad fabricam excitandam attrahi machinis, trochleisque saxa vides. — *Fune vides.* Machinis vel plaustris.

11. *Madentis.* Nimbo, luto, sudore diffluenti ob longum iter et arduum.

12. *Vix tanti, etc.* Vix suscipiendus sit labor tantus, etiam si certum esset te domi tuae repertum iri. — *Vix tanti.* Vix suscipiendus esset tantus labor, etiamsi certus essem te domi futurum; quam ergo moleste feram post tot labores domi non reperire te, iudices velim.

13. *Semper inhumanos.* Conclusio gnomica: quo officiosior cliens, hoc inhumanior patronus. — *Officiosus.* Qui est officiosus, vulgo est homo forensibus officiis negotiisque deditus, quique adeo domi suae raro est, qui summo mane forum adit. Sic Horatius lib. I, epist. 7, vocat operam forensem et laborem *officiosam sedulitatem.* Et ibidem *redire ab officiis* ponit pro reverti a foro et dicendis

Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

causis. Paullus autem iste causidicus insignis erat, et valde negotiis intricatus. *Rader.*

14. *Rex, nisi.* Si cupis esse meus patronus seu dominus, dormi tantisper, donec salutatum te adveniam. His verbis innuit poëta Paullum summo mane exire, ut et ipse alios salutaret. Lib. II, epigr. 18.

23. — AD BASSVM.

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
  Iura theatralis dum siluere loci.
Quae postquam placidi censoris cura renasci
  Iussit, et Oceanum certior audit eques,
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
  Veste nites, et te sic dare verba putas.

Carpit Bassum, qui vestes colore non eximio tinctas induebat, dum omnes ordines promiscue sederent in theatris; qui autem restituta lege divisionis ordinum, ut eques videretur quamvis non censum haberet, lacernas purpureas et coccineas ostentabat. Ed. P.

1. *Herbarum fueras.* Vestes virides intelligit poëta: legem vero theatralem, qua equites a plebe in amphitheatro distincti sunt, revocavit Domitianus, quem benignum censorem vocat epigr. 8 et 14 supr. Viridis color vestium puerilis et femineus, ut ex Iuv. docet Lipsius, Elect. lib. I, cap. 13. Graecis χλωρὸς dicitur, latinis etiam galbeus et galbanus: inde galbani mores, id est, molles, feminei.

2. Ant. *de Rooy* conj *dum siluere fori.* Sic infra lib. VII, epigr. 63: *Iura fori.* An forte sub oculis habuit locum auctoris Elegiae de Morte Drusi, 185: *Iura silent, mutaeque iacent sine vindice leges: Aspicitur toto purpura nulla foro.* — *Iura theatralis.* Lex lata ab Othone Roscio tribuno plebis: supr. epigr. 8 et 14.

3. *Quae postquam.* Postquam Domitianus Imper. assumpta censura revocavit hanc legem. — *Placidi censoris.* Domitianus enim octavo consulatu censuram sibi perpetuam decerni iusserat, ut scribit Suet. Vnde iudex morum a Iuven. ironice appellatur. Dio scribit caeteros imperatores suis temporibus ab hoc magistratu abstinuisse. Causam addit, quia absque nomine τὸ ἔργον τε τιμητείας εἶχον. *Herald.*

4. *Oceanum.* Dasignatorem, de quo lib. III, epigr. 95, 10.

5. *Cocco, murice.* Purpurea; piscis muricis sanguine, seu flore, quem ore habet moriensque expuit, tincta; vel cocco, quod est granum ex frutice vel gramine rubenti natum. Plin. XVI, 12.

6. *Veste nites.* Vt videaris verus eques. — *Sic dare verba putas.* Dare verba est dare nil nisi verba, quum aliquid alicui promittitur, illum de-

Quadringentorum nullae sunt, Basse, lacernae;
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

cipera verbis. Vsurpatur pro *decipere* sensu omnino patanti. Eo. P.

7. *Quadringentorum.* Quamvis vestibus purpureis sis indutus, illae tamen non aestimantur quadringentis millibus sestertium, quae censum equestrem constituebant. Lib. IV, epigr. 67.

8. *Aut meus.* Licet enim pauperrimus, ut vidimus lib. II, epigr. 57, lacernam tamen coccineam posset sibi comparare.

24. — DE HERMETE.

Hermes Martia saeculi voluptas;
Hermes omnibus eruditus armis;
Hermes et gladiator, et magister;
Hermes turba sui tremorque ludi;
Hermes, quem timet Helius, sed unum;
Hermes, cui cadit Advolans, sed uni;
Hermes vincere, nec ferire doctus;
Hermes supposititius sibi ipsi;

Variis praeconiis Hermetem gladiatorem, in omni genere armorum principem laudat. Et vere ter maximum, ut Hermetem Trismegistum in philosophia, sic Hermetem huuc in ludo gladiatorio praedicat. *Rad.*

1. *Martia, etc.* Aavi huius et Romae Martiae, deliciae et gloria, propter eruditionam in omni genere armorum, ut mos.

2. *Armis.* Vid. quaenam fuerint arma gladistorum in postremis notis huius epigr.

3. *Et gladiator.* Is nempe est qui in arena spectante populo pugnat. Magister veru gladiatorum Lanista dicitur, qui toti familiaa praeest, illamque docet artem gladiatoriam.

4. *Tremorque ludi.* Quem arma gerentem reformidat omnis gladiatorum familia. Porro erant variae gladiatorum familiae, certis quibusdam distinctae coloribus et insignibus, quae studium populi accendebant. Vid. Iuven. sat. XI fin. Eo. P.

5. *Quem timet Helius.* Gladiator proximus ab Hermete.

6. *Advolans.* Alter gladiator nobilis, qui *uni* succumbit Hermati.

7. *Nec ferire.* Sic enim adversarium implicabat, ut sine ictu illum vinceret, vel qui victo adversario parcebat.

8. *Supposititius sibi ipsi.* Pugnando non defatigatus, sed perinde ac recens gladiatoribus novis congreditur, nec indiget ut sibi alius sufficiatur; vid. Lips. Saturnal. Gladiatores enim supposititii erant, qui fessis et victis gladiatoribus sufficiebantur, qui cum victore contenderent, quos et *subdititios*, graeci ἐφέδρους nominabant:

Hermes divitiae locariorum;
Hermes cura, laborque ludiarum;
Hermes belligera superbus hasta;
Hermes aequoreo minax tridente;
Hermes casside languida timendus;
Hermes gloria Martis universi:

substituebatur autem unus, alter, etiam tertius gladiator, sorte tamen, non ullius arbitrio. *Rader.*

9. *Divitiae locariorum.* Pauperes qui loca commoda in spectaculis a se occupata, et subsellia divitibus tarde venientibus locarent, locarii dicebantur. Eo. P. — *Divitias locariorum.* Vnde quaestum faciant qui loca populo in spectaculis designant locantque. Et iam *lucar* dictum, quod prius *locar*: aes nimirum ea locis sive sedibus theatralibus collectum.

10. *Laborque ludiarum.* Vxores vel amicae gladiatorum ludiae dicebantur, quae omnes Hermetem amabant, eumque salvum anxie cupiebant. — *Ludiae*, sunt etiam mulieres, quae artem histrionicam exercent, quae mimos et alias id genus fabulas, ac spectacula exhibent, in iisque faciunt quaestum.

11. *Superbus hasta.* Samnites ante pugnam vibrabant hastas, quos aemulabatur Hermes, atque ut plausum populi captaret, in praelusione hastam mirifice vibrabat.

12. *Aequoreo minax.* Retiarius nimirum, qui adversus Myrmillonem reti et tridente utebatur. Iuvenalis sat. VIII: *Movet ecce tridentem Postquam vibrata pendentia retia dextra Nequiquam effudit.* Armaturam retiarii expressam vide apud Lipsium, lib. II Sat. cap. 8. Erant insignia duo genera gladiatorum, nempe Retiarius et Myrmillo. Retiarius gestabat rete ac tridentem; Myrmillo galeam cuius in apice piscis ex aere visebatur, et ensem recurvum. Conabatur Retiarius implicare reti caput Myrmillonis, et eum suo tridente confodere. Vide Iuvenal. satir. II, 143. Eo. P.

13. *Hermes casside.* Hunc versum explicat Lipsius Sat. lib. II, cap. 12. Martialem, *inquit*, de Andabata interpreter, ubi Hermetem gladiatorem attollit, et variis armis pugnacem facit: quid enim aliud sit languida illa cassis, quam haec quae tenebras et languidam caliginem inducit, qua nempe tegebantur Andabatae, qui caecorum more pugnabant? Sic Lipsius. — Andabatae pugnabant ex equis, unde dicti ἀναβάται, id est, ascensores, et litera *d* in latina voce interiecta, Andabatae et inde titubanti et incerto gradu huc illuc temere ibant, dum galea etiam nutaret ob vacillationem corporis. Forte Hermes per audacem iactantiam casidem male firmabat. Eo.P. Sed forte intelligit poëta Hermetem fuisse etiam egregium Myrmillonem. In Myrmillonis galea pictus erat piscis; unde quum Retiarius esset vibraturus retia, aiebat: *Non te peto, piscem peto.* Hunc autem versum ita explico, nempe Hermetem fuisse tremendum, licet galea eius esset remissa et veluti neglecta, id est, *languida*, quum ageret partes Myrmillonis. Ergo erat minax quum moveret hastam, quum esset

Hermes omnia solus, et ter unus.

Retiarius, et aliquando Myrmillo. Itaque solus obibat officia trium gladiatorum. Hinc liquet sensus ultimi versus.

15. *Omnia solus, etc* Colligit quae dixerat de Hermete, versibus 1, 4, 5, 7, 10, 11, 12, et potest allusisse ad Hermetem Trismegistum, cuius summam scientiam in philosophia, aequat huius peritiae in arena.

25. — DE CHAERESTRATO.

Quadringenta tibi non sunt, Chaerestrate, surge;
Lectius ecce venit: sta, fuge, curre, late.
Ecquis, io, revocat, discedentemque reducit?
Ecquis, io, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famaeque damus, populisque loquendum?
Quis Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo

Queritur poëta, equites quamvis equitum satu vero priscoque editos, ob egestatem tamen pelli gradu in spectaculis, nec a quoquam iuvari; quum tamen divites tale sibi nomen comparare possent. Sed plus equum quam equitem amant. *Rader*.

1. *Quadringenta*. Census nempe equestris.

2. *Sta, fuge, surge, tace* codex Florent. — *Lectius ecce venit*. Designator, qui excitabat et eiiciebat equites censu carentes ex XIV gradibus, id est, equestri loco. Est ergo vox amici admonentis, ut sponte abeat, ne cum rubore postea, iubente Lectio, cogatur abire. — *Sta, fuge, etc.* Verba designatoria excitantis Chaerestratum ex 14 gradibus, vel amici monentis, vel poëtae. *Sta*. Quaeritur, num licuerit non equiti, in equestribus tamen stare, sic ut gradum non occuparet? vide supra epigr. 14. Sed credo intra gradus nec stare quidem licuisse, alioqui non adderet poëta, *fuge, curre*; et addit *late*, id est, inter populum, ne Lectius deprehensum inter equites, latentem protrahat. *Rad.*

3. *Ecquis*. Ecquis, inquit poëta, tam honoris et immortalis nominis amans, ut bonum virum Chaerestratum liberalitate sua donatum, in equitis honore servatum malit, quam maiores sumptus effundere in res inanes? — *Io*. Vox haec varium habet usum, frequentissime gestientis est, ut *Io triumphe*: alias irridentis, alias dolentis. Hoc loco vocantis videtur, vel plausum captantis, quasi dicat: Quisnam cum laude et applausu omnium vult hunc Chaerestratum servatum?

5. *Quem chartis famaeque*. Eos enim a poëtis immortali carmine celebratum iri dicit.

6. *Quis Stygios*. Quis omni ex parte perire non vult, sed liberalitate nomen suum immortalitati mandari cupit?

7. *Hoc rogo*. Sensus est: Nonne

Spargere, et effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubique micet?
O frustra locuples, o dissimulator amici,
Haec legis et laudas? quae tibi fama perit?

praestaret pecunia famam emere, quam maximas impensas facere in haec futilia? — *Rubro, etc.* Aspersiones odoratas croceas e tubis occultis instar roris tenuissimi, eiaculatas in amphitheatro. Nec ea siphunculis tantum, sed ex statuis etiam liquor effusus. Ex theatris, amphitheatris circis sparsiones tandem in triclinia translatae. Auctor Suetonius in Ner. cap. 31. — *Pulpita.* Hoc proprie de theatris dictum, in quibus scenae et pulpita.

9. *Non sensuro, etc.* Statuas equorum atque aurigarum: lib. IV, epigr. 67. Vt enim ἆθλος est certamen; τὸ ἆθλον praemium certaminis: sic ad hoc exemplum, quum missus equorum sit certamen; et *missum* vel *missarium* de praemio missibus proposito dictum. A praemiis *milliarii* dicti agitatores, ut et equi *ducenarii* et *centenarii*, qui ducenta et centum sestertia merebant. Ab eadem ratione *ducenarii* procuratores, a ducenis sestertiis. Sic non ducenta tantum sestertia, sed quadringenta equis dabantur. Legitimum praemium quinque aurei. *Salmas.* — *Non sensuro.* Caballus enim fictus non sentit.

11. *O frustra locuples.* Qui divitiis uti nescis, meaeque paupertatis notitiam dissimulas. Legimus nos et alii: *O dissimulator amici.* Vid. epigr. 4, vs. 89, et supra epigr. 20.

12. *Haec legis, etc.* Probe haec et vere a me moneri fateris, et tamen famae huius et immortalitatis rationem inire non vis? Epigram. supra citatu vs. 9.

26. — AD CODRVM.

Quod Alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliqua quum iocarer in charta;

Fingit antehac offensum Codrum, atque reponendi convicii facit copiam. Nam, ut putat Raderus, hac mutua appellatione ambo pares erimus: sicut te ego primum mendicorum, ita me tu postremum divitum appellabis.

1. *Quod Alpha.* Irridet Codrum, quem lib. II, epigr. 57, dixerat alpha penulatorum, hoc est mendicorum primum *Alpha* notum est quid valeat ex proverbio, *Beta* hoc loco non accipio pro secundo, nihil enim nervi haberet carmen, sed pro uno ex vulgo togatorum, atque adeo postremo. Postremi enim divitum et primi mendicorum admodum affines sunt et cognati, sicut extrema aestas et primus autumnus, adulta hiems et primum ver. *Rader.* His non prorsus adstipulamur. Ed. P.

Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit Beta me togatorum.

4. *Dicas licebit.* Vt pares simus, iam me voca Beta togatorum, hoc est, secundum inter egenos qui togam ferebant. — Iocus est quaesitus a ratione numerandi per literas. Alii alium dant sensum: Te *Alpha* vocavi penulatorum, id est, mendicorum, qui penulam induebantur. At quum toga esset populi universi vestis, petit poëta ut *Beta*, sive secundus huius tantae multitudinis, in qua plurimi certe insignes viri, nuncupetur, nec sibi locum indignum quaerit. Hunc putamus esse germanum sensum. Ed. P.

27. — IN PICTVM EQVITEM.

Ingenium, studiumque tibi, moresque, genusque
Sunt equitis, fateor: caetera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Vt sedeas viso pallidus Oceano.

2. *Sunt equitis, fateor.* Hoc per ironiam concedit Martialis. Horatius eodem plane sensu, lib. I, epist. 1, 57: *Si quadringentis sex septem millia desunt, Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque, Plebs eris:* Δῆμος ἔσῃ, id est: quantumvis animi dotibus, morum integritate, eloquentia et fide excellas, tamen si sex vel septem millia sestertiorum de quadringentis millibus tibi desunt; si summam census equestris integram non habes, Plebeius eris; in XIV ordinibus non sedebis; sic voluit et sanxit lex Roscia. Ed. P. — *Caetera plebis habes.* Hoc est, non habes censum equestrem. Quapropter etsi vim ingenii habeas, quantum sufficit equiti, studium rerum non futilium, mores ingenuos, et insuper quidem natus sis patre equite, tamen designator inexorabilis te suscitabit quatuordecim gradibus.

3. *Bis septena.* Non aestimas tanti quatuordecim subsellia, ut paupertatis conscius in iis sedere audeas viso Oceano designatore, de quo lib. III, epigr. 95, et quatuordecim gradibus fuse dictum epigr. 8 et 14 supr. — *Bis septena, etc.* Non igitur adeo delectaris sede equestri intra quatuordecim gradus, ut opus habeas timere designatorem.

4. *Viso pallidus Oceano.* Pallidus metu ne Oceanus designator ipsum eiiciat quatuordecim subselliis, et cum plebe releget.

28. — AD AVLVM, DE MAMERCO.

Vt bene loquatur, sentiatque Mamercus,

1. *Sentiatque.* A persona Mamerci cuiusdam maledici occasionem captat laudandi nobiles Romanorum familias, quarum cuique propriam quandam virtutem tribuit Poëta.

Efficere nullis, Aule, moribus possis;
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Rusones,
Probitate Macros, aequitate Mauricos,
Oratione Regulos, iocis Paullos;
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas;
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

2. *Aule.* Lib IX, epigr. 72. — *Nullis*; ne integerrimis quidem et optimis: id est, licet moribus sis castissimis, de te tamen detrahet Mamercus: adeo invidiae furore laborat, ut locum, quem mordeat, semper inveniat.

3. *Fratres Curtios.* Alii *Curios*, sed repugnat metro, nam syllaba prima semper est brevis. Iuven. sat. II, 3: *Qui Curios simulant.* — Curtios Montanos circa illa tempora fuisse pietate insignes constat ex Tacito et aliis. Nonnulli volunt respici ad M. Curtii celebre facinus qui armatus insiluit in hiatum terrae, quum dii monuissent non alio modo esse claudendum. Alter Curtius videretur qui se devovit hostibus mactandum, ut victoria penes Romanos esset. Qui quidem si non fratres sanguine, fratres saltem animi constantia et pietate in patriam. Ed. P.

4. *Quiete Nervas.* Intelligi credo de Nerva, qui successit Domitiano. Namque is, teste Xiphilino, quietus et mitis.

6. *Oratione.* Eloquentia. — *Regulos.* Atil. Regulum insinuat, vel potius quem saepe supra.

7. *Rubiginosis, etc.* Theoninis et lividia, id est, maledicentis.

8. *Hominem malignum.* Nam is vere malignus, qui supra describitur; nempe, qui nec bene sentire, nec bene loqui de quoquam potest; et qui omnia perperam interpretatur. Livor etiam et obtrectatio, malignitatis asseclae sunt. *Herald.*

9 *Ego miserum.* Vere miser, cui nihil placet; cruciatur enim semper, et semper irascitur; amat nullum, omnes odit, omnibus invisus.

29. — AD GELLIAM.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.

Obliqua petit Gelliam malignitate, et urbane innuit immedicabilem eius deformitatem. Ed.P.

2. *Formosus septem, etc.* Ex opinione vulgi, cui persuasum pulchros eos in dies sequentes fore, qui leporinam edissent carnem. Plin. lib. XXVIII, cap. 79. Eius verba: *Sumpto in cibis lepore, vulgus gratiam corpori in septem dies fieri arbitratur, frivolo*

Si non derides, si verum, lux mea, narras,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

quidem ioco, cui tamen aliqua debeat subesse causa, in tanta persuasione; causam ipse non affert. Non desunt, inquit Erasmus, qui hanc vulgi opinionem inde ortam suspicentur, quod homines *lepidos* et sermonis *leporem* latine dicamus, atque adeo lepus et lepor aliquo pacto inter se conveniant. Eo. P. — Et Lamprid. in Alex. Severo, explicat quis sit usus leporis mulieribus.

3. *Lux mea narras.* Amica, deliciae, suavium meum, φίλον seu ἱερὸν φῶς. Hom. Il. XVI, γλυκερὸν φάος. Propertio frequens.

4. *Edisti nunquam, etc.* Tu enim nunquam formosa videris: manduca igitur leporem quam citissime.

30. — AD VARRONEM.

Varro, Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra;
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut Elegia comis.

Varronem modestissime hortatur ad lectionem suorum Epigrammatum in Saturnalibus.

1. *Varro.* Nec Menippaeus, nec Atacinus hic Varro; sed ignotus posteris, notus tantum domi et suis, nisi quod a Martiale illustratus, vivit hodie aliena, non sua Musa redivivus. — *Sophocleo.* Laos Varronis, quem excellentem Tragicum appellat; nam princeps in eo genere Sophocles. — *Cothurno.* Vide supra, Epigr. 5, 8: « Grande *cothurnati* pone Maronis opus, » et lib. III, epigr. 20, 7; « At in *cothurnis* horridus *Sophocleis.* » Virgil. Ecl. VIII, 10; « Sola *Sophocleo* tua carmina digna *cothurno;* de Asinio Pollione, suo patrono, tragoediarum et historiarum scriptore altisono. Ed. Par.

2. *In Calabra.* Per Calabram lyram alii intelligunt versus lyricos, quorum princeps Horatius Venusinus, Calabriae vicinus, ut ipse testatur II, Sat. 1: *Lucanus, an Appulus anceps.* Alii vero intelligunt versus heroicos, quibus floruit Ennius Calaber, natus quippe Aletii, hodie *Lecci;* alii volunt Rudiis, in Calabria. Iudicet lector.

3. *Differ opus.* Operosa carmina per istas Saturnalitias ferias paulisper intermitte: leviora et iocosa lege. Eo. P. — *Scena.* Nomen scenae dramati convenit. Est scena proprie umbraculum, seu ornamentum theatri; pro ipsa tragoedia sumitur. Eo. P. — *Scena Catulli.* Mimos forte intelligit a Catullo scriptos. Iuven. Sat. VIII, 186; *Clamosum ageres ut phasma Catulli.* Hoc est, fabulam dictam phasma, id est, spectrum, a Catullo mimographo scriptam. Raderus interpretatur suavitatem versuum Catulli, et amoenitatem, quae omnes etiam scenarum voluptates superet.

4. *Cultis aut elegia.* Stylum cultum requirit elegia. Hinc cultus Tibullus

Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quae tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

dicitur. — *Elegia*. Carmen vulgo lugubre, constans alternis vicibus hexametro et pentametro versu.

5. *Fumoso*. Calet enim hic mensis foco; et inde fumus. — *Non aspernanda... Carmina, etc*. Mea haec. — *Decembri*. Laeto Saturnalibus et libertate Decembri; proinde iocis his meis apto.

6. *Quae tibi mense suo*. Haec nempe epigrammata laeto Decembri conveniunt, quo aguntur Saturnalia.

8. *Saturnalitias*. Nisi mavis de more ludere talis et perdere nuces. Sic maxime deprimit se Martialis, qui suorum versuum lectioni etiam praeferendas nugas censere videtur; aut potius ipsos nugatores carpit.

31. — DE LVDO PVERORVM CVM IVVENCIS.

Aspice, quam placidis insultet turba iuvencis:
Et sua quam facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet summis; vagus ille per armos
Currit, et in toto ventilat arma bove.
At feritas immota riget: non esset arena

Descriptio valde poëtica puerorum iuvencis insidentium, et per omnia horum membra temere et impavide discurrentium, paulo ante certamen animalium. Ed. P.

1. *Placidis, etc*. Quam intrepide in spectaculis, pueri desultoria quadam arte discurrant inambulentque per terga boum ludibundi et velitantes. Vox *placidis* non potest nisi ad tauros referri. — *Turba*. Puerorum.

2. *Et sua*. Et hinc patet cicuratos fuisse. — *Pondera, etc*. Et quam patienter submittant se percurrentibus pueris boves. *Pondera*. Puerorum.

4. *Et in toto*. Hoc est, vibrat tela ex omnibus taurorum partibus. — *Ventilat*. Ventilare dicebantur gladiatores, quum ante pugnam suos quassabant gladios, et praeludebant certamini. Ed. P.

5. Ant. de *Rooy* conj. *Vt feritas immota riget!* cum admirationis nota, ut apud Terent. Eun. II, 2, 43: *Vt falsus animi est!* Sed particulam *at* haud ineleganter nonnunquam in admiratione adhibitam videmus. Idem Ant. conj. etiam, *At cervix immota riget*, hoc est, intenta, erecta stat, ne devolvantur inhaerentes. — *At feritas*. Illi quippe tauri vel certe defatigati, vel potius erant cicures. — *Feritas immota, etc*. Tauri dudum feroces stant immoti, et pueris ubi vestigia sistant, unde batuant, praebent terga sua pavimentum firmum ac solidum magis quam *planam arenam*.

Tutior, et poterant fallere plana magis.
Nec trepidant gestus; sed de discrimine palmae
Securus puer est, sollicitumque pecus.

7. *Nec trepidant gestus* codd. Pulmanni, Thuan. et Florent. quasi diceret, pecus magis est sollicitum pro homine, quam homo de se ipso; pueri non timent, et timet pecus: pueri certi sunt de victoria, ferae timent, ne impediant victoriam. — *Nec trepidant gestus (gressus)*. Hoc est, Taurus incedens figit pedem sine ulla trepidatione. Pueri metus expertes insultant, insistuntque tauris, et certi sunt se palmam relaturos gestiendo, haerendo firme in taurorum tergo, nihilque trepidando. Ed. P.

8. *Sollicitumque pecus*. Hoc est, pueri de pugnae exitu securi sunt; tauri vero solliciti, ne sui sessores palmae praemium amittant. Ed. P.

32. — AD FAVSTINVM, DE CRISPO.

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit uxori: cui dedit ergo? sibi.

1. *Quadrantem Crispus*. Nihil uxori moriens reliquerat, nam omnia vivus decoxerat. — *Quadrantem*. Quartam assis partem. — *Tabulis supremis*. Codicillis testamenti.

2. *Sibi*. Ventri suo at peni, ut ait Sallust. Catil. Ipse enim vivus omnia decoxerat, nec quidquam moriens habuit, quod uxori relinqueret, fortasse praeter aes alienum.

33. — IN CAVSIDICVM.

Carpere causidicus fertur mea carmina: qui sit,
Nescio: si sciero, vae tibi, causidice.

Imprecatur Noster causidico cuidam, qui lacerabat ipsius carmina, et ultionem poëticam minatur, id est, epigrammatum tela in maledicum, si pervenerit nomen eius cognoscere.

1. *Carpere*. Proprie dicitur de herba, foliis arborum, quae pecudes dente secant avido nec aequali, ita ut haec gramina videantur quasi lacerata et discissa. Dicuntur etiam *carpere*, quum metunt digitis flores, fructus. Inde translatum est ad scripta et alis huius modi, atque usurpatur eodem sensu ac maledicere, improbare, sed iniuria, affectu quodam, id est, ira, animi praeoccupatione, etc. moveri in iudicio de auctore eiusque scriptis ferendo. Ed. P. — *Qui sit, nescio*. Non tantummodo cupidus sum cognoscendi nomen eius, sed scire velim *qui sit*, id est, qualis homo, a quibus moribus, an vitiis laborat, an ridiculus, etc. ut mihi inde eliciatur materia ad conficienda epigrammatum tela. Ed. P.

2. *Vae tibi, causidice*. Disces noscere genus irritabile vatum. Ed. P

34. — EPITAPHIVM EROTII AD FRONTONEM PARENTEM.

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam,
  Oscula commendo, deliciasque meas;
Paulula ne nigras horrescat Erotion umbras,
  Oraque Tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextae modo frigora brumae,
  Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam veteres ludat lasciva patronos,
  Et nomen blaeso garriat ore meum.

1. *Hanc tibi, etc.* Erotion puellam sexennem immaturo exstinctam fato, filiam vestram, o Fu‑nto et Flaccilla, servi, dum viveretis, mei, vernulam et delicias meas vobis commendo, ut excipiatis animulam eius, deductamque defendatis a larvis illis, monstris, terroribusque Stygiis, Cerbero trifauci, Eumenidibus, etc. *Rader.* — Male Rsderus utrique parenti ait commendari Erotium. Immo mater superstes defunctam filiam commendat. *Gronov.* — Gronovius contendit corruptum esse hoc lemms, *ad Frontonem*, et primum versum sic explicandum *genitrix Flacilla commendo puellam, oscula deliciasque meas, tibi, pater Fronto.* Sed hic sensus vix congruit cum sequente versu: *Inter tam veteres, etc.* — In versione Gallica quam nuper ediderunt Paphiis amorum typis impressam, qui se, non professores, sed milites *emeritos* dicunt, Raderi sensus iterum exhibitur, legiturque inscriptio: ... *ad Frontonem et Flaccillam parentes*, tanquam poëta utrumque alloqueretur. Iudicet lector. Eo. P.

2. *Oscula mea.* Puellam mihi carissimam: his vocibus blandiebantur amantes, vel desiderantes. Eo. P.

3 *Pallida*, h. e. consternata, ut saepius. Al. *Parvula* vel *paulula.* Nam exiguam fuisse Erotion, nullum est dubium: nondum enim erat sexennis. — *Ne nigras.* Vt a Frontone patre apud inferos excepta non timeat monstra, larvasque stygias, et caecam caliginem.

4. *Tartarei canis.* Cerberi trifauci latratu personantis. Eo. P.

5. *Impletura fuit, etc.* Quo minus sextum aetatis annum expleret, defuere illi sex di‑s.

7. *Lasciva patronos* Hoc est, inter patrem et avos antiquos defensores ludere liceat in campis Elysiis. Potest etiam patrocinio uti maiorum Martialis, iure vernulae, ita ut non reformidet Cerberum et caetera inferorum terriculamenta, sed lusitet discurratque gestiens more puerorum. Eo. P.

8 *Blaeso ore.* Balbutiunt enim infantes; quod nec iniucundum, at in adultis vitium. Mira est gratia imprimis infantulorum, quum primum conantur nomina parentum nuncupare et propinquorum, quum formare primum verba discunt, vocesque quasi tertiant. Tunc vere ad humanitatem paulatim assurgere videntur. Eo. P.

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi,
Terra, gravis fueris: non fuit illa tibi.

9. *Mollia nec rigidus, etc.* Fausta et solemnis bene precandi mortuis (quos amabant) formula *Sit tibi terra levis*, tumulisque inscripta S. T. T. L. ut scilicet facilis pateret animae reditio et iter ad sepulcrum in parentalibus. Sepultos autem diris et incantationibus obnoxios hac pia precatione liberari, et minori mole terrae gravari credebant; quibus itaque male volebant, terram gravem imprecabantur: vide quae ad ult. vers. Hippol. Senecae adnotavit Farn. et Brisson. Formul. lib. I.

10. *Non fuit, etc.* Illa enim fuit parvula, nec tibi oneri, et discurrens huc illuc, semper loco movebatur l. VI, epigr. 52, vs. 5.

35. — DE EVCLIDE.

Dum sibi redire de Patrensibus fundis
Ducena clamat coccinatus Euclides,
Corinthioque plura de suburbano;
Longumque pulchra stemma repetit a Leda,
Et suscitanti Lectio reluctatur;
Equiti superbo, nobili, locupleti,

Gerebat se pru equite Euclides, quum servus esset; quem lepide deridet, dum proditum a clavi de sinu cadente dicit. *Rader.*

1. *Redire, etc.* Reditum sibi esse annuum ex fundis Patrensibus ducenta: sed isti fundi, an ex familia, an ex urbe Patra. — *De patrensibus (patruelibus).* Hoc est, ex fundis relictis sibi a fratribus patruelibus ducenta sestertia percipere se dicebat Euclides. — Filii autem duorum fratrum *patrueles* appellantur, quia fratrum alter ipsis patruus est. En. P. — Legunt alii, et forte melius, *Patrensibus.* Patrae enim oppidum erat Achaiae vetus, quo colonia ab Augusto deducta est, situm ad sinum Corinthiacum: hodie *Patras.*

2. *Coccinatus Euclides.* Supra epig. 24, v. 5. — *Ducena.* Subaud. sestertia; nostrae monetae francicos circiter 34,400.

3. *Corinthioque, etc.* Graecus enim Euclides e Corintho. — *Corinthioque.* Atque plura ex agro qui erat in suburbio Corinthi, quia Euclides Corinthius fingitur.

4. *Longumque pulchra.* Iactatque se ducere genus ab equitibus Castore et Polluce, filiis Ledae e Iove.

5. *Lectio reluctatur.* Designatori, cuius munus erat unicuique in theatro locum assignare, eum ex equestri loco excitanti reluctabatur iste graeculus claviger.

6. *Equiti superbo, etc.* Ironice, huic Euclidi tam illustri, potenti et magnifico.

Cecidit repente magna de sinu clavis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

7. *De sinu clavis.* Clavis erat insigne quasi servorum; gestabant servi claves et hoc munus illorum. *Lipsius.* — *De sinu clavis.* Quae prodidit Euclidem, ostenditque vel servum, qui gestabat claves aedium, vel saltem egenum, qui famulum non haberet, sed suae domus clavem ipse gestare cogeretur. Lipsius id notavit, an forte vel a cubiculis domino, vel ab ostio, unde ostiarii apud Petronium: *in aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino cingulo cinctus.* Rader.

8. *Nequior fuit clavis.* Quae prodidit fortunas domini sui, ostenditque Eucliden *vel* ipsum esse servum, cui curae aliena clavis, *vel* pauperem saltem, cui nemo famulus, qui ipsius custodiret claves.

36. — AD FAVSTINVM.

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello
Dissimulat, quasi nil debeat: imposuit.

1. *Laudatus.* Suis versibus Romanos celebrabat Martialis, ut ab illis munus aliquod acciperet; hic vero, de quo loquitur, finxit se nescire dandum esse Poëtae praemium, atque ita spem eius defraudavit.

2. *Imposuit.* Gallice, *Il m'en a imposé.* Nihil tamen erat promissum muneris ab homine laudato: sed hoc voc. vult intelligi quoddam tieri tacite pactum inter laudatorem et laudatum, ut ille quodammodo se obliget iusto praemio laudes, e quibus immortale nomen ipsi contigit auctoris eximii beneficio, pensare. Vid. epigr. 4, et 89, v. 10, 11. Ed. P.

37. — DE EROTIO PVELLA.

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galesi mollior Phalantini,

Luget Erotion puellam, de qua supra epigr. 35, et eam ab elegantia, pulchritudine, suavitate commendat. Demum vertit stylum in Paetum, qui Martialem velut fractum et mollem reprehendebat, quod vernulae mortem tantopere deploraret, quum sibimet mortua uxore ipse tamen constaret, et fortiter casum suum ferret. Cui Martialis salse respondet, mortem uxoris videri posse quidem expetiisse, quia inde locupletatus. *Rader.*

1. *Puella.* De qua iam dictum epigr. 35 supr. Senes cycni eximio pollent candore, et suavissime, ut multis placet, ante mortem cantant: licet id negent sanioris iudicii auctores. Quasi innuere vellet Erotion candidiorem fuisse cycno, suaviusque cantasse, et agna Tarentina molliorem.

2. *Agna Galesi.* Galesus est agri

Concha Lucrini delicatior stagni;
Cui nec lapillos praeferas Erythraeos,
Nec modo politum pecudis Indicae dentem,
Nivesque primas, liliumque non tactum:
Quae crine vicit Baetici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitelam;
Fragravit ore, quod rosarium Paesti,
Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod succinorum rapta de manu gleba;

Tarentini fluvius, ubi multae oves, quarum lana est nobilissima. Duce Phalanto restauratum et habitatum Tarentum. Erant *mollia* Tarentinarum pecudum vellera, quia pellibus integebantur ad teneritudinem conservandam, ut notat Porphyrion ad Horat. Carm. II, 6. Sic μαλακὰ πρόβατα dicuntur Polybio. Apud Megarenses quoque oves pellibus contectae.

3. *Lucrini stagni.* Lacus ille est in Campania prope Baias. — Non quod ostrea Lucrini gulosibus expetebatur, sed quia *Laevior assiduo detritis aequore conchis.*

4. *Lapillos praeferas.* Pretiosos nempe, hoc est, gemmas natas in mari Rubro. At Farnabius ostendit confundi perperam mare Rubrum et Erythraeum.

7. Alii *Quae crine vincit.* — *Baetici gregis.* Oves Baeticae nativo colore rutilabant. Baetis fluvius in Hispania, hodie *Guadalquivir*, Andalusiam irrigat.

8. *Rhenique nodos.* Germanorum: qui Rheni accolae, flavos crines, seu rufos obliquabant et in nodum cogebant. — *Aureamque nitelam.* Rutilos ac rufos puellae crines comparat Baetico velleri, Germanorum capillis, et nitelae pilo. Baeticas lanas, rufas sive rutilas fuisse notissimum est. *Nitela* quoque rutilum habet pilum, et praecipue Sciurus, ut propterea *nitelam* de Sciuro accipere potius sit; nam etsi *mus agrestis* etiam rubeos sit et rutilus, non tamen ut cum sciuro sit comparandus. Et *nitela* in Glossis est *Sciurus*; nam δενδροβάτης proprie dicitur. Hinc color *nitelinus* apud Plin. lib. XVI, cap. 37, de rubeo, seu rutilo. Ita ut non mirum sit, crines ad plenum rufus et rutilos *nitelae* comparasse Martialem, et *auream* vocasse. *Salmas.* Vel *nitellam*, ut alii volunt, *Aureamque nitelam.* Micas pulveris auri repertas in arenis, scobem et ramenta aurea, quibus conspersam comam illuminaverunt.

9. *Rosarium Paesti.* Rosae Paesti oppidi in Lucania, hodie *Pesti*, suavissimum emittebant odorem. Lucania vero hodie dicitur, *Principauté citérieure* in regno Neapolitano. Rosarium est locus rosis consitus. Paestana autem rosaria rosas bis in annum proferebant, mensibus maio et septembri.

10. *Quod Atticarum prima, etc.* Prima dicit, velut illibata, integrumque odorem retinentis. Vide l. XIII, epigr. 104; mel Hymettium agitur.

11. *Succinorum, etc.* Electrum manu

Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, et frequens phoenix:
Adhuc recenti tepet Erotion busto,
Quam pessimorum lex avara fatorum
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.
Et esse tristem me meus vetat Paetus:
Pectusque pulsans, pariter et comam vellens;

tritum suave olet. — *Gleba.* Succinum esse fossile, et in duobus locis Scythiae erui dixit Philemon. Plinius tamen ait ex opinione temporis vulgatissima, defluere succinum ex populis arboribus, et humi cito concrescere et durescere. Nunc invenitur succinum prope quosdam fluvios et praecipue Vistulam. Nesciunt unde formetur, sed constat fluctibus in litore eiici. Ed. P.

12. *Indecens parvo.* Quasi dicat, Erotion elegantior pavone, tantoque pulchrior, ut turpis prae illa pavo putari posset.

13. *Inamabilis sciurus.* Quo tamen nihil amabilius, et hodie pueris in deliciis. A σκιὰ et οὐρὰ, quod cauda corpus inumbret, imo tegat. *Rad.* — *Phoenix.* Quae rara avis, et ut quidam volunt, unica, hac tamen Erotion in genera suo rarior.

14. *Recenti, etc.* Recens elata est et cremata, epigrammate 34 supr. Rogus lignorum strues ad cremandum cadaver; pyra eadem est accensa; bustum, quando igne consumpta est. Ed. P.

15. *Avara.* Quae illi tam parce, tam maligne annos ad vitam agendam annumerari decrevit. Ed. P.

16. Pro *peregit* reponendum videri queat, *peremit*; nam sic omnino lib. X, epigr. 61: *Hic festinata requiescit Erotion umbra, Crimine quam fati sexta peremit hiems.* Sed *peragere* etiam pro *perimere*, Valer. Flac. lib. I: *Fert gravis invito victorem Nestora tergo Monychus, ardenti peragit Clytus Actora quercu.* Sic διαπράττειν Graecis. *Heraldus.* — *Sexta peregit hieme, etc. Nec tamen tota,* dicit; quia sex dies defuerunt, sicut ipse supra dixit epigr. 34.

19. *Pectusque pulsat* Codex Pulmanni. «An versus hic ad Paetum referendus, qui ex indignatione pectus pulsaret, et comam velleret? non puto. Ad Poëtam ergo? at non bene procedit oratio: *Non te pudet pectus pulsans et comam vellens?* Dicendum fuerat, nisi me omnia fallunt, *Non te pudet pectus pulsantem et comam vellentem?* Ἀνακόλουθον itaque statue; vel mecum lege: *Pectusque pulsas, pariter et comam vellis? Deflere non te vernulae pudet mortem?* Quasi e persona Paeti dicentis: Tu pectus pulsas? etc. quod proprium erat defunctos lugentium.» *Ant. de Rooy.* — *Pectusque pulsans, etc.* Qui afflictis lugendi mos erat, in funeribus praecipue. — Tam aegro animo casum filii auditum, vel fictum sustinuit Solon, ut sibi caput caederet, et alia faceret quae ab afflictis solent, inquit Plutarch. in ipsius Vita. Poetus comam vellebat et pe-

Deflere non te vernulae pudet mortem?
Ego coniugem, inquit, extuli, et tamen vivo,
Notam, superbam, nobilem, locupletem.
Quid esse nostro fortius potest Paeto?
Ducenties accepit, et tamen vivit.

ctus plangebat, spectante Martiale, ut ostenderet se graviter casu premi, et coniugem lugere claram, et potentem, atque nihilominus modum facere tandem luctui, fortique animo ferre necessitatem fati, et vivere; proinde faceret idem. De his signis et argumentis luctus uberrime Heraldus ad epigr. lib. II, 11.

20. *Deflere, etc.* Verba Paeti, Martiali luctus modum suadentis, suo exemplo.

23. *Quid esse nostro, etc.* Respondet poëta ironice collaudans Paeti fortitudinem, imo exprobrans illi fictum dolorem, sive potius gaudium, cui e coniugis morte obtigerit dos tam ampla.

24. *Ducenties accepit.* Ducenties centena millia sestertia, id est, gallicae monetae 3,140,000 francicos. Ed. P. — Hic epigrammatis aculeus. Male vero cum Paeto agitur: qui quum tantis calamitatibus vexetur, mirum qui possit vivere, nam ducenties sestertium morte uxoris accepit. O foeda calamitas et abominanda! εἰρωνεία. *Herald.* Rigaltius dicit ideo eum fortissimum esse, quia ducenties accepit, et tamen vivat: quasi scil. CC. plagas accepisset, sive CC. ictus sustinuisset. — *Et tamen vivit.* Regerit facete in Paetum haec sua verba.

38. — IN CALLIODORVM.

Calliodorus habet censum, quis nescit? equestrem,
Sexte: sed et fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέριζε·

Plenum salis et leporis epigramma. Calliodorus cum fratre censum equestrem possidebat, eoque se equitem iactabat. Martialis primum negat Calliodorum esse equitem partitis bonis: deinde docet ridicule, quo pacto possit uterque esse eques; nempe ut vel duo uni insideant equo, sive subsellio in spectaculis, vel Castorem et Pollucem imitentur, et per vices, ut illi immortales, ita isti equites sint, hodie Calliodorus, postridie frater. *Rader.*

3. Proverbium quum aliquid in via reperissent: pro eo dicebant κοινὸς ὁ Ἑρμῆς. — *Quadringenta secat.* Sed frater (inquit Poëta) cogit te dividere quadringenta, sibique ducenta poscit. — *Secat, qui dicit, etc.* Seca legendum censet I. Rutgersius, lib. VI, cap. 11 Var. Lect. Et frater ille tuus qui haereditatem ad assem usque, et minima quaeque ut et ficos dividi ex aequo poscit, aufert tibi medium censum. — *Qui dicit.* Qui habet ius petendi alteram haereditatis partem,

Vno credis equo posse sedere duos ?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto ?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Vnus quum sitis; duo, Calliodore, sedetis.
Surge : soloecismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledae; aut cum fratre sedere
Non potes : alternis, Calliodore, sede.

frater nempe. — Σῦκα μέριζε. Adagium est in eos, qui quum parvam adierint haereditatem, eam tamen ipsam coguntur in plures partiri cohaeredes, ita ut videantur *ficos dividere*; vel σῦκα μέριζε, id est, divide mecum totam sortem haereditatis aequa ratione, ad usque assem, hoc est, minima, maxima; ita ut σῦκα minima bonorum signent, nihilque non esse dividendum.

4. *Vno credis*. Calliodorus una cum fratre censum equestrem habebat: Ergo, inquit Poëta, si ex censu communi estis equites, equo pariter communi sedere debetis, et communi subsellio, quod ridiculum est.

5. *Polluce molesto*. Fratre (ut ille Castoris) qui officit tuo honori, dimidiatus eques.

6. *Non esset Pollux*. Pollux et Castor filii Ledae ex Iove, quorum ille pugil, hic vero eques, unde in nominibus facetus est Poëtae lusus. Pollux enim pugil, Castor eques; frater ille tuus quasi pugil tibi reluctatur, ne possis esse eques. — Pollux partitus est immortalitatem cum fratre Castore, veluti partiris quadringenta sestertia cum fratre; et tibi nocet, ne integro fruaris, frater, ut Castor alterna immortalitate gaudebat. Ed. P.

7. *Vnus quum sitis; duo* (*Vnus, quum sitis duo*). Neque enim licet dicere, Vnus sedetis; et tamen deberet dici. Hoc est: Vnum tantum deberetis occupare subsellium, quum unum habeatis censum equestrem. Apage ergo, o Calliodore, facis soloecismum. Posset aliter interpungi, *Vnus quum sitis*; hoc est, eques.

8. *Soloecismum, etc.* Nec enim fas dicere, *unus sedetis*.

9. *Genus Ledae, etc.* E quibus Castor immortalitatem suam cum fratre partitus est, ut alternis vicibus morerentur et reviviscerent. Ita vos per vices estote equites, nisi alterum dicat oportere mori et ad inferos descendere, ut superstes sit eques.

39. — IN CARINVM.

Supremas tibi tricies in anno

Fingit Martialis, se diu frustra muneribus captasse haereditatem Carini tussientis. Optat enim illi exitialem tussim, quia non amplius habet quod donet. Improbas captantium et captatorum artes carpit sine invidia, dum se ipsum captatorem et Carinum captatum simulat. *Rader*.

Signanti tabulas, Carine, misi
Hyblaeis madidas thymis placentas.
Defeci: miserere iam, Carine.
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculosque sacculumque.
Croeso divitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Carine,
Si conchen toties meam comesses.

1. *Supremas*, etc. Saepe mutanti tabulas testamenti, ut illicias captatores quos captes. Luciani dialog. Petron.

2. *Misi*. Poëta se captatorem fingit, quo cautius improbas haeredipetarum artes carpat.

3. *Hyblaeis madidas*. Melle Siculo imbutas. Hybla mons Siciliae, ubi thymus vel thymum frutex nobilis, unde flores mellì conficiendo aptissimos decerpunt apes.

4. *Defeci*. Exhaustus sum, non suppetit quod ultra mittam. — *Miserere*. Quasi diceret: Tu tandem morere.

5. *Signa rarius*, etc. Vel noli spem nostram eludere toties mutando testamentum; vel semel morere, et sic praesta fidem tussi tuae mendaci.

6. *Mentitur tua*. Saepius enim interitum tuum pollicita spem nostram defraudavit.

7. *Sacculumque*. Gloss. *sacellus*, βαλάντιον.

8. *Croeso*. Lydiae rex fuit ditissimus, cuius notior est historia ex Herodoto.

9. *Iro pauperior*. Fuit Irus homo pauperrimus, de quo Homerus, Od. 18.

10. *Si conchen*. Conchis fabae genus, sive edulium ex faba. Iuven. Sat. III: *Cuius conche tumes?* Sensus est: Si quoties signas testamentum, toties conchen tantum, id est, ferculum ex oleribus vilissimum, non vero mellitas placentas misissem, ad extremam tamen paupertatem essem redactus.

40. — AD ARTEMIDORVM.

Pinxisti Venerem; colis, Artemidore, Minervam;
Et miraris, opus displicuisse tuum?

Austerioris philosophiae cliens et severioris disciplinae studiosus, non belle, nec cum gratia et venere aggrederis Veneris iocos et Musas hasce leviores. Quin Gratiis sacra facis, o Xenocrates? Vel irata Venere pinxisti Venerem, et miraris Veneri tuae deesse venerem. Cur irata? quia anteponis illi Minervam, quam colis, quam tibi etiam habes iratam, Veneris pictor. Iocus est in pictorem ludens.

41. — IN DIDYMVM.

Spadone quum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celaeneo,
Quem sectus ululat matris entheae Gallus,
Theatra loqueris, et gradus, et edicta,
Trabeasque, et Idus, fibulasque, censusque;
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme: non licet maritorum.

In fastuosum superbumque spadonem Didymum scribit, quem ut dubium equitem affirmat, itaque maritum, qui honoratus erat, negat. *Rader.*

1. *Spadone, etc.* Gallum Cybeles sacerdotem credo intelligi, propter Atyn in versu seq. — *Fluxo.* Molli. Eviratis fluxae sunt carnes.

2. *Concubino Celaeneo.* Aty puero Cybele adamato, a qua offensa in furorem actus, sibi testes exsecuit. *Celaenae* autem Phrygiae, unde et Cybele, urbs, et tumulus Asiae, iuxta quam Gallus fluvius Ovid. lib. IV Fastorum.

3. *Sectus Gallus.* Castratus Cybeles sacerdos. — *Vlulat.* In sacris ululatus requiritur. — *Matris entheae.* Cybeles numine suo afflantis, et sacerdotes in furorem vertentis.

4. *Theatra loqueris.* Ius in theatro spectandi, quasi ad te spectent illa equestria insignia, sedes et honores. — *Gradus.* Quatuordecim gradus. — *Edicta.* Decreta Domitiani.

5. *Trabeasque, et Idus.* Equites Romani trabeati, seu induti vestes trabibus pannorum albis et purpureis intertextas transvehebantur idibus iuliis. Coronabantur et oleae ramis in ea transvectione, ut docet Dionys. Halic. lib. VI. Antiq. Rom. Quare *idibus iuliis?* Quod eo die equites, Castore et Polluce visis in praelio pro re Romana stantibus, Latinos vicerint. — *Fibulasque.* Non adatrigmenta illa et custodias pudoris, de quibus lib. VII, epigr. 81, et l. XIV, epigr. 215, sed fibulas illas in nobilitatis insigne equitibus indultas, et Tribunis aureas in trabea vel chlamyde gestatas. Liv. Plutarch. Pancirol et alii. — *Censusque.* Equestres.

6. *Pumicata, etc.* Pumice laevigata, quae delicatorum erat mollities. Nam eo mollitiei, non dicam elegantiae, devoluti erant, ut non solum manus, sed et alias corporis partes, pumice sibi laevigarent: expono ergo *pumicatam manum*, teneram, laevem, mollem, delicatam, quales sunt nobilium feminarum et puerorum. — *Pauperes monstras.* Per contemptum.

7. *Sedere ..... an liceat.* Vtrum permiserint tibi sedere designatores Oceanus et Lectius quatuordecim in equitum subselliis.

8. *Videbo.* An sis verus eques, si nempe designatores siverint sedere te in quatuordecim subselliis. — *Non*

licet. Sedere in scamnis maritorum, quia spado es, vel effoeminatus ut spado. Ordinem vero maritorum olim in theatro locis honestis constituerat Augustus.

42. — AMICIS QVOD DATVR, NON PERIRE.

Callidus effracta nummos fur auferet arca;
Prosternet patrios impia flamma Lares.
Debitor usuram pariter sortemque negabit;
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica;
Mercibus exstructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quidquid donatur amicis;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

1. *Callidus effracta, etc.* Laudat hoc epigrammate munificentiam, et eas opes perpetuo servari affirmat, quae amicis dantur, quum omnes aliae divitiae incertis fortunae casibus eripi possint.

3. *Sortem.* Summam integram, pro qua usurae penduntur a debitore, *le capital.*

5. *Dispensatorem.* Dispensator est servus, qui familiae rationes dispensat, peculiique administrationem habet, et herilem pecuniam expendit. Quasi dicat: Saepe dispensator donat pecuniam domini amicae, amatorem circumvenienti, pretium nequitiae. *Raderus.*

7. *Extra fortunam, etc.* Extra fortunae aleam, nullatenus fortunae obnoxium. M. Antonius apud Rabirium poëtam, *Hoc habeo quodcumque dedi, etc.* Senecae lib. VI, de Benef. cap. 3. Notum et illud Alexandri, interrogati ubi suos reconderet thesauros: *Apud amicos*, inquit. *Plutarch.*

8. *Quas dederis.* Memores amici accepta beneficia reponunt.

43. — DE THAIDE ET LECANIA.

Thais habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quae ratio est? emptos haec habet, illa suos.

2. *Emptos haec habet.* Nimirum Lecania. Inde patet dentes adscititios albos Romanis innotuisse.

44. — IN DENTONEM.

Quid factum est, rogo, quid repente factum?
Ad coenam mihi, Dento, quod vocanti,
Quis credat? quater ausus es negare.
Sed nec respicis, et fugis sequentem;
Quem thermis modo quaerere, et theatris,
Et conclavibus omnibus solebas.
Sic est: captus es unctiore coena,
Et maior rapuit canem culina
Iam te: sed cito cognitum et relictum
Quum fastidierit popina dives,
Antiquae venies ad ossa coenae.

1. *Quid factum.* Facete irridet istum Dentonem; quater ad coenam vocatus recusaverat, qui alias per totam urbem sequi Poëtam soleret. Iocum etiam quaerit Martialis a nomine Dentonis, quod videtur ex dentibus deduci. Vide lib. XI, epigr. 14. Canem porro illum vocat, quod culinam unctiorem odoratus alliceretur.

4. *Sequentem.* Me sequentem ut invitem te.

5. *Thermis, theatris. Quaerere*, ut a me invitareris.

5. *Conclavibus, etc.* Coenationibus, cellis.

7. *Vnctiore mensa* Gruterus legendum censet, ex tribus codd. et sic codex Pulmanni. Saepius *mensa* et *coena* permutantur. Vid. ad lib. I, epigr. 104. — *Vnctiore mensa* alii; forte recto sensu ciborum illuvie.

8. *Canem culina.* Coenipetam Dentonem, instar canis odorantem lautiorem officinam.

9. *Sed cito, etc.* Sed agnitus fastiditusque divitibus, quorum gratiam nullis artibus potes aucupari, redibis ad tenuem mensam meam: tum hinc quoque abigeris; et ries tandem canis ille Aesopicus. *Rader.*

45. — IN BASSAM.

Dicis formosam, dicis te, Bassa, puellam.
Istud quae non est, dicere Bassa solet.

1. *Dicis formosam.* Negare soles et contrarium dicere: hic sane praeter mentem tuam non es quod dicis, formosa et puella, sed anicula et τριβάς.

2. *Istud quod non est* edd. vett. et recent. nonnullae.

46. — AD DIADVMENVM.

Basia dum nolo, nisi quae luctantia carpsi,
Et placet ira mihi plus tua, quam facies;
Vt te saepe rogem, caedo, Diadumene, saepe;
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

1. *Basia luctantia.* Multis locis expressit Noster eamdem lascivam sententiam. Ed. P.

3. *Caedo, Diadumene, saepe.* Ita I. Gruterus, non ut alii *cedo*, hac mente: Vt mihi amorem, tibi iram commoveam, verberibus saepe rem ago. Inde consequor, ut me nec timeas, nec ames. Multum sane depravatus erat Martialis, cui, ad excitandam nefandam libidinem verbera, flagra essent necessaria, et cui esset delectatio audire questus et clamores miselli servi, ad hos usus destinati, quasi amor nasceretur ex odio, et nihil nisi violenti motus animi possent ex corpore forte libidinibus effoeto scintillam elicere.

47. — DE PHILONE.

Nunquam se coenasse domi Philo iurat: et hoc est;
Non coenat, quoties nemo vocavit eum.

1. *Nunquam se.* Alii *Nusquam.* Aliam Philo, aliam poëta causam affert, cur nullum Philoni domicoenium. Philo perpetuus conviva vult videri, quasi Pamphilus alter sit, omnibusque gratus atque optatus, Gnathoque Terentianus. Philo, inquit Poëta, non coenat quidem domi, quum non habeat unde coenet. Sed Philo contendit se quotidie ab aliquo nobili viro invitatum; eam esse causam, cur nunquam domi coenet. Sidonius illustrat hunc locum Martialis, epist. III, 13: *Sed nec est praedicabilis viri in totum silenda frugalitas: ieiunat, quoties non vocatur; hoc solum comedens domi, si quid e raptis inter alaparum procellas obsoniis praemisit.* Plura Savaro ad hunc locum. *Rader.*

48. — DE ENCOLPO.

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos

Vide lib. I, epigr. 32. Illic voverat Encolpus, Auli Pudentis centurionis amasius, crines suos Phoebo, ut primum dominus suus, ad primipilatum (quae proxima erat dignitas) eveheretur: nunc quum creatus esset primipilaris, puer damnatus voti, tondet crines Aulo non prohibente, sed tamen dolente.

1. *Quid, etc.* Imitatio Virgiliana: *Quid non mortalia pectora cogis.*

Encolpus domino, nec prohibente tamen.
Permisit, flevitque Pudens : sic cessit habenis
Audaci questus de Phaëthonte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles
Deposuit gaudens, matre dolente, comas.
Sed tu nec propera, brevibus nec crede capillis;
Tardaque pro tanto munere, barba, veni.

2. *Nec prohibente tamen.* Quia ex voto; propter dominum, primipilarem assequutum dignitatem. Vide lib. I, epigr. 32, unde huic lux.

3. *Sic cessit.* Sic invito animo Phoebus olim permisit Phaethontem suum currum moderari. Nota haec fabula ex Ovidio.

5. *Talis raptus Hylas.* Tam formosus, tam delicatam comam posuit Hylas raptus. Etenim quum maritum huius Nymphae, quae illum rapuit, agere deberet, aequum erat eum exuere faciem pueri, assumere viri, id est, tonderi. *Gronovius.* — *Talis deprensus Achilles.* Sic Achilles ubi virgineo habitu apud Lycomedem latuit matris suasu, deprensus ab Vlysse, depositis comis ex ephebis escessit, et laetus, nolente licet matre Thetide, quae noverat filium periturum ad Troiam, tamen profectus est.

7. *Sed tu ne propera, brevibus ne cede capillis* in Beverlandi MS. et cod. Pulmanni; i. e. succede, ut sit sensus: Semper tu, Encolpe, sis brevis et similis capillis tuis brevibus, diuque puer. Vel sic: O barba tarda veni et ne cede; sed si venias, sis similis brevibus capillis. — *Tu nec propera*, O barba. — *Crede.* Nec crede Encolpum propterea grandem esse et virum factum, quod absciderit crines primos, quos alere solebant delicati pueri ad annum XVII. — *Capillis.* Detonsae comae in honorem domini sui.

49. — AD LABIENVM.

Vidissem modo forte quum sedentem
Solum te, Labiene, tres putavi:
Calvae me numerus tuae fefellit.

Irridet Labienum ob calvitiem; et quod capilli tribus locis distinctis in calvaria separentur nuda verticis area, iocose comparat triplici Geryoni, et iubet cavere a porticu Philippi, ubi statua Herculis, ne latho forte det novum Geryona. Ed. P. — Fuit calva non certis tantum, invisa hominibus, sed invisa gentibus. Defendit calvos Synesius et ipse calvus. Legatur Iunii liber de Coma, cap. ult. *Rader.*

2. *Tres putavi.* Tempora Labieni erant capillata, medium vero et summum caput erat glabrum; atque ita tria fuisse capita facete dicit: duo ad utraque tempora, alterum in medio.

3. *Calvae me numerus, etc.* Quae a fronte et utroque tempore capillata,

Sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli,
Quales nec puerum decere possint.
Nudum est in medio caput, nec ullus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc, quum prandia misit Imperator;
Cum panariolis tribus redisti.
Talem Geryonem fuisse credo.
Vites, censeo, porticum Philippi,

et medio capite glabra, visa est mihi terna.

4. *Capilli.* Promissi forte et cirrati, quales alunt pueri.

5. *Quales nec.* Etiamsi ad ornandum pueri caput paucissimi requirantor. Duplex hic est interpretatio. Alii volunt, ita breves et raros esse capillos in temporibus Labieni, ut infantium neque sint breviores et rariores. Verum quum Martialis voce *puerum* nec *infantem* usus sit, putem potius, Labienum esse mollem et delicatum, qui aleret et cincinnaret comae reliquias more puerorum elegantiom. Ed. P.

7. *Area notatur.* Summa calva. Sic Petron. aream dicit eleganter spatium capitis depilatum: « Nunc umbra nudata sua iam tempora moerent; Areaque attritis ridet adusta pilis. » *Aream* vocat quia area domuum trita est et levigata.

8. *Decembri.* Hoc est, Saturnalibus, quibus ultro citroque dona mittebantur.

9. *Tunc quum, etc.* Vbi ex numero calvae tuae pro tribus numeratus accepisti tria panaria (sive panes illi, sive corbes viminei pane referti fuerint) quae in Saturnalitiis, vel ut refert Suetonius cap. 4, in Septimontiali sacro, Domitianus senatui equitique distribuit.

10. *Cum panariolis.* Suetnn. in Domit. de hac largitione. *Panaria sparsa, etc.* et in Caligula: *Sparsit et missilia variarum rerum, et panaria cum obsonio viritim divisit.* Id autem est, mea quidem sententia, quod Persius appellat *artocreas*, sat. 6: ... *Oleum, artocreasque popello Largior; an prohibes?...* Visceratio sola carne constabat: verum panis postremis temporibus additus, et idcirco viscerationem interpretantur ἀρτόκρεας Cum visceratione epulum quandoque dabant οἱ μεγαλοπρεπεῖς. Suetonius in Iul. Caes. *Adiecit epulum ac viscerationem, et post Hispaniensem victoriam, duo prandia.* Et alibi de eodem Caesare: *Munus populo, epulumque pronunciavit in filiae memoriam, quod ante eum nemo.* Sane in funeribus populus aliqua largitione ab hominibus popularibus exceptus. *Herald.* Vid. Stat. lib. I Silv. ult. de panariolis et aliis donis Imperatorum romanorum.

11. *Talem Geryonem, etc.* Tricipitem, namque illum tricorporem fingunt poëtae, quem Hercules in Hispania interfecit, abactis in Italiam bubus, de quo infra epigr. 65, vs. 12.

Si te viderit Hercules, peristi.

13. *Si te viderit Hercules.* Est enim ille ἀλεξίκακος, et monstrorum profligator. — *Peristi.* Ex calva, te tricorporem Geryonem creditum invadet. Geryon autem est ab Hesiodo τρικέφαλος dictus, ab aliis τρικάρηνος.

50. — IN CHAROPINVM.

Coeno domi quoties, nisi te, Charopine, vocavi,
  Protinus ingentes sunt inimicitiae;
Meque petis stricto medium transfigere ferro,
  Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
  Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
Desine iam nostram, precor, observare culinam,
  Atque aliquando meus det tibi verba coquus.

1. *Coeno domi quoties, etc.* Charopinum importunum coenipetam notat. Sensus et ordo verborum est: Quoties domi coeno, te non invitato, irasceris non secus ac iuratus hostis. *Raderus.*

3. *Stricto medium, etc.* Gulae eius iratae rabiem amplificat poëta.

4. *Si nostrum.* Hoc est, mihi violentus irasceris, si scis me domi coenasse, te non vocato.

5. *Nec semel, etc.* Non licebit mihi vel semel domi absque te clam coenare? — *Furtum facere*, est: Celare tuam gulam, et resupinantem nasum, qui coenam meam usque odorat.

8. *Coquus.* Lateat, fallat te. Al. *focus.* — *Det tibi verba.* Te decipiat: *dare verba* est aliquem fallere, quasi nihil illi praeter verba dare. Dicat tibi me ab alio invitatum, coenare foris, licet domi coenem.

51. — AD RVFVM.

Hic, qui libellis praegravem gerit laevam,

Carpit insolentem cuiusdam indocti illaudatique causidici arrogantiam, qui non salutet, nec salutanti respondeat, quod in ἀλαζόνα convenit. Vel videtur potius illius causidici inscitiam, et in dicendo infantiam velle notare; qui quo magis se pro causidico et erudito viro venditet, hoc minus sciat, ut qui ne salutantes quidem possit officiose salutare.

1. *Libellis praegravem.* Libellos vel supplices vel accusatorios palam ferebat in via hic causidicus, ut negotiorum suorum multitudinem populo ostentaret. De notario vide lib. XIV, epigr. 208.

Notariorum quem premit chorus levis,
Qui codicillis hinc et inde prolatis,
Epistolisque commodat gravem vultum,
Similis Catoni, Tullioque, Brutoque;
Exprimere, Rufe, fidiculae licet cogant,
Ave latinum, χαῖρε non potest graecum.
Si fingere me istud putas, salutemus.

2. *Levis (laevis)*. Male *levis* propter legem carminis. — *Notariorum*, *etc.* Puerorum amanuensium, qui eius, tanquam pluribus districti negotiis, dictata scribant. *Notariorum*. Cingebatur etiam et quasi stipabatur pluribus notariis, tanquam multa dictare soleret, et diversis negotiis distringeretur. Glossae: *Notarius*, σημειογράφος: recte. *Notare*, ἐπισημειοῦσθαι, σημειογραφεῖν, ταχυγραφεῖν. Harum notarum repertor Mecaenas perhibetur. Dio lib. IV. Notarii enim sunt ταχυγράφοι Graecis.

3. *Qui codicillis*. Hoc est, qui attente et sublato supercilio aures praebet codicillis. Sunt autem codicilli, parvi quidam et breves codices, in quibus Veteres supremas suas voluntates scribebant, haud adhibitis iis solennitatibus, quae in testamentis requirebantur. Porro codices erant tabulae ligneae, unde codicilli dicti, in quibus scribebant Veteres multa et diversa.

4. *Gravem vultum*. Graphice fastum ardelionis depingit: attendit enim legentes sublato supercilio, capersta fronte, totoque vultu ad severitatem composito, velut rerum omnium solus arbiter, iudex, patronus. *Rader.*

5. *Catoni*. Viro gravissimo et maximae auctoritatis. — *Tullioque*. Patrono attentissimo. — *Brutoque*. Literis assidue affixo; percussorem Caesaris intelligo.

6. *Fidiculae*. Adeo inurbanus est, ut nec tormentis cruciatus possit adduci ad reddendam salutem, vel graece, vel latine. Raderus aliter: Hoc est, inquit; adeo imperitus est hic causidicus, ut *ave* latinum quidem proferre possit, graecum vero nequeat χαῖρε. Eligat lector. *Fidiculae* quae in tormentis numerantur, inquit Turnebus lib. IV, cap. 3, mihi videntur lascivia quadam ioci nomen invenisse: quod ut in fidibus nervi, item quoque multis hinc et inde funibus homines distendebantur; sed et illa machina funes multos velut nervos habebat. Suet. Tiber. 62; et Calig. 33. Eo. P.

7. *Ave latinum*, χαῖρε. Sibi mutuo respondent *avere* et χαίρειν. Nam et *avere* proprie in salutationibus matutinis et generalius alias; sic et χαίρειν: *salvere* tamen crebro in salutatione matutina; *valere* vero in salutatione vespertina. *Herald.*

8. *Si fingere istud me* codex Pulmanni.—*Salutemus*. Specimen facturi et periculum urbanitatis istius hominis.

52. — IN POSTHVMVM.

Quae mihi praestiteris memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo? Posthume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat : Dixerat ipse mihi.
Non belle quaedam faciunt duo : sufficit unus
Huic operi : si vis, ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dona
Auctoris pereunt garrulitate sui.

2. *Tu loqueris.* Lege Senecam, de Benefic. lib. II, cap. 10 et 11, et lib. VII, cap. 22. Dantem oportet oblivisci, inquit Poëta, meminisse vero solum accipientem. Sententia Chilonis Laconis est, unius e septem Sapientibus Graeciae, apud Ausonium : *Tu*, inquit, *bene si quid facias, non meminisse fas est. Quae benefacta accipias, perpetuo memento.* Rader.

4. *Ipse mihi.* Posthumus.

8. *Pereunt.* Beneficia enim a se collata commemoranti nulla amplius gratia debetur.

53. — AD BASSVM.

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
Quid tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?

1. *Colchida.* Colchis, hodie *Mengrellia*, patria Medeae, pro qua sumitur : eius vero historia, sicut et Thyestae, satis nota lib. III, epigr. 45, et Andromaches uxoris Hectoris ex Seneca et Euripide, Niobes in saxum conversae ex Ovid. Met. VI. — *Colchida quid scribis*, etc. Cur sumis tibi tragoediarum argumenta omnia tuis carminibus negata? scilicet Medeae per aethera volantis, Thyestae contumacis, Niobes in saxum versae, Andromaches Troiae flammis superstitis. Haec fata non manent tuas chartas. Quin potius sumis materiam tuis scriptis dignam : Deucaliona aut Phaëthonta, quorum hic flammis periit, ille aquis, qui exitus tuis chartis convenit. Sic Leonidas Anthol. 2 : Γράψας Δευκαλίωνα, Μενέστρατε, καὶ Φαέθοντα, etc. Sic alias de suis iocatur noster poëta lib. I, epigr. 6 ; et lib. III, epigr. 99. Deucalion fuit tempore Diluvii, et illum ponit pro Diluvio : Phaëthon flammis periit, pro quibus hoc loco usurpatur.

2. *Quid tibi vel Niobe etc.* Quid tibi materia est Niobe? Alii legunt *Nioben* et subintelligunt, *scriptio est*, scil. quid Nioben *scribis?* ut Plaut. Aulul. *Quid tibi meam tactio est?* Quid meam *tangis?* Sed Gruter. mavult elicere sensum ex Horat. *Quo mihi fortunas, si non conceditur uti?* quum alii legunt *fortuna*. I. Gruterum sequutus est Scriv. *Quo tibi vel Niobe,*

Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion; vel, si non placet hic, Phaëthon.

nec sine auctoritate cod. Palat. et al.
3. *Materia est*. Argutissime poëtae malo dictat materiam carminis, vel Deucalionem, vel Phaëthontem: qua monet carmina Bassi digna esse vel aquis, vel flammis.

54. — DE RHETORE APOLLONIO.

Extemporalis factus est meus Rhetor;
Calpurnium non scripsit, et salutavit.

Apollonius qui modo (epigr. 22 supr.) *scripsit et edidicit*, nunc tantum profecit, ut unum aliquem etiam duri nominis possit salutare, nec tamen scripserit. Iron.

1. *Extemporalis*. Poëta irridet Apollonium rhetorem, de quo sup. epigr. 22, qui adeo infelicis erat memoriae, ut nomina eorum, quos erat salutaturus, scriberet, ut ea memoriter edisceret: iam vero is tantum exercitatione profectum fecerat, ut ex tempore aliquem nominare posset, etsi nomen eius antea non scripserat. Extemporalis dicitur qui dicit, aut facit ex tempore, non paratus; quod Gall. vocant, *impromptu*, *improvisateur*. Ed. Par.

55. — DE AQVILA PORTANTE IOVEM.

Dic mihi, quem portes, volucrum regina? Tonantem.
Nulla manu quare fulmina gestat? Amat.
Quo calet igne Deus? Pueri. Cur mitis aperto
Respicis ore Iovem? De Ganymede loquor.

1. *Dic mihi*. Per se patet hoc epigramma: Aquila enim Iovem portans a Poëta interrogata respondet. — *Dic mihi*, *etc*. Vide Alciati emblema de aquila Iovem gestante et ibidem Minoëm.

3. *Pueri.... De Ganymede loquor*. Ganymedes quem in Iovis gratiam rapui. Ganymedes, puer eximiae pulchritudinis, regis Troiani filius, quem rapuit aquila in monte Ida, et quem sibi fecit pocillatorem Iupiter, Hebe deiecta; unde Iunonis irae in Troiam. Ed. P.

56. — AD LVPVM.

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Quaeris sollicitus diu, rogasque.
Omnes Grammaticosque Rhetorasque
Devites, moneo : nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis ;
Famae Tutilium suae relinquat.
Si versus facit, abdices Poëtam.
Artes discere vult pecuniosas ?
Fac, discat, citharoedus, aut choraules.

Martialis hoc epigrammate docet, non esse locum in Vrbe bonis artibus. Citharoedos, choraulas, praecones, et hoc genus hominum regnare, ditescereque, Ciceronem et Maronem prope exsulare.

3. *Omnes grammaticos*. Hoc Lupo consilium affert per ironiam, quod tunc Romae non esset locus honestis artibus. — *Omnes, etc.* « Quando artibus honestis Nullus in Vrbe locus » etc. Iuven. Sat. III, 21.

6. *Rutilium* in edd. vett. pro *Tutilium*. Alii legunt *Lucilium*, quod exhibet codex Pulmanni. — *Tutilium*, *etc.* Non *Rutilium*, ut vulgo, ne cespitet versus, peccantibus duabus primis syllabis. Videtur is esse quem laudat Cicero I de Oratore, et in Bruto; de quo Valer. Maxim. lib. II, cap. 3, et Sueton. in Augusto, cap. 89. — *Suae famae*. Quam maximam habuit, et morum et doctrinae gloria inter coaevos inclytus.

7. *Si versus facit*. Si amat versus facere, prohibe, ac ni desinat, abdica, exhaereda Huius vocis *abdicare* sensus latuit omnes interpretes. Abdicare autem est pellere domo filium, bonis, quod tamen revocari potest in codicillis testamenti, dum exhaeredatio nullam spem relinquit. Abdicabant patres filios magnorum delictorum nocentes, ut saepius; erat gravissima poena, quam multis in locis declamatt. ubi de hac re saepe agitur, Quintilian. vocat *ultimum fulmen patriae potestatis*. Hac formula utebantur : *Discede domo mea*. En. P.

9. *Fac hiscat* legit Ian. Guilielm. Verisimil. lib. III, cap. 19, improbante Farnabio. Verba tamen *hiscere*, *hiare*, usurpantur eleganter in re musica. Prop. *Tantum operis nervis hiscere posse meis*; et alias, *Visus marmorea carmen hiare lyra*. Qui lyram pulsant, os diducunt, quasi vocem numeris lyraeque vellent sociare. En. P. — *Fac discat, citharoedus*. Graecus dicendi modus : hoc est, discat fieri citharoedus. Choraules is est qui tibiam in choro inflat : citharoedi vero et choraulae ars tunc summo fuit in pretio. Sic Poëta acute carpit mores sui temporis. Vide Iosiam Mercerum ad lib. I, epist. 19 Aristaeneti; et Nostrum l. III, epigr. 4.

10. *Si duri puer, etc.* Architectus sane ingenio valere debet; multis semper laudibus fuit celebrata archi-

Si duri puer ingenî videtur,
Praeconem facias, vel architectum.

tectura. Sed hoc invidiose dicit Martialis, quod plus architectis et praeconibus, quam viris doctis et poëtis faverent Romani.

11. *Praeconem facias.* Praeconum enim ars tunc temporis ad invidiam usque fructuosa; VI, epigr. 8. — *Architectum.* Praeter privatorum enim in aedificiis hac tempestate luxum, Domitianus templa et alia publica instauravit; IX, epigr. 4.

57. — AD CINNAM.

Quum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere;
Saepe etiam servum sic resaluto meum.

1. Cinnam dominum assentatorie vocabat Poëta, quum aliquid ab eo impetrare vellet; sic et servum appellabat, vel quum ipsi blandiretur, vel quum illum irrideret.

58. — AD POSTHVMVM.

Cras te victurum, cras dicis, Posthume, semper.
Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit?
Quam longe cras istud? ubi est? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos.
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras vives: hodie iam vivere, Posthume, serum est.

Epicurea παραίνεσις, commodis praesentibus fruendum hodie, καὶ μηδὲν ἀναβαλλόμενοι.

4. *Apud Parthos.* Parthia Asiae regio, quam hodie vocant alii *Arach*, alii *Chorasan.* Armenia duplex: Maior, hodie *Turcomania*; Minor, hodie, secundum aliquos, *Anaduole*; secundum alios, *Pegian.*

5. *Iam cras istud.* Moram vitae hilari interponens annos Nestoris vel Priami assequutus est, quorum aetas et historia omnibus nota est.

6. *Cras istud quanti, etc.* Cras hoc tuum quod praeteriit non potest redimi: futurum quantuli? facili sane pretio, immo nullo, quia sponte venit, si velis uti. Sed vide Senecae epist. 12.

7. *Posthume, tardum est* codex Florentinus. — *Hodie iam vivere, etc.* Lib. I, epigr. 16. *Vivere* est genio indulgere.

Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

8. *Vixit heri*. Nam praeteritum solum certum est, ac nostrum; praesens nostris manibus elabitur. Ed. P.

59. — AD STELLAM.

Quod non argentum, quod non tibi misimus aurum,
Hoc facimus causa, Stella diserte, tua.
Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti;
Fictilibus nostris exoneratus eris.

1. *Quod non tibi mittimus aurum* Pulmanni codex. — *Quod non*. Hoc est: Ad te mitto parva munera, ut facile, si volueris, par pari referas: odit enim Poëta, ut ipse dicit epigr. 18, hoc libro, *Dolosas munerum et malas artes*. Vide lib IV, epigr. 56. — *Argentum aurum*. Vasa argentea et aurea. *Misimus*. In Saturnalibus lib. II, epigr. 46, vs. 1.

4. *Exoneratus*. Liberatus eris onere ad me munera remittendi, quum nostra vasa fictilia parvi sint momenti: vel, exigua etiam sine sumptu poteris remittere.

60. — AD DETRACTOREM.

Allatres licet usque nos et usque,
Et gannitibus improbis lacessas;
Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscumque legaris ut per orbem.

Mordet mordentem canem, eique negat immortalitatem nominis, quam a Poëta carpendo volebat exprimere.

2. *Gannitibus*, *etc*. Conviciis tuis et maledictis; gannire canum est; ut alii, vulpium. Proprie ergo dixit *gannitibus*, quia antea dixit *allatres*. Gloss. *gannit*, σκύζει. Impense, bene, quia utrumque canum. *Herald*.

3. *Certum est*, *etc*. Non vivet, non notum erit posteritati nomen tuum in carminibus meis, vel infami nota inustum.

5. *Per urbem* Juntina nostra in marg. — *Qualiscumque*. Tu petis in meis carminibus famam qualemcumque bonam aut malam, dummodo nomen eat ad posteros: ego te silebo, exquisito ultionis genere. Seneca, de Ira lib. II: *Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum ex quo peteretur ultio*. Ed. P.

Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser, necesse est.
Non deerunt tamen hac in urbe forsan
Vnus, vel duo, tresve, quatuorve,
Pellem rodere qui velint caninam.
Nos hac a scabie tenemus ungues.

7. *Miser, necesse est.* Quia invidus. 10. *Pellem rodere, etc.* Qui maledicos velint maledictis insectari. Allusum vult Erasmus ad proverb. *Canis caninam non est.* Horat. epod. 6: *Quid immerentes hospites vexas, canis ignavus adversum lupos.* Eo. P.

11. *Nos hac, etc.* Ego ab hac libidine et contagio maledicendi me contineo, scabie eius nolo me contaminare, nolo pruritum eius scabendo levare.

61. — IN MARIANVM.

Crispulus iste quis est, uxori semper adhaeret
Qui, Mariane, tuae? crispulus iste quis est?
Nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem,
Et sellam cubito dexteriore premit?
Per cuius digitos currit levis annulus omnes;
Crura gerit nullo qui violata pilo?
Nil mihi respondes? uxoris res agit, inquis,
Iste meae; sane certus et asper homo est,

Elegantissimum epigramma, quo nonnullorum stupiditas traducitur, qui formosulos iuvenes uxoribus suis adhaerere patiebantur sub officii domestici praetextu. Respexit hoc epigramma B. Hieron. pluribus locis lib. I adversus Iovinian. *Herald.*

1. *Crispulus.* Crispatus crines, et delicatus.

2. *Crispulus.* Poëta irridet Marianum qui inepte crederet, quemdam crispulum, hoc est, mollem et capillis crispis iuvenem, uxoris suae esse procuratorem.

4. *Sellam cubito, etc.* Incumbit, innititur sellae uxoris tuae.

5. *Per cuius digitos, etc.* Cuius unusquisque digitus annulo suo nitet. Eo. P.

6. *Crura gerit, etc.* Cui crura depilata.

7. *Vxoris, etc.* Est procurator, qui uxoris negotia obit.

8. *Sane certus, etc.* Martialis respond. Is tibi sane propter diligentiam, attentionem, formam et vultum videtur esse procurator acer; ego autem perspicio illum esse moechum, quo non Aufidius insignior: de quo Auf. Iuven. Sat. IX, vs. 25. Possunt et haec Mariano collaudanti crispulum hunc, et praeferenti eius dili-

Procuratorem vultu qui praeferat ipso;
Acrior hoc Chius non erat Aufidius.
O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te successurum credo ego Panniculo.
Res uxoris agit? res nullas crispulus iste:
Res non uxoris, res agit iste tuas.

gentiam attentioni Aufidii Lusci, qui e decuria scribarum factus est praetor, tribui et continuari, usque ad haec verba, *O quam dignus eras, etc.*

9. Scribendum est ex codd. *qui praeferat aequo.* Vulgo, *qui praeferat ipso:* quod substituerunt illi, qui non tam aequitatem in procuratore requiri putabant, quam ut acriter nitatur pro eo, cuius negotium gerit. Sed *vultu aequo* est respondenti, referenti, aequali. Sic aequitatem membrorum Augusti, pro aequalitate seu symmetria, laudat Suetonius. *Gronovius.*

10. *Non erat Aufidius.* Moechus notissimus ex Iuven. Sat. IX, 25. Sensus est: Aufidius Chius non esset procurator gravior nec certior hoc crispulo.

11. *O quam dignus, etc.* O digne qui in spectaculis theatralibus risum moveas alaparum contumeliis exceptus, non secus ac Panniculus mimus a Latino, moechi sui partes agente, caesus; vide lib. II, epigr. 72. — *Alapis.* De alapia ac salapittis, quibus stupidi et de uxoribus suis parum solliciti obiurgabantur in mimis, vide Heraldum ad Arnob. lib. VII.

13. *Res uxoris agit?* Cum indignatione repetens hoc Poëta. — *Res nullas crispulus iste.* Nulla negotia, nullas in furo uxoris tuae partes agit iste procurator crispulus; namque istiusmodi homines nihil aliud curant, nisi se comere, otiari, ardeliones se gerere: immo tuum locum et vices supplet in thalamis iste moechus.

14. *Res agit ipse tuas*, in quibusdam. — *Res agit iste tuas.* Moechus quippe mariti partes sustinet.

62. — AD HOSPITES.

Iure tuo nostris maneas licet, hospes, in hortis,
Si potes in nudo ponere membra solo,
Aut si portatur tecum tibi magna supellex;
Nam mea iam digitum sustulit hospitibus.

1. *Iure tuo nostris, etc.* Hortum se hospitibus offerre dicit; si hospites sumptum et supellectilem offerant.

2. *Si potes in nudo.* Mihi enim neque sellae, neque lecti sunt.

4. *Nam mea.* Hoc est: Mea supellex consumpta est frequenti hospitio. Metaphora est petita a gladiatoribus, qui, quum essent victi, digitum tollebant in signum victoriae adversario concessae. *Mea supellex sustulit digitum hospitibus*, hoc est, victa est atque

Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos:
  Putris et abrupta fascia reste iacet.
Sit tamen hospitium nobis commune duobus:
  Emi hortos; plus est: instrue tu; minus est.

attrita ab hospitibus. Vel forte haec metaphora petitur a licitationibus, in quibus, teste Festo in verbo *Manceps*, digito sublato emptorem se aliquis profitebatur. Et sensus erit: Mea supellex empta est ab aliis hospitibus, id est, alii hospites supellectilem meam tanquam a se emptam consumpserunt.

5. *Nulla tegit farctos* in quibusdam. — *Fractos... culcita.* Culcitae tomento fartae erant: et dicit Poëta non modo se mala fartam, sed omnino nullam habere, quam lecto iniiciat. Ed. P.

6. *Putris et abrupta.* Fasciae lecti seu institae humi demissae sunt, ruptis nempe funibus quibus fulciebantur. — *Fascia.* Explicant funes reticulatos, quibus insternuntur culcitae, etc. Sed nec probe distinguunt a reste de qua Noster. Mallem igitur explicare *fasciam* quoddam latum stramenti genus, quod restes primum fulciunt. Ed. P.

7. *Sit tamen, etc.* Sed communes sint ambobus nobis horti: tu eos adorna supellectile, siquidem ego illos emi, quod maius est. Ed. P.

63. — AD PONTICVM.

Quid sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis?
  Sic me sollicitus, Pontice, saepe rogas.
Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis,
  Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc sentis? inquis; faciat tibi sic bene Caesar,
  Sic Capitolinus Iupiter. Immo tibi.

1. *Quid sentis.* Ponticum deridet, cuius versus nonnunquam laudabat, ut ipsi blandiretur, licet pessimos iudicaret.

3. *Admiror, etc.* Respondet Martialis.

4. *Regulus.* Causidicus celebris, de quo lib. I, epigr. 13 et 112; IV, 16.

5. *Faciat tibi sic.* Particula *sic* saepe usurpatur in precationibus. Ponticus precatur, ut sic Iupiter bene faciat Martiali, uti de eius scriptis ipse bene senserat.

6. *Immo tibi.* Sic faciant, o Pontice, Domitianus et Iupiter bene, ut ego bene sentio de tuis libellis, id est, faciant male, neque enim vere et ex animo probavi, sed ut tuae subservirem φιλαυτίᾳ, ut qui male sanus, palpum malis, quam iudicium rectum. — Simplicius explicarem: Tibi potius dent superi sapere, ac modeste de tuis carminibus sentire, tenuitatem tuam et inscitiam agnoscere. Ed. P.

64. — AD SVOS MINISTROS.

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni;
Tu super aestivas, Alcime, solve nives.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.
Iam vicina iubent nos vivere Mausolea;

Invitat se ipsum ad genialem vitam, quod omnibus moriendum, etiam Caesaribus.

1. *Sextantes duos, etc.* Triens quatuor cyathos, sextans duos continet cyathos, et est sexta pars sextarii. — *Calliste.* Minister Poëtae.

2. *Tu super solve (funde).* Hoc est: Aquam gelidam e nivibus expressam funde. Alii enim et Gruterus legunt *solve nives.* — *Aestivas nives.* Aquam nivatam seu gelidam e nivibus expressam, qua vina generosissima diluebant; lib. XIV, epigr. 117; vel decoctam et vitris demissam in nives, ut refrigeretur. Hoc Neronis inventum. Antiquae hae deliciae Seneca, epist. 79: *O infelicem aegrum! Quare? Quia non vino nivem diluit: quia non rigorem potionis suae, quam capaci scypho miscuit, renovat fracta insuper glacie.* Sed et meram nivem bibebant. Vnde Martial. XIV, 117: *Non potare nivem, sed aquam potare rigentem De nive, commenta est ingeniosa sitis.* Ex utraque consuetudine, ut opinor, Plin. lib. XIX, cap. 4: *Et ipsa naturae elementa vi pecuniae discreta sunt. Hi nives, illi glaciem potant, poenasque montium in voluptatem gulae vertunt. Servatur algor aestibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat.* Nix autem venalis erat ad hunc usum. Caeterum aqua nivata utebantur etiam ad lavationem, εἰ ἄσωτοι καὶ διάτρυπτοι τῶν πλουσίων. Quomodo autem servaretur nix ista, docet Plutarch. lib. VI, Symph. probl. 6. *Herald.*

3. *Pinguescat nimio, etc.* Vnguentis delibuti, et floribus coronati convivabantur veteres. *Pinguescat nimio.* Sic λιπαροὺς πλοκάμους dixerunt Graeci. *Nimio* autem, id est, multo. Gloss. *Nimis,* ἄγαν, πάνυ, σφόδρα. Plaut. in Amphitr. *Legiones educunt suas nimis pulchris armis praeditas.* — *Amomo.* Vnguento inde facto, quum valetudinis, tum voluptatis causa. Amomum in Armenia nascitur.

4. *Rosis sutilibus.* Coronas e rosarum foliis consuebant. — *Sutilibus.* Plectilibus, quae e ramulis innectebantur plectebanturque, unde et dictae, ut *serta* a serendo; *sutiles* ergo, quae e floribus, mero inprimis rosarum folio consuebantur. Florum itaque fasciculis coronisque capita revincti, in conviviis potare soliti erant: primum quidem hederaceis et ex apio; mox myrteis, quippe quae adstringunt, et vini exhalationes arcent; tum e rosis, quae et gravitatem capitis sedant, et potione aestuantes refrigerant. Corona insuper, plenitudinis et libertatis symbolum, festis conviviisque competit, ut et capiti, quod rationalis animae sedes. *Farn.*

5. *Iam vicina.* Gruterus mavult, e Mss. *Tam vicina, etc.* Et recte. Pro eo quod solebant conviviis inferre sceleton vel oscillum, ut eo conspe-

Quum doceant, ipsos posse perire Deos.

ctu admonerent praesentes, caperent voluptates, antequam isti similes fierent, quod brevi futurum erat. Martialis mentionem facit sepulcri Caesarei, quod propinquum erat et proximum ei loco, in quo potabat. *Gronov.* — *Vicina iubent nos.* In valle Martia erat sepulcrum Augusti: vel propiora, quam Illud Cariae Mausoleum. — *Vivere.* Vita uti, genialiter vivere; lib. I, epigr. 16, vs. 4. — *Mausolea.* Sepulcra Augusti, Imperatorum atque cognatorum, ab Augusto exstructa ad similitudinem Mausolei Artemisiae.

6. *ipsos Deos.* Caesares intellige, quos tanquam deos colebat populus

65. — AD CAESAREM.

Astra, polumque dedit, quamvis obstante noverca,
Alcidae, Nemeae terror, et Arcas aper;
Et castigatum Libycae ceroma palaestrae;

Refertur hoc epigramma ad Carpophorum bestiarium, quod admodum affine lib. Spect. epist. xxvii. Sed laudem totam tribuit Domitiano. Et tamen non ab ipso Domitiano confectas has feras ex hoc versu potest colligi: *Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi, Est tibi qui possit vincere Geryonem.*

1. *Obstante noverca.* Iunone, quae oderat Alcmenam Amphitryonis uxorem, Iovis pellicem, et Herculis matrem. Huic tamen leo Nemeaeus, etc. caelum dederunt.

2. *Nemeae terror.* In Nemeaea sylva Argolidis leo, in Arcadia vero aper Maenalius interfectus est ab Hercule. Vide libr. Spectaculorum epigr. 27.

3. *Et castigatum ceroma, etc. Castigatum ceroma*, est destrictum: qui enim luctabantur, stringebant invicem. Manilius: *In varias destringunt membra palaestras.* Et frustra dubitat Ramiresius, utrum stringo lucta corpus; an stringo palaestrae pulvere intellexerit. Ita stringendo *castigabant ceroma*, id est, destringebant. Eo Virgil. exerceri palaestras dicit, *oleo labente*, hoc est, *castigato ceromate.* Hoc enim proprie est *castigare*, stringere, vincire; non loro caedere, aut cesto, ut putat vir summus ad Persium; sed loro cingere. Quod Martialis *castigare ceroma* dixit, id alibi appellavit *ceroma terere*; et lib. III, perdere oleum. Vide latius et accuratius ea de re disserentem cl. vir. Gronovium in lib. II Sylv. vi, pag. 116. — *Et castigatum Lybicae.* Et Antaei Libyci insolentia in provocandis ad palaestram hospitibus, ab Hercule castigata morte: *Incredibile est*, inquit Brodaeus, *tantum potuisse succumbere portentum, cuius corpus sexaginta cubitorum fuisse refert Plutar. in Sert.* — *Ceroma.* Quod hic ponitur pro ipso Antaeo ceromate inuncto. Ceroma ergo fiebat ex oleo, pulvere et cera commixtum, quo ungebantur athletae. — *Libycae palaestrae.* Libyci certaminis; nam sumitur hic pro ipsa lucta et certamine, quod in

Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx;
Sylvarumque tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boves.
Ista tuae, Caesar, quota pars spectatur arenae?
Dat maiora novus praelia mane dies.
Quot graviora cadunt Nemeaeo pondera monstro?
Quot tua Maenalios collocat hasta sues?
Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi;

Libya commissum est. Vide lib. III, epigr. 57. vs. 25.

4. *Fusus Eryx*. Veneris filius caestuum certamine in Sicilia victus est ab Hercule, qui ab Hispania redibat. Eryx erat immani corporis mole et fortitudine: provocaverat Alcidem ad certamen. Ed. P.

6. *Ducere non rectas* codex Florentinus, probante Farnabio. *Ducere neglectas* alii legunt; at malim *nec rectas*, aversas, per caudam tractas. Virg. Aen. VIII, 210. — *Cacus* Vulcani filius erat, insignis fur et latro, eoque viatoribus timebatur, quia boves in antrum suum aversos trahebat ne quaerentibus factum deprehenderetur, quum vestigia foras ducerent, non intro. Hoc modo boves Herculi rapuerat, a quo deprehensus, in Aventini monte interfectus est.

7. *Ista tuae, Caesar, etc.* Haec vel ista omnia Herculis facta collata cum Caesaris spectaculis in Amphitheatro, quota pars sunt? quasi diceret minima.

8. *Maiora*. Dicit ergo Poëta Romae in Amphitheatro maiores bestias, monstraque uno die, et quidem dimidiato et matutino confici, quam Hercules tota vita confecit. — *Novus dies*. Matutinum spectaculum, quo bestiarii cum bestiis depugnabant: post meridiem, qui supererant, inter se.

9. *Graviora pondera* Id est, immanes, belluae maiori mole quam leo ipse Nemeaeus ab Hercule devictus. Ed. P.

10. *Collocat hasta*. Lib. Spectac. epigr. 15, dixit Poëta: *longo porrexit vulnere pardum*. Ex hoc versu et duobus sequentibus, colligunt interpretes hoc epigramma referri ad Carpophorum, de quo lib. Spect. epigr. 27, et Domitiano tribuit quidquid venator eius Carpophorus facit. — *Collocat hasta sues*. Interficit. Metaph. sumpta ab antiquo collocandi cadaveris more, de quo multa Lips. lib. I, Elect. cap. 6. Sic προτίθεσθαι Graecis. Et non solum pro collocare in vestibulo aedium: verum et in loco publico, ut pro Rostris Romae, ubi et laudatio peragebatur. *Herald.* — *Maenalios sues*. Apros Maenalio, vel Erymantheo, ab Hercule interfecto, similes. De Maenalo Arcadiae urbe et monte, vid. lib. Spect. epigr. 25.

11. *Pastoris Iberi*. Geryonis tricorporis, Hispanorum regis, cuius interfecti Hercules abegit boves. Vide mythologos. Sed res ita se habet: Geryon tres habuit filios Geryones, quos Hercules Libycus, quum in subiectos Hispanos tyrannidem exercerent, comparato exercitu, ex provocatione unus omnes, tres solus confecit. Unde nata est fabula, Geryonem tricipitem ab Hercule victum. *Rad.*

Est tibi, qui possit vincere Geryonem.
Saepe licet Graiae numeretur bellua Lernae,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
Pro meritis caelum tantis, Auguste, dederunt
Alcidae cito Di; sed tibi sero dabunt.

12. *Qui possit, etc.* Carpophorus, seu quis alius.

13. *Bellua Lernae.* Lerna est Achaiae locus, et palus in qua erat hydra novis capitibus in locum abscissorum renascentibus perniciosa, quam tamen domuit Hercules. Lib. Spect. epigr. eodem.

14. *Quod facit ira feris* codes Vaticanus. — *Niliacis feris.* Crocodilos intellige, qui in spectaculis exhibiti interficiebantur, cum quibus ipsam hydram conferendam esse negat Poëta.

15. *Pro meritis, etc.* Conclusio ex adulatione et comparatione gestorum ab Hercule et Domitiano. Ex quibus par praemium, vel maius sit Domitiano exspectandum. Dii Herculi ob aerumnas et labores cito dederunt caelum: *tibi* sero dabunt, tam sero, ut nec adhuc dederint, nec daturi sint unquam. *Raderus.*

16. *Sed tibi sero.* Maiora sunt tua gesta Herculis factis, atque dignior es caelo, quo tamen tarde donaberis, ut diu rempublicam administres, et votis populi romani satisfiat. Epigr. 8, 39.

66. — IN PONTILIANVM.

Saepe salutatus, nunquam prior ipse salutas;
Sic erit aeternum, Pontiliane, vale.

Quum adeo sis inhumanus, ut nec salutes, nec resalutes, quoniam tibi non placet *salve* illud vel *ave* in congressu solenne; tibi inhumano et quasi mortuo dicemus usque *Vale*, vel *Aeternum vale*: qui mos Veteribus fuit salutandi mortuos, qui resalutare non poterant.

2. *Sic erit aeternum.* Tunc enim salutaberis, neque resalutare poteris. Placet ut legatur, *Aeternum Pontiliane vale*, coniunctim; ut sint verba salutantis Pontilianum, iam μηδὲν ὄντα. Vid. Brisson. lib. VIII, pag. 747, ubi multa exempla. Nota res, et verbi ac φράσεως proprietas. Inde autem nata quia existimabant miselli illi τοὺς μακαρίτας, se in aeternum amittere. *Herald.* — *Pontiliane.* Quem Poëta ut inurbanum et agrestem hominem carpit, qui neminem unquam ipse prior salutaret.

67. — DE HIRVNDINE.

Hibernos peterent solito quum more recessus

Sub tecto et tegulis, ubi nidificant hirundines, Martialis habitabat, aveaque contubernales babebat hirundines; ex quibus unam cum reliquis

Atthides, in nidis una remansit avis.
Deprendêre nefas ad tempora verna reversae,
Et profugam volucres diripuere suae.
Sero dedit poenas : discerpi noxia mater
Debuerat ; sed tunc, quum laceravit Itym.

non avolasse in autumno notaral, eamque a reversis altero vere lanistam. Et brevi fabulam Procnes exponit. *Rader.*

1. *Hybernos peterent, etc.* Quum hirundines, appetente iam hieme, a nobis avolarent in Africam (teste Plinio), unde vere nos visunt.

2. *Atthides.* Hirundines, a Procne Pandionis Atticae regis filia in hirundinem conversa. Ovid. Met. VI. — *In nidis una.* Hoc, ut ludit Raderus, in contubernalibus suis hirundinibus animadverterat Martialis. — Solitae avolare omnes, ut plurium est sententia. Augustinus Riphus, cum multis aliis in cavis arborum hibernare catervatim tradit. Sed Gaspar. Heldelinus in Ciconiae encomio scribit, quod iure mirere : «Comperi, *inquit*, latere hirundines hieme in nido suo, tanquam mortuas : proinde non puto avolare eas. Totam hiemem habent secum recentia ova. Reviviscunt autem: quare iudico mirabile quoddam opus esse, ac imaginem resurrectionis nostrorum corporum.» Haec Heldelinus ex anonymo auctore. *Gesner.* — Naturae quidam recentiores investigatores, commenta non minus stupenda excuderunt : scilicet hirundines hibernare in nostris fluviis et fluminibus, eas hic inventas esse, quamdam catenam formantes, hac coagmentatione, ut rostrum posterioris in anum prioris defigeretur, et sic multae cohaererent. Ed. P.

3. *Nefas ad tempora, etc.* Mansisse, contra morem et naturam hanc hirundinem deprehendere caeterae vere reversae. — *Nefas* vocat, quod ista hirundo ab aliarum more desciverit, nec cum reliquis avolarit.

4. *Suae.* Eiusdem generis aves, coaequatae inter se : *profugam*, desertricem agminis, quod ut in re militari capitale est, ita fuit huic hirundini, quum discerperetur. *Rad.*

5. *Sero dedit poenas, etc.* Alludit ad fabulam Procnes, quam dicit tum discerpendam fuisse, ubi ipsa suum filium Itym discerpebat ; simulque ludit in verbis *discerpi* et *lacerare*.

68. — AD LESBIAM.

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi ;

Aureus color capillorum Germanicorum, καὶ πάντων σχεδὸν τῶν πρὸς ἄρκτον οἰκούντων. Iuv. Sat. XIII, 164: *Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem?* Emptae autem hae comae a plerisque mulieribus capillorum colorem mentientibus. *Herald.*

1. *Arctoa de gente.* Ex Germania, quae est sub Arcto ad Septemtrionem: Germani vero flavam comam alunt ; at Romae nigram alebant matronae,

Vt scires, quanto sit tua flava magis.

flavam meretrices. Sic Poëta Lesbiae impudicitiam ostendit, quae flavos crines affectaret. Iuvenalis de Messalina, sat. vi, 121: *Et nigrum flavo crinem abscondente galero Intravit calidum veteri centone lupanar.*

2. *Vt scires, etc.* Vt videas quam impudenter fucum facias meretricium, cui placet caliendrum, seu coma empta et factitia, quae vel Germanorum crines nativos flavo colore superet.

69. — IN M. ANTONIVM.

Antoni, Phario nil obiecture Pothino,
Et levius tabula, quam Cicerone, nocens;
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro;
Et tantis opibus vox tacet una tibi.

lugens et aeternum aeterni Ciceronis elogium: et simul execratur scelus Antonii.

— Antonius, iostituto triumviratu, multos cives proscripsit, id est, neci destinavit, eorum nominibus iu tabula publice proposita scriptis, et addito pretio, quod percussori numeraretur. En. P.

1. *Photino* lo edd. vett. — *Antoni.* Nota est Antonii triumviri historia, qui multos cives Romanos proscriptione durante ioterfici iussit, scelus tamen minus alios omoes interficiens, quam unum Ciceronem opprimens admisit: Pothinus Aegyptius Pompeium Magnum iussu Ptolemaei occidit. — *Phario.* Aegyptio. Notant autem historiae omoes, pessimum istum Euouchum Pothinum, qui magno illi Pompeio perniciem molitus est, iustas tandem sceleris sui poenas luisse. Vid. lib. III, epigr. 65 et 52, unde huic fax. — *Nil obiecture.* Nihil habes quod illi exprobres.

2. *Levius tabula, etc.* Minus tota proscriptorum tabula nocens, quam uno Cicerone.

3. *Romana stringis.* Vltimam vocalem vocis praecedentis brevem produxit propter duas consonantes sequentis dictionis. Sic Virgilius: *Date tela, scandite muros.* — *Romana in ora.* Hoc est, io Ciceronem. Vnde lib. III, epigr. 65, de eodem Cicerone: *Hoc tibi, Roma, caput, quum loquereris, erat.*

4. *Nec Catilina nefas.* Si revixisset iste, cui tamen maior odii causa Ciceronis, quam tibi. Catilina, Cicerone consulatum gereote, in Rempublicam coniuravit; quam cooiurationem exstinxit consul, strangulatis in carcere principibus consciis. Ipse Catilina commisso contra senatus copias praelio interfectus est. En. P.

5. *Impius infando.* Popilius Laenas, percussor Ciceronis, qui illum capitis reum defenderat.

6. *Tantis opibus.* 250000 drachmis

Quid prosunt sacrae pretiosa silentia linguae?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

Atticis corruptus est Popilius; Appian. lib. IV. Tanto ergo pretio emisti silentium, recisa Ciceronis lingua. — *Vna vox.* Ciceronis, qui te Philippicis tantopere exagitavit. Eo. P.

7. *Quid prosunt.* Quasi dicat, frustra laborasti in emendo hoc tam pretioso silentio; quod tamen haud prodest, nam ut sequitur: *Incipient omnes pro Cicerone loqui.*

8. *Incipient omnes, etc.* Omnes iam in crudele hoc tuum facinus invehentur. *Rader.*

70. — DE SYRISCO, AD MAXIMVM.

Infusum sibi nuper a patrono
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse!
Quanto maior adhuc, nec accubare!

Syriscum libertum ganeonem et conturbatorem illustrem, inter paucos dies decoxisse, ait centies centena millia HS, id est, 1,570,000 francorum. *Syriscus* autem est nomen fictum et servile, Syri enim plerique servi a poëtis introducuntur.

1. *Infusum, etc.* Donatum a patrono post manumissionem.

2. *Plenum, etc.* Iustum, integrum centies.

3. *Sellariolis, etc.* Ganeis et tabernis, ubi non honeste accumbebant, sed ventri indulgebant sedentes. Sic *sellariam* appellavit cellam suam, et sedem arcanarum libidinum Tiberius; Suet. in Tib. Tacitus, Annal. lib. V: *Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt* sellariarum, spintriarum. « Sellaria autem, *inquit Torrentius*, sellae ipsae ad libidinem excogitatae. » Sic apud Plinium lib. XXXIV, cap. 8: *Sellaria domus aureae Neronis.* Hinc illustrandus Iuvenal. Sat. x, 92: *Tutor haberi Principis, augusta Caprearum in rupe sedentis cum grege Chaldaeo.* Nota *sedentis*, propter sellariam. H. — *Vagus popinis.* Quo honesti homines, immo et paulo honestiora mancipia raro intrabant; praecipue Athenis. Sed nunc apud nos: O mores!

4. *Quatuor.* Neronis, Grilli, Titi, Agrippae. — *Peregit.* Consumpsit, decoxit.

5. *Comesse.* Comessationibus absumpsisse.

6. *Quanto maior, etc.* Atqui id non iustis conviviis et coenis, sed ientaculis, prandiolis, repotiis, etc. in quibus non accubuit. Quasi dicat, quantum consumpsisset, si accubuisset, id est, si convivium iustum, aliquot convivis de more invitatis, apparasset?

71. — AD FAVSTINVM.

Humida qua gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis, Cancri mensibus, alget ager,
Rura Cleonaeo nunquam temerata Leone,
Et domus Aeolio semper amica Noto,
Te, Faustine, vocant: longas his exige messes
Collibus: hibernum iam tibi Tibur erit.

Invitat Faustinum aestu fervente in Trebulanum agrum, ipso Tibure frigidiorem.

1. *Trebula.* Vicus, Strabonis testimonio, aut oppidum in Sabinis aestate frigidissimum: nunc *Monteleone*. — *Submittit valles.* Totam regionem Sabinorum, olivarum et vitium feracem Strabo tradit.

2. *Cancri mensibus.* Mense scilicet Iulio, quo Cancer signum caeleste fervat; et mense Augusto, quo Leo ardet. Cleonaeus dictus, quia prope Cleonas, oppidum Peloponnesi, Leonem inter astra deinde relatum interfecit Hercules.

3. *Rura*, amoena rura Trebulae te invitant. — *Cleonaeo nunquam, etc.* Rura Trebulana nunquam adusta sunt calore solis; Augusto mense, quo Leo aestuat, semper frigida sunt, etiam summa aestate.

4. *Domus Aeolio, etc.* Villa Austro exposita. Venti in Aeoli ditione esse perhibentur. Notus autem proprie ab Aeolia, *foeta furentibus austris*, Italiam afflat; atque a meridie spirat, ventus humidus, unde recte supra poëta, *humidam Trebulam* vocavit.

5. *Longas his, etc.* Aestatem longam, dies aestivos.

6. *Hibernum.* Hoc est Trebulanus ager adeo frigidus est, ut aestate non iam frigido Tibure, sed Trebulae mansurus sis.

72. — AD RVFVM, DE ORIGINE BACCHI.

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
Ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.

Iocus ex nomine Bacchi sumptus: Graecis enim διμήτωρ, seu *bimater* dictus; quasi duas habuerit matres: Iovem ex cuius femore natum aiunt, et Semelen Cadmi filiam, ex qua denuo flammata, velut igne prodiit. Qui in monstroso Bacchi διμήτορος καὶ διθύρου Iovis scilicet femore perfecti et renati partu, monstroso ludit ingenio, Iovem Bacchi matrem vocans, cur non aeque ἀτόπως et Semelen appellat patrem Bacchi? verum non tam rationem et analogiam hic vel ignoravit vel non examinavit Martialis, quam iocum affectavit.

2. *Potest Semelen, etc.* Nam ut Iupiter vir et tamen mater, ita Semele licet foemina potest dici pater, aut si hoc absurdum, erit et illud.

73. — AD THEODORVM.

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, et exigenti,
Miraris, Theodore? magna causa est;
Dones tu mihi ne tuos libellos.

Excusat quod non Theodoro oranti mittat libros suos; se metuere ne hic mittat suos verisimiliter inficetos. Ed. P.

74. — DE POMPEIO, ET FILIIS.

Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes; si tamen ulla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

1. *Pompeios, etc.* Cneius Pompeii Magni filius interiit in Europa, victus a Caesare ad Mundam in Hispania: Sextus periit a militibus Antonianis interceptus Mileti in Asia. — *Sed ipsum, etc.* Pompeius Magnus occisus in Libya seu Africa, ad Pelusium Nili ostium sepultus est. Strabo. lib. XVI, in monte Cassio sepultum refert.

2. *Si tamen ulla tegit.* Neque enim constat an sepultus fuerit. *Iacet ingens litore truncus*, dixit Virgilius de Priamo, sed respexit Pompeium, Aen. II, 557; et illud, *Marmoreo in tumulo Licinus iacet, at Cato parvo, Pompeius nullo. Quis putat esse deos?*

3. *Toto si spargitur orbe.* « Et quasi non posset tellus tot ferre sepulcra, Divisit cineres » Petronius antea, de Crasso, Pompeio et Iul. Caesare.

4. *Vno loco.* Vnus locus, una provincia, pars etiam mundi tota non capax erat tantae ruinae. Nobile Pompeii et filiorum elogium hyperbolice quidem, tamen digne concinnatum. Ed. P.

75. — AD QVINTVM.

Quae legis causa nupsit tibi Laelia, Quinte,

1. *Legis causa nupsit, etc.* Quae lege et iure nupsit: sed ludit Poëta quum a notatione *legis* et *legitimae*, tum ab homonymia τοῦ *legitimam*; quasi dicat, adultera Laelia nupsit Quinto moecho: ideoque metu legis Iuliae in adulteros latae et a Domitiano revocatae. Vide lib. VI, epigr. VII: legendum et 88 Ausonii. Vxor legitima erat νόμιμος, quae secundum leges in manum mariti convenerat κατὰ νόμιμον σύνοδον, ut loquitur Philo

Vxorem potes hanc dicere legitimam?

alicubi; et opponitur παλλακῇ et concubinae. Hic ergo *uxor legitima*, quae Iuliae legis metu nupsit; uxor nempe secundum leges tunc vigentes. *Herald.*

2. *Vxorem legitimam.* Sic factam ex lege Iulia: haec autem lex adulterum, ni vellet graves luere poenas, adulterae nubere cogebat. De Domit. qui hanc legem modo revocaverat, Iuv. Sat. II, 30: *qui tunc leges revocabat amaras.* Ed. P.

76. — AD CINNAM.

Profecit puto Mithridates saepe veneno,
Toxica ne possent saeva nocere sibi.
Tu quoque cavisti coenando tam male semper,
Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

Iocus in Cinnam pauperem, a comparatione Mithridatis, veneno assueti, et Cinnae, fami.

1. *Profecit puto, etc.* Plinius, Hist. Nat. lib. XXV, c. 2, sic rem effingit: *Vni ei (Mithridati) excogitatum quotidie venenum bibere, praesumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret. Primo inventa genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen eius retinet. Illius inventum autumant sanguinem aratum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viverent.*

2. *Toxica ne possent.* Venena, quasi taxica: taxus (gallice *if*) arbor nocens, cuius umbra exitialis esse dicitur. Plinius XVI, 10. Ed. P.

3. *Tu quoque cavisti.* Tam intime fami ferendae assuevisti, tam fortiter illam sustinere didicisti, ut nihil iam in te valeret. Ed. P.

77. — AD MARVLLVM.

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auriculam.

2. *Qui te ferre.* Assentatores enim, dum potentioribus blandiuntur, in eorum aures oleum infundere videntur. Alii aliter explicant hoc adagium, et legunt, *in auricula*, ut sit sensus: Marullum rigida et supina aure fuisse, id est, omnia aversantem et fastidientem aliorum dicta. Sic lib. VI, epigr. 42: *Non attendis, et aure me supina Iamdudum quasi negligenter audis.* Metaphora ducta a gestu eorum, quibus aliquid in aurem infusum est; et, ne effluat, aurem supinant. Qui loqui non posset, apud antiquos dicebatur oleum ore gestare: ita qui nihil audit videtur oleum ferre in auricula: vel poëta hic habitum capitis in Marullo irridet ac notat, ut qui perinde incedat et caput in dextrum aut sinistrum humerum incli-

net, ac si oleum in illa ferret, ac sollicitus esset, ne effunderet, sicut hi quos incurvicervicum pecus nominat Pacuvius. *Rad.*

78. — AD TVRANIVM.

Si tristi domicoenio laboras,
Turani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocae, gravesque porri.
Divisis cybium latebit ovis;
Ponetur digitis tenendus unctis

Turanii nomen verum est, ad quem epistola Martialis initio lib. IX, *Ave, mi Turani, etc.* Singularis fuit Poëtae amicus, quem et fratrem appellat.

1. *Si tristi, etc.* Ne tristis et solus domi coenes, poteris apud me coenare, frugali et parabili mensa contentus. — *Tristi, etc.* Non quod Turanius pauper; sed quod domi sine familiarium affatu et usu, tristius quam inter sodales coenaturus esset.

2. *Esurire mecum.* Hoc est contentus esse frugali mensa.

3. *Si soles προπίνειν.* Apponentur tibi in libationem, promulsidem, antecoenium, gustationem seu gustum. Προπίνειν ergo est praegustare ante coenam. Vox *πρόπομα* dicitur de gustu, qua voce etiam *esca* significatur. Verbum enim *propino* apud Latinos non de potione tantum, sed de cibo etiam usurpatum reperio. Iul. Capitolin. in M. Antonio, *Venenatam partem fratri edendam propinans.* Terent. Eunuch. *Hunc ego vobis comedendum et deridendum propino.* Et translate aliquem ridendum aliis propinare dicunt. Placet Radero quod Bisciola notavit: credit enim Martialem voluisse dicere: *Non deerunt tibi, si voles προπίνειν, viles Capp. etc.* Nam, inquit, propinare non de cibo dicitur, sed de poto. Praeterea quis vidit unquam herbas propinari, et in principio coenae? Quasi dicat: Non defutura illi genera ciborum, quae si vellet bibere Turanius, desiderium possent excitare bibendi: hodieque quum ad bibendum invitamus, id facimus, olivis, porris, etc. Merula vero legendum censet, *Sessiles propinquae*, id est, lactucas vulgares in urbanis hortis usque obviae, de quibus lib. III epig. 47. Plinius lib. XIX, cap. 7, facit mentionem Cappadocarum. *Diligentiores*, inquit, *plura genera (lactucarum) faciunt, purpureas, crispas, Cappadocas, Graecas.*

4. *Viles Cappadocae.* I. e. lactucae Cappadocae; lib. XIII, epigr. 14. — *Graves porri.* Odorene? an graves stomacho, capiti, oculis?

5. *Divisis cybium latebit ovis.* Piscis e Pelamidum genere concisi in frusta, ovis ruptis frixa et tecta. Plin. lib. XXXII, cap. 21, et Athenaeus, lib. 3, cap. 52.

6. Ant. *de Rooy* tentabat *udis*, ab humore sc. qui succidis caulibus tenendo exprimitur. Quod epitheton et summo iure Burmannus vindicavit Nasoni Art. Am. I, 662, ubi *uncta* parum feliciter ex nonnullis codd.

Nigra cauliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum;
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.
Mensae munera si voles secundae,
Marcentes tibi porrigentur uvae,
Et nomen pyra quae ferunt Syrorum;
Et quas docta Neapolis creavit,
Lento castaneae vapore tostae;
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post haec omnia forte si movebit

defendit Heinsius. — *Vnctis.* Propter oleum cauliculis superfundi solitum. Lips. V, Epist. Quaest. lib. I. Gruterus retinet *ustis*, propter ἀντίθεσιν τοῦ *algentis horti*, quod sequitur.

7. *Cauliculus.* Coliculus, seu cauliculus, a caulibus dictus: brassicae est interior pars, resecta a caule; ita ut thyrsus ipse sit brassica, caulis, coliculus. Vide lib. XIII, epigramm. 17. Saepe brassica et cauliculi pro eodem sumuntur. *Rader.* — *Nigra patella* est fumosa, vel parum nitida. Ed. P.

8. *Algentem hortum.* Molliores sunt cauliculi hyeme; forsan per Saturnalia haec Martialis.

9. *Et pultem.* De pultibus scribit Apicius, lib. V, cap. 1. Nivea dicitur, hoc est, ex farina tritici candida. — *Pultem niveam, etc.* Pulti ex alicae farina impositus botellus. — *Niveam.* Nempe ex alica sectam; alicae autem farina candidissima. Lib. II, cap. 5, sic botellum describit Apicius: *Botellum sic facies ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cepam, et porrum concisum, thusque crudum admiscebis, cum pipere modico, atque ita intestinum farcies; adirctoque liquamine, et vino decoquas.* — *Botellus* ergo genus farciminis fuit, sine carnibus tamen. Alii sanguine fartum fuisse. Apud nos, *boudin.*

10. *Rubente lardo.* Rubet laridum vetus et fumosum.

11. *Mensae secundae.* In secundis mensis bellaria et fructus apponebantur. Ed. P.

12. *Marcentes, etc.* Maturae, vel duracinae. Brodaeus vult aliis dici, *tempore corruptas*; quibusdam, *liquore plenas.*

13. *Nomen pyra, etc.* Pyra Syra, ex Syria allata.

14. *Docta Neapolis creavit.* Studiis literarum et gymnasiis celebris. Neapolitanae autem castaneae laudatae, quae et torrentur et elixantur.

15. Codex Bodleianus et Beverlandi MS. *coctae.*

16. *Vinum tu facies, etc.* Vinum qualecunque sapiet tibi non ante sitim bibenti; vel, Liberalius bibendo videberis approbare vinum meum qualecumque.

17. *Post haec omnia, etc.* Quod si vinum tibi moverit appetitum novum, naturali calore accenso; vel

Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivae,
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, et tepens lupinus.
Parva est coenula, quis potest negare?
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes;
Nec crassum dominus leget volumen;
Nec de Gadibus improbis puellae
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.
Sed, quod non grave sit, nec inficetum,
Parvi tibia condyli sonabit.
Haec est coenula. Claudiam sequeris;

etiam vomitu. Hoc autem ante vel in coena factitabant Veteres ad purgandum stomachum et provocandum appetitum.

21. *Fervens cicer, etc.* Ab igne coctum, nam frigebatur: vel, naturae fervidae; comburit enim, urinam movet, etc. Athenaeus, lib. II, cap. 14. — *Tepens lupinus.* Aqua maceratus tepenti.

22. *Parva est coenula.* Sed iucunda, qualis esse solet inter amicos, in qua, quidquid in buccam venerit, quisque garriet sine ullo delatorum timore.

23. *Sed finges.* Verum coenae tenuitatem compensabit libertas et sinceritas, ubi non erit opus simulatione et dissimulatione, ut in mensis divitum. Vel non fictis narrationibus et molestis condientur epulae, ut apud divites ubi convivae omnia faciunt ad gratiam, ad veritatem fere nihil.

24. *Vultu tuo.* Hoc est, non composito in alterius gratiam.

25. *Nec crassum dominus leget volumen.* Nec ego molestus tibi ero, longo volumine legendo inter mensam; ut lib. XI, epigr. 53, vs. 19. Οὐ μελοποιὸς ἐρεῖ· κατακείμενος. Anthol. lib. II, cap. 47.

26. *De Gadibus.* De quibus lib. I, epigr. 42; unde puellae saltatriculae levitate et lascivie famosae Romam ducebantur.

30. *Tibia condyli.* Condylus tibicen fuisse videtur. Alii putant loqui Poëtam de tibia quae parvum haberet foramen instar condyli, qui proprie nodus est in digitis incurvis exstans. Prior sensus mihi videtur melior; et ipse suspicatus est Gruterus Condylum esse nomen hominis. Ed. P.

31. *Claudiam.* Hoc est, aderit et Claudia a te amata, quam libenter sequeris, et omnium primam adesse cupis. Catullus, qui eiusdem sectae, Carm. XIII; *coenabis*, inquit, *sed non sine candida puella.* Epicurei enim omnes in voluptatem coenae

Quam nobis cupis esse te priorem.

adhibent puellam. Ed. P. Vulgata lectio: *Quam nobis cupis esse turpiorem*; ne illius amore capiamur, ut nempe solus ea potiaris. *Et nisi coena prior potiorque puella*, Horat. epist. I, 5. — *Claudiam sequeris*. Aderit et Claudia, deliciae tuae, quam scio te libenter sequuturum: immo cupies te priorem nobis esse propter eam, quam vel nobis magis adesse velis. Commodius ergo scriberetur: *Iam nobis cupis esse te priorem*. Claudiam uxorem Pudentis alii intelligunt. Ed. Par.

79. — IN ZOILVM.

Vndecies una surrexti, Zoile, coena;
Et mutata tibi est synthesis undecies;
Sudor inhaereret madida ne veste retentus,
Et laxam tenuis laederet aura cutem.
Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, coeno?
Frigus enim magnum synthesis una facit.

Zoilum vestium ostentatorem exagitat. Zoilus, ut ostenderet plores esse sibi vestes eiusmodi, fingebat se sudare, et quasi depositurus madidam sudore synthesin, aliam sumebat. Vis non sudare, ait Martialis? ne muta syntheses; unaque contentus esto, quali ego utor; non sudabis, aut sudare te simulabis; immo algebis.

1. *Vndecies*. Zoilum hunc, de quo iam lib. II, epigr. 16, carpit, qui alia de causa synthesin non mutabat, nisi ut suarum vestium copiam ostentaret. Synthesis vestis est, qua domi utebantur Romani in coena, atque foris Saturnalium tempore. Mutandae vestis causa, quum te sudore perfusum fingeres.

2. *Synthesis*, In vestiario composita; vel quae simul induitur, sed raro et festis diebus. Ed. P.

4. *Laxam tenuis*, etc. Ex sudore porosam; vel *laxam*, distentam et turgentem: corpus sc. tuum praepingue et obesum. *Rader*.

6. *Frigus enim*, etc. Solus sudas, alii frigent; quippe unus multas habes syntheses, quas ostentare cupis, nos unam et detritam.

80. — AD SEVERVM.

Non totam mihi, si vacabis, horam,

Librum Severo censendum mittit, quem immortalem futurum dicit, a Severi et Secundi castigatione prodeuntem. Ordo verborum est: Severe, si vacabis (malim *vacabit*), non totam horam mihi dones et imputes legendo libello.

1. Farnabius malit, *vacabit*.

Dones, et licet imputes, Severe,
Dum nostras legis exigisque nugas.
Durum est perdere ferias. Rogamus,
Iacturam patiaris hanc, ferasque.
Quod si legeris ipse cum diserto
(Sed numquid sumus improbi?) Secundo,
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo libellus.
Nam securus erit, nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi videbit;
Quem censoria cum meo Severo
Docti lima momorderit Secundi.

2. *Et licet imputes*. Hoc est, Per me licet ut me semihorae mihi concessae debitorem facias. Hanc horam tantum beneficium habebo, ut liceat mihi imputes et in meis rationibus numerem, quasi rem magnam tibi deberem.

3. *Exigisque nugas*. Ad examen et trutinam iudicii castigas.

4. *Durum est, etc*. Obiectio ex persona Severi. Non est aequum me otia mea perdere nugis tuis impensa. — *Rogamus*. Respondet Severo Poëta.

5. *Iacturam patiaris*. Quasi dicat: Perdes tu quidem ferias; sed rogo përde nostra causa leve momentum otii tui.

7. *Improbi*. Qui tibi adiungimus comitem aeque gravibus, ac tu, districtum negotiis. *Improbi*. Impudentes, quod hoc abs te petamus.

8. *Plus multo, etc*. Plus tibi castigatori, quam mihi auctori. Vide quanti faciat poëta limam, et castigationes doctorum.

10. *Nec inquieta*. Nota Sisyphi fabula, qui in Inferis ingens saxum sine ulla quiete movet. Sensus est: Meus libellus non adibit Inferos. Dicebant Veteres poëmata adire Inferos, et interire, quum non legerentur.

13. *Lima*. Egregia metaphora. Lima habet suos dentes, unde dicitur mordere ferrum, quum illud polit. Sic eruditi viri emendando versus impolitos mordent, seu poliunt. Censoria dicitur, quia censores corrigebant mores civium et notabant. Ed. P.

81. — AD AEMILIANVM.

Semper eris pauper, si pauper es, Aemiliane.

1. *Semper eris*. Mores sui temporis carpit Poëta, quo soli divites rem faciebant. Idem queritur Iuvenalis sat. III, quum de Codro paupere et Artorio divite agit. Vid. et sat. I; ac notissima proverbia.

Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

82. — IN GAVRVM.

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta,
  Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, et non vis? rogo, non est turpius istud?
  I, tibi dispereas, Gaure : pusillus homo es.

Avarum carpit Gaurum, qui quum poëtae ducenta millia HS. in foenus promisisset, petenti nec decem millia credere voluit.

1. *Quid.* « In denegando queis pudor est paululum : post ubi tempus est promissa iam perfici, etc. » Charinus apud Terent. — *Promittebas*, *etc.* Mutuo, foenore, vel gratis. — *Millia ducenta*; circiter, 31,400 francicorum.

2. *Si dare non poteras.* Vel foenori, vel gratis.

3. *An potes, et non vis, rogo? Non est turpius istud Si tibi: Dispereas, Gaure, pusillus homo es* correxit Lipsius Epist. Quaest. 1, 5, quae lectio non minus intricata est, iudicio Heraldi, qui proposuit: *An potes, et non vis? Rogo non est turpius istud Sic tibi? Dispeream, Gaure, etc.* Ant. *de Rooy* conj. *At potes, et non vis: rogo, etc.* ut sit prolepsis. At dices fortasse, te posse quidem; sed non velle. Cf. Cic. Fam. lib. VII, epist. 23. Lectio nostra debetur Scaligero. — *An potes.* Si poteras, inquit poëta, et nolebas, cur es pollicitus? nonne hoc est turpius, quam si mihi petenti, statim a principio negasses; aut nihil petenti, nihil pollicitus esses. Quas noluisti mihi dare, ea tibi habeas, male iis utaris, quae nec bene tibi vertant. Ita emendavit Scriverius de consilio Scaligeri; quum antea legeretur *disperas*.

4. *I, tibi disperdas* (*dispereas*). Haec lectio mihi videtur perobscura: omnium optime, meo iudicio, legit Heraldus: *An potes, et non vis? rogo non est turpius istud Sic tibi? Dispeream, Gaure, pusillus homo es.* Nos praetulimus, *I, tibi dispereas.* Male pereas. *Tibi* abundat hoc loco, ut saepe alias. Imprecatio solemnis, ut lib. 1, epigr. 40, *Dispeream si non hic Decianus erit*; et lib. II, epigr. 69, *Si non mentiris, Classice, dispeream.* — Potest explicari etiam *disperdas*, scilicet, disperde tuam rem avare, male consume. Sensus esse totius huius epigrammatis videtur: Pro tua pecunia quam promiseras, tuum nomen immortalitati consecravissem; pusillus ergo homo es, qui tale munus respuisti. Ed. P.

83. — AD DINDYMVM.

Insequeris, fugio; fugis, insequor; haec mihi mens est:
  Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

84. — AD GALLAM

Iam tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro;
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus e popina,
Aedilem rogat udus aleator.
Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quae solebas.
Sane sic abeat meus December.

Queritur nil sibi xeniorum a Galla missum Saturnalibus, se tantumdem Gallae remissurum Martialibus.

1. *Nucibus relictis.* Nucibus ludere solebant pueri Romani Saturnalium tempora, mense scilicet Decembri, quo vacabant a studio. Quinque vero erant legitimi Saturnalium dies quibus finitis ad studium revocabantur. Plin. epist. VIII, 7.

2. *Revocatur.* In scholam scilicet. Namque Saturnalibus ferventibus, cessabant scholae: exactis, aperiebantur.

3. *Et blando male perditus* in edd. vett. *Et blando male protinus* Beverlandi MS. — *Et blando.* Saturnalium tempore concessum erat iuvenibus virisque alea ludere; Martial. lib. XIII: *Nec timet Aedilem moto spectare fritillo.* Saturnalibus enim forum aleatorium calefaciebant. At praeteritis Saturnalibus si ludentes deprehenderentur ab Aedili, magistratu nempe cui id curae erat, puniebantur. Fritillus, pyrgus sive turricula est, ex qua mittebantur tesserae in tabulam lusoriam. — *Proditus.* A rotali concussique fritilli sono proditus Aedili ganeas inquirenti. — *Fritillo.* Lib IV, epigr. 14, vs 8.

4. *Arcana modo, etc.* Palam ludere post Saturnalia nefas erat — *E popina.* Vbi lurcones, ganeones et aleatores ab Aedilibus vestigabantur. Seneca, de Vit. Beat. cap. 8

5. *Aedilem rogat.* Vt sibi parcat, nec in ius trahat. — *Vdus aleator,* vino madens, aut vapore popinae.

6. *Saturnalia transiere.* Quibus nempe solebant amici ad sese invicem munera mittere. Ep. 4, 89.

8. Beverlandi MS. et cod. Pulman. *quam solebas;* et sic Heinsius infra.

9. *Meus December* Qun mense Saturnalia virorum celebrabantur; Kalendis vero Martiis Saturnalia foeminarum. Macrobius, lib. I, cap. 12: *Et servis (mense Martio) coenas apponebant matronae: ut domini Saturnalibus.* His Kalendis celebrabant natalem Veneris. Docet amandi magister ne eo tempore puellarum captentur amicitiae, quia solent tunc temporis plurima pro iure suo flagitare. Art. Am. I, 403: *Nec teneras tutum est semper captare puellas;*

Scis certe puto, vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas:
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Saepe dato melius tempore fiet idem: Sive dies suberit natalis, sive calendae, Quas Venerem Marti continuasse iuvat.

12. *Quod dedisti.* Scilicet nihil.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATVM
LIBER VI.

I. — AD IVLIVM MARTIALEM.

Sextus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi care Martialis,
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minus anxius tremensque
Magnas Caesaris in manus venire.

Ad Iulium Martialem mittit castigandum novum libellum, ut exire securius, et in manus Caesaris venire possit.

3. *Si terseris.* Alludit ad spongiam de qua lib. IV, epigr. 10. Hoc est, si acri iudicio, quae sunt delenda, accurate deleveris, et emendaveris. *Aure diligenti* dixit, quod superbissimum sit aurium iudicium. — Libri enim quasi nobiscum loquuntur, et auris est symbolum iudicii censuraeque. Ed. P.

5. Sunt qui legant, *Magni Caesaris.* — *Magnas.* Sic iam de Domitiano loquutus est lib. IV, epigr. 8: *Ingentique tenet pocula parca manu.*

2. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Lusus erat sacrae connubia fallere taedae;

Laudat Caesarem quod legibus coërcuerit adulteria et castrationes marium, et inde succurrisse hominum multiplicationi, et malos mores frenasse. Ed. P.

1. *Lusus erat.* Hoc est, antea lusus erat adulteria committere, et mares castrare, quod utrumque fieri prohibuit Domitianus, teste etiam Suetonio in Domitiano, cap. 7.

Lusus et immeritos exsecuisse mares.
Vtraque tu prohibes, Caesar, populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec spado iam, nec moechus erit, te praeside, quis-
At prius (o mores!) et spado moechus erat. (quam.

2. *Exsecuisse mares.* Castrare. — *Exsecuisse.* Exsecare, ἐκτέμνειν. Sic *circumsectos* Iudaeos dixit Suetonius in Domit. quos *circumcisos* vulgo appellamus.

4. *Sine fraude.* Id est, legitime, non ex adulterio.

6. *Et spado.* Qui ducebat uxorem non sibi, sed aliis, unde ipse erat adulter suae uxoris. Iuvenalis Sat. I: *Quum tener uxorem ducat spado, etc.* Vel potius intellige etiam spadones mulieribus, quae parere nollent, gratos fuisse, infr. epigr. 67. Iuven. Sat. VI, 367: *Sunt, quas eunuchi imbelles, et mollia semper Oscula delectent.*

3. — DE FILIO DOMITIANI.

Nascere, Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deum soboles: nascere, magne puer.
Cui pater aeternas post saecula tradat habenas;
Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,

Ex Domitia uxore, de qua modo loquemur, infra not. 2: neque enim placet hoc de conceptu Iuliae, quem ipse pater et patruus abortivum esse voluit, intelligi; ut censet Calderinus.

1. *Nascere, Dardanio.* Iulo nempe filio Aeneae promiserant fata aliquando nasciturum hunc puerum, cui nomen Iuli destinabatur. — *Nascere.* Nascentem puerum alloquitur poëta, vel potius natum et crescentem; sicut stirpem dicimus nasci, dum crescit. — *Dardanio.* Troiano, a Dardano. — *Promissum, etc.* Imitatio Virgiliana. *Iulius a magno demissum nomen Iulo*, Aeneid. I; et Ecl. IV, *Cara deum soboles, etc.* — Haec autem *vera*, Domitiani scilicet Dei ac Domini. Lib. V, epigr. 8.

2. *Vera Deum.* Domitianus enim eius pater Dominus et Deus appellabatur. Lib. V, epigr. 8. — *Magne puer.* Ex Domitia uxore, cuius mentionem facit Suetonius in Dom. cap. 3, non ex Iulia Titi eius fratris filia, cuius amore misere peribat Domitianus, quam conceptam abigere coëgit, teste eodem Suetonio, cap. 22, in Domitiano, *ut etiam causa mortis illius exstiterit.*

3. *Habenas.* Hoc est, imperium administrandum, postquam Domitianus diu illud rexerit.

5. *Ipsa tibi niveo, etc.* Parcae Deae dabunt patrueli tuae Iuliae filiae Titi,

Et totam Phryxi Iulia nebit ovem.

partes suas: atque Iulia pro amore sua tibi nebit pollice niveo (qui longaevitatem figurat) fila aurea, quae summam portendunt felicitatem; namque ex disciplina Hetruscorum aries insolito colore indutus, regi vel Imperatori omnium rerum largitionem portendebat. — *Ipsa tibi.* Iulia a Domitiano patruo adamata, te filium eius amabit, et Parcarum vicibus fungetur, tibique ducet fila aurea, a quibus pendet dierum omnium prosperitas. — *Niveo pollice.* Seneca de Nerone: *Aurea formoso descendunt pollice fila.*

6. *Phryxi, etc.* Vellus aureum, quale erat arietis illius quo Phryxus vectus e Boeotia in Colchos transfretavit. Fuit Phryxus Athamantis filius, qui quum novercam Nephelen, feminam impotentissimam, ferre non posset, profugit una cum Helle sorore. Abduxere secum arietem eximium aureo vellere, cuius in tergo ad traiiciendum Hellespontum, quum navis nulla suppeteret, sederunt. Helle in mare decidit et Hellesponto nomen dedit; Phryxus in Colchidem pervenit ad Aeeten, Medeae patrem: ibi arietem Marti immolavit, eiusque aureum vellus regi tradidit. Aries in sidera relatus est. — *Iulia.* Titi filia, neptis Domitiani. Illa igitur Domitiani filium non poterat non, utpote sanguinem patrui, amare: sive amarit, sive oderit, hoc poëta ex decoro fingit. Sensus ergo est: Iulia quasi dea, Parcarum loco tibi nascenti, natoque nebit felicia vitae stamina et aurea fila, totumque vellus aureum, id est, meram felicitatem.

4. — ADVLATORIVM.

Censor maxime, principumque princeps,
Quum tot iam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,

Laudat Domitianum, quod legem Iuliam de stupris, et Scatiniam de impudicitia, et adulteris puniendis revocarit, atque histrionibus scena interdixerit; pueros castrari a mangonibus vetuerit, etc. praefertque hanc Caesaris laudem et factum caeteris omnibus seu triumphis, seu templis.

1. *Censor maxime.* Censuram sibi assumpsit maximam. Domitianus revocavit legem Iuliam de adulteriis puniendis, mares castrari vetuit, Vestalium impudicitiam severe coërcuit; Corneliam enim virginem maximam, absolutam olim, dehinc convictam defodi imperavit: unde merito maximus censor dicitur. — *Principumque princeps.* Romanorum enim Imperatori caeterarum gentium reges tributa solvebant.

2. *Triumphos.* Ex Dacis sc. Cattis et Sarmatis.

3. *Tot nascentia.* Tot nova, et ab integro ex fundamentis erecta, et tot renata seu restituta.

Tot spectacula, tot Deos, tot urbes;
Plus debet tibi Roma, quod pudica est.

4. *Tot urbes.* Populorum quos vicit. — *Tot deos, etc.* Novos deos, seipsum, patrem, fratrem et Iuliam, cum antiquis, Iove Custode, Hercule, Fortuna Reduce, Iano, etc. Xiphilin. et Sueton.

5. *Plus debet.* Revocatis legibus quae impudicitiam coërcerent, plus meritus es de urbe Roma.

5. — AD CAECILIANVM.

Rustica mercatus multis sum praedia nummis;
Mutua des centum, Caeciliane, rogo.
Nil mihi respondes? tacitum te dicere, credo,
Non reddes: ideo, Caeciliane, rogo.

2. *Des centum.* Millia scilicet sestertium; scilicet 15,700 francicas libras.

3. *Nil mihi respondes?* Id est, tacite negas: nam silentium tuum honesta denegatio est. — *Tacitum, etc.* Tacendo videris dicere me non redditurum.

4. *Ideo rogo.* Si enim essem redditurus, non rogarem, quia non gratis dares; sed poscerem, nec precibus uterer. Mendici rogant stipem, rogant qui donum petuut. Ed. P. — *Ideo, etc.* Vt non reddam, rogo gratis et dono, non mutuo.

6. — AD LVPERCVM.

Comoedi tres sunt: sed amat tua Paulla, Luperce,
Quatuor; et κωφὸν Paulla πρόσωπον amat.

Scoptice excusat Paullam, quod amet quatuor comoedos, inquiens eam non facere praeter legem dramatis. Quamvis enim in scena plures tribus simul loqui non conveniat, inducitur tamen saepe persona quarta, quae vel muta est, vel loqui non laborat, id est, parce loquitur.

7. — DE THELESINA.

Iulia lex populis ex quo, Faustine, renata est,

1. Alii *relata est.* Ita etiam codd. Heinsii, qui vulgatam damnat in Notis ad Ovid. Fast II, 532, quem vide ibidem. — *Iulia lex.* In ea lege sanciebatur, ut si mulier, post adulterium commissum, alteri nuberet, non posset accusari de adulterio, nisi eius adulter antea reus fieret. Itaque adul-

Atque intrare domos iussa Pudicitia est;
Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo iam Thelesina viro.
Quae nubit toties, non nubit: adultera lege est.
Offendor moecha simpliciore minus.

terae, statim relictis suis viris, alteri, interdum ipsi adultero nubebant ut effugerent poenas imminentes sibi a maritis, qui operam saepe ludebant in accusando adultero, ita ut nonnullae intra mensem decies nuberent, ut haec Thelesina. — *Iulia lex populis*, etc. Ex quo tempore Domitianus revocavit legem Iuliam a C. Iulio Caesare Octaviano contra adulteros latam.

3. *Aut minus*, etc. Intra mensem vel 30 dies Thelesina nupsit decies.

4. *Et nubet* legitur in codice Pulmanni.

5. *Adultera lege est*. Thelesina enim, ne adulterii accusaretur, a marito repudiata nubebat moecho, atque coniugii nomine praetexebat adulterium. Sic erat adultera legitima, ut dictum lib. V, epigr. 76, et epigr. 22 infra.

6. *Moecha*, etc. Quae simpliciter moecha est, neque legem ipsasque nuptias adulterat.

8. — AD SEVERVM.

Praetores duo, quatuor Tribuni,
Septem causidici, decem Poëtae,
Cuiusdam modo nuptias petebant
A quodam sene: non moratus ille
Praeconi dedit Eulogo puellam.
Dignum quid fatuo, Severe, fecit?

1. *Praetores duo*, etc. Honores ait iacere et bonas artes: in pretio esse citharoedos, choraulas, praecones, uti et queritur Iuvenal. sat. III, v. 21 et seqq.

3. *Cuiusdam*. Subaudi puellae, cui pater propinquusve erat senex. Ed. P.

5. *Praeconi dedit*, etc. Iis enim temporibus praeconum fortuna ad invidiam usque lauta; quod Martiali indignationem excitabat lib. V, epigr. 56 supra. Nil autem mirum, luxuria crescente; at olim infimorum et miserorum homunciorum ministerium erat. *Herald.*

6. *Dignum quid fatuo*, etc. Immo sapienter fecit, pro more hodierno locandarum filiarum: qui tenuioris conditionis hominibus praelatum elegit generum artis pecuniosae. Nam tribuni et praetores tantum dignitate, causidici eloquentia valebant. Iuven. sat. VII, 6. Ed. P.

9. — AD LAEVINVM.

In Pompeiano dormis, Laevine, theatro;
Et quereris, si te suscitat Oceanus?

1. *Pompeiano*. Erat illud theatrum in regione Vrbis nonae, capiebatque octoginta hominum millia. *Dormis, Laevine, etc.* Sive, Simulas somnum, ne eiiciaris a designatore Oceano.

2. *Si te suscitat*. Dormire se fingebat Laevinus, ne ex quatuordecim subselliis eiiceretur, quum censum equestrem non haberet. Illum irridet poëta, et ludit in ambiguitate huius verbi *suscitat*, id est, removet: alias potest significare, a somno excitat. Oceanus vero erat designator, cui curae erat unicuique locum suum assignare, et expellere eos quibus non ius erat sedendi in equitum gradibus, de quo diximus lib. III, epigr. 95; et lib. V, epigr. 8.

10. — PETIT LATENTER A DOMITIANO PECVNIAM.

Pauca Iovem nuper quum millia forte rogarem;
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
Templa quidem dedit ille Iovi; sed millia nobis
Nulla dedit: pudeat pauca rogasse Iovem.
At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,
Quam placido nostras legerat ore preces!
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis;
Et Capitolinas itque reditque vias.
Dic precor, o nostri dic conscia virgo Tonantis;

1. *Pauca millia*. Sestertium nempe. Non latenter; immo aperte a Domitiano pecuniam petit Poëta.

2. *Qui mihi*. Respondet Iupiter, in cuius honorem Capitolium incendio absumptum restituit Domitianus. Vid. Suetonius in Domit. cap. 5; et lib. V, epigr. 1, vs. 8.

4. *Pudet heu, pauca* codex Pulmanni. — *Pudeat*. A magnis viris et praesertim a Superis magna petere decet; et forte, ut intelligere videtur, nihil dedit Iupiter, seu potius Caesar, quod nihil dignum ipso petierat Martialis.

5. *At quam non tetricus*. Carmen tamen vel libellum supplicem legit vultu non minus sereno, quam quo iura victis dat, quam quo triumphat.

7. *Diademata*. Hoc est, Dacis victis concessit uti suis legibus.

8. *Et Capitolinas*. Et talis triumphans in Capitolium ascendit.

9. *Conscia virgo*. O Pallas, familiare Domitiani numen, quam eximie colit, et cuius filium se esse vult; lib. IV, epigr. 1, vs. 5. Palladem interrogat; nam ipsum Domitianum interrogare, quare nil donarit, et inverecundiae et impudentiae fuisset.

Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?
Sic ego. Sic breviter posita mihi Gorgone Pallas:
Quae nondum data sunt, stulte, negata putas?

— *Tonantis.* Domitiani. Vide lib. V, epigr. 1.

11. *Sic ego, etc.* Sic ego quaerebam, inquit Martialis: sic autem Pallas respondit. — *Posita mihi.* Personam scilicet induta mitem, ita Silius, *Iam bellica Virgo Aegide deposita, etc.* vel alludit ad statuam Palladis in Capitolio positam sine aegide, ut quam Domitianus habet; lib. XIV, epigr. 179. *Gorgone.* Scuto, cui pictura Medusei capitis inerat.

12. *Quae nondum, etc.* Exspecta modo, dabit; neque negavit, quia non statim dedit. — *Negata putas?* Libellum supplicem exaudiet. Ed. P.

II. — IN MARCVM.

Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis turdusve dabatur Oresti:
Sed par atque eadem coena duobus erat.
Tu lucrina voras; me pascit aquosa Peloris:
Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula.
Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?

1. *Quod non sit.* Causam affert Poëta, cur nulla esset vera amicitia; quod nempe inter eos qui amici esse cuperent, nulla esset rerum communio.

2. *Idem* vinum atque Orestes.

3. *Nec melior rhombus* ex codd. reposuit Scriverius: alii habent, *Nec melior pavus.* Heinsius ad Ovid. Heroid. VIII, epist. 9, ex duobus veterrimis codd. legit: *Nec melior rhombus, turdusve dabatur Orestae:* sed omnes impressi habent, *Oresti.*

5. *Tu Lucrina.* Lacus Lucrini ostrea optimi sunt saporis. Lib. III, epigr. 60. — *Aquosa Peloris.* Ostrei genus est Peloris, quam aquosam dicit, hoc est, flaccidam; nempe sine callo, sicut ait Raderus, quo multum commendantur ostrea.

6. *Non minus, etc.* Non mihi minus exacta est tenuis saporum ratio, nec minus deliciarum cupido quam tibi.

7. *Pinguis Gallia vestit.* Sagum Gallicum crassioris erat villi; vide lib. IV, epigr. 19, v. 1. Pinguiores enim crassioresque olim vestes a textoribus Gallis. Iuven. sat. IX, vs. 28: *Pingues aliquando lacernas, munimenta togae, duri crassique coloris, Et male percussas textoris pectine Galli Accipimus.* Has παχείας dicit Iuvenalis *pingues lacernas.*

8. *Sagatus amem.* Dixit: *Me pinguis Gallia vestit.* Sagum autem Gal-

Vt praestem Pyladen, aliquis mihi praestet Orestem.
Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama.

licum erat; quin et ipsum nomen, si credimus Isidoro: sed et Hispanicum.

10. *Marce, ut ameris, ama.* Verum praeceptum, et e sapientiae fontibus. Seneca epist. 9: Hecaton ait: *Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficae carmine: Si vis amari, ama.*

12. — DE FABVLLA.

Iurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla: numquid, Paulle, peierat? nego.

1. *Iurat.* Ludit in hac voce *suos.* Meum enim est quod mihi natura tribuit, vel quod ab alio emi. Lib. I, epigr. 30; et II, 20: *Nam quod emas, possis dicere iure tuum.* Vnde Fabulla neo iusiurandum, nec fidem negligebat, licet crines, non nativos, suos esse diceret.

13. — DE STATVA IVLIAE.

Quis te Phidiaco formatam, Iulia, caelo;
Vel quis Palladiae non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore liquor.

Statuam e candidissimo marmore Domitianus Iuliae, quam impensius amabat, exaedificavit, argumentum amoris, quem per cestum, Iuliae manu haerentem, declaravit, quum eo se percussum, ut olim Iupiter a Iunone, et Mars a Venere significaret, illumque cestum ait Poëta, tam verum et potentem, ut videatur ab ipsius Cupidinis collo detractus, immo qui vincat eumdem; ut si Iuno aut Venus cestum desideret, possit illum non iam a Cupidine, sed a Iulia mutuum accipere. *Rader.*

1. *Quis te Phidiaco, etc.* Quis statuam tuam finxit tanto artificio, ut Phidiae eximii sculptoris superasse, ipsiusque Palladis artem aequare videatur? — *Iulia.* Filia Titi Imperatoris et Martiae Furvillae, cui impensius amatae Domitianus patruus insignem statuam, eroticis quibusdam signis ad notandum mutuum amorem decoratam, erexit. — *Caelo.* Stylo sculptorio. De Phidia lib. III, 35. Phidiam autem nominavit, quod plurea formaverit Veneres. Iulia erat tam bene effigiata ut pulchrior Venere ipsa videretur.

3. *Non tacita etc.* Ad vivum ita expressa, ut loqui videatur. — *Lygdos.* Marmor Lygdinum, e Tauro et Arabia.

4. Edd. Ferrar. Ald. Iunt. Colin.

Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Vt Martis revocetur amor summique Tonantis,
A te Iuno petat ceston et ipsa Venus.

Gryph. et aliae: *vivus in ore decor.* — *Vivus in ore liquor.* Omnino haec vera lectio; sed quid sibi velit, ostendit Gronovius Diatribis ad Stat. capite 24, circa finem pag. 153. Vivus liquor est succus ille et sanguis faciei qui splendet e viventi, viva, veraque facie: ille fulget in hac statua: loqui putes, et vivo succo os accendi. Turnebus, hoc vocabulo *liquor* intelligit quamdam mollitiem et teneritudinem. Claud. IV Cons. Honor. *Chlamys effluit auro*; id est, emittit aureum splendorem. Stat. Silv. I: *splendor ab alto defluus.* Ed. P.

5. *Ludit.* Ludibonda et velut tenera ac molli manu gerit cestum, id est, balteum amoris potentem, Cupidini ereptum, quo Martem Venus, Iovem Iuno tactum ad amorem accendere fertur. Vide Gyraldi Syntag. XIII, de Venere. — *Acidalio, etc.* Venus Acidalia dicta est ab ἀκίδας, id est, curas quas inicit: vel ab Acidalio fonte in Orchomeno Boeotiae, quo se lavare Gratiae ferebantur. In hoc autem cingulo omnes inesse Gratias et Veneres canit Homer. Il. ξ. *Acidalius nodus* sive Cupidineus, pro cesto sumitur, quo percussura videtur Domitianum, ut amoris ignes pectore concipiat.

7. *Vt Martis renovetur* codex Florentinus; non inepte, iudicio Farnabii. — *Vt Martis, etc.* Iuno et Venus tanquam minores Deae a te (ubi conciliatos volunt Iovem et Martem) petant cingulum hoc, quo tu incendis Domitianum Deum ac Dom. nostrum.

8. *Iuno petat.* Hoc est, si Iuno Iovem sibi conciliare velit, et Venus Martem, utantur balteo quo Domitianum percussit Iulia. His verbis indicat Poëta, Iuliam esse pulchriorem Iunone, et ipsa Venere.

14. — IN LABERIVM.

Versus scribere posse te disertos
Affirmas, Laberi: quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi; virum putabo.

Difficile Poëta affirmat ingenium excellens artem non ostentare; nullumque lere esse, qui quum aliquid se scire praeter caeteros putet, nolit hoc alios de se scire.

1. *Versus scribere.* Fictum est nomen huius Laberii: alterius vero mimorum scriptoris meminit Macrobius Saturn. lib. II, cap. 7; Suetonius in Iulio, cap. 39.

4. *Virum putabo.* Hoc est, fortissimi esse animi eum putabo, qui fa-

mam nominis sui contemnat, et qui versus disertos quum possit scribere, se tamen a scribendo eobibeat. Sic Laberium carpit, qui sane a scribendo non se abstinuisset, si versus facere disertos valuisset, ut ipse iactabat.

15. — DE FORMICA SVCCINO INCLVSA.

Dum Phaëthontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modo quae fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

1. *Dum Phaëthontea.* Dum formica reperet sub frondibus populorum, in quas conversae fuerunt sorores Phaëthontis, in liquorem succini e populo fluentis lapsa est, quo implicita Iucebat nobilem sortita tumulum.

2. *Feram.* Vocatur *fera* animal non cicuratum: fera vero hic est formica. Ed. P.

16. — AD PRIAPVM.

Tu qui pene viros terres, et falce cinaedos,
Iugera sepositi pauca tuere loci.
Sic tua non intrent vetuli pomaria fures;
Sed puer, aut longis pulchra puella comis.

1. *Tu, qui falce viros terres, et pene cinaedos* legendum censet Gronovius. *Viros terres, etc.* Forte, nec falcem, quam manu geris, timentes; sed te custodem ἀνδροσάθη aversatos. Lib. I, epigr. 36, vs. 15. Priapus ob membri virilis magnitudinem immoderatam ex Hellesponto eiectus, deinde pro Deo habitus est. Ed. P. — *Cinaedos.* Molles, sed falcem tuam solum veritos.

2. *Iugera sepositi, etc.* Hortum custodi, in Ianiculo positum.

3. *Sic (Sed) tua;* iam observatimus *sic* esse formulam precationis Vid. Brissonius.

4. *Puer, pulchra puella.* Qui talione luant poenas, si intrarint hortum. — Priapum eumdem esse et Bacchum quidam putant. Ed. P.

17. — IN CINNAMVM.

Cinnam, Cinname, te iubes vocari.

1. *Cinname.* Exemplo Furii et furis allato Poëta irridet hunc Cinnamum, qui, detracta ultima sui nominis syllaba, Cinnam vocari se iubebat, ut

Non est hic, rogo, Cinna barbarismus?
Tu si Furius ante dictus esses,
Fur ista ratione dicereris.

nempe ab antiqua Cinnarum stirpe genus suum repetere videretur.

2. *Barbarismus.* Est quum verbum aliquod vitiose profertur, aut litera una caret aut abundat. Cinnamus tonsor fuit, de quo lib VII, epigr. 64.

4. *Ista ratione diceręris.* Barbara hac apocope.

18. — EPITAPHIVM SALONINI, AD PRISCVM.

Sancta Salonini terris requiescit Iberis,
Qua melior Stygias non videt umbra domos.
Sed lugere nefas; nam qui te, Prisce, reliquit,
Vivit, qua voluit vivere parte magis.

1. *Sancta Salonini.* Proprie *Sancta:* nam Manes sancti. Vide Macrobium lib. III, cap. 3. Virgilius, Aeneid. XI: *Tuque, o sanctissima coniux, Felix morte tua.* Nota etiam *felix* μακαρίτης· et *Deorum manium iura sancta sunt*, apud M. Tullium lib. II, de legibus. Et *Sanctitas* proprie *iustitia erga manes*, ut idem ait in Topicis. Recte igitur in gloss. *Sanctus*, ὅσιος, ἅγιος. *Herald.* — *Terris requiescit Iberis.* In Hispania.

2. *Qua melior, etc.* Qua umbra non est alia apud inferos sanctior.

3. *Sed lugere, etc.* Horat. od. 20, 21, lib. II, *Absint inani funere naeniae, etc.* quia *multa pars mei Vitabit Libitinam; Usque ego postera Crescam laude recens*, ut inquit idem od. 30, lib. III. Magna quidem eius pars est superstes, cui superest gloria ex claris factis, et ratio ex bene meritis, nominis celebritas. Sed alia hic mens Poëtae nostri et Pythagorica, φίλων σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία. Vivit itaque melior Salonini pars in eo quod te superstitem reliquerit, quem vel anima sua cariorem habuit.

19. — IN POSTHVMVM CAVSIDICVM.

Non de vi, neque caede, nec veneno,

1. *Non de vi, etc.* Ineptos huiusmodi et umbraticos causidicos, qui figurarum tumore et sententiarum vanissimo strepitu crepantes, nihil ex iis quae in usu sunt, aut vident, aut loquuntur, exagitat Petronius statim ab init. Sat. Ita hic Posthumus, vel ex alia oratione (ut sit Cicero pro Roscio Amerino) quam in alium reum fuerat commentatus, haec declamavit: vel arcessitos hos artis colores et purpureum, qui late splendeat, pannum assuit caussae levi, quam actam oportuit de tribus capellis.

Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto.
Hoc iudex sibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Muciosque
Magna voce sonas, manuque tota.
Iam dic, Posthume, de tribus capellis.

2. *De tribus capellis.* De re levi contendebam eum adversario; et tu periode ac si de imperio orbis ageretur, memoras gravissima bella; quasi dicat, Omitte haec et redi in viam: gallice, *Revenons à nos moutons.* — *De tribus capellis.* Fac verba de re cuius controversia movetur, nec vana rerum alienarum a nostra causa commemoratione iudices obtundas.

5. *Cannas.* Ignobilis est Apuliae vicus, ad quem funditus ab Hannibale caesi sunt Romani: quam cladem fuse et mirabiliter describit Livius. — *Mithridaticum.* Gestum a Lucullo, Sulla et Pompeio.

6. *Et periuria.* Silius Italicus de Bello Punico lib. I, sic canit: *ter Marte sinistro Iuratumque Iovi foedus conventaque Patrum Sidonii frangere duces, etc.* Omnibus vero notum civile bellum inter Syllam et Marium, unde tota exarsit Italia.

7. *Mucios.* Porsenae bellum intelligit, in quo Mucius Scaevola manu in ignem immissa immortalem gloriam consequutus est. Lib. I, epigramm 22.

8. *Manuque tota.* Omni gestu et actionis viribus. Ita magno conatu magnas nugas agis.

9. *Iam dic.* Invehitur in causidicos, qui otiosorum controversias rhetorum a lite alienas proponebant, nec ad rem ipsam, hic *tres capellas*, quidquam dicebant.

20. — IN PHOEBVM.

Mutua te centum sestertia, Phoebe, rogavi,
Quum mihi dixisses, Exigis ergo nihil?

1. *Mutua te centum.* Hic est χαρακτὴρ hominis vani, et ut aiebat Comicus, lingua factiosi, inertis opera et sublesta fide. Multi reperiuntur eiusmodi, qui non modo facile promittunt, sed sese ultro offerunt; quorum amicitiam si vis experiri, nihil invenies alienius. *Herald.*

2. *Exigis ergo nihil?* His verbis saepius Martialem hortatus fuerat Phoebus, ut ab eo aliquid peteret: Iam vero quum ille petiisset centum sestertia, et quidem mutuo, Phoebus, non ausus aperte negare, longa mora se et precibus cruciabat: itaque illum rogat Martialis, ut tandem neget, quum nihil gravius sit quam diu anxiari. Epig. 42 infra. — *Quum mihi dixisses, etc.* Quae est oratio hominis prompti ad beneficia conferenda.

Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias: iam rogo, Phoebe, nega.

Quum ipse me saepe hortatus fueris prius, ut aliquid a te peterem.

3. *Inquiris, dubitas, etc.* Sollicitus es, qualis ille inficiator ac fraudulentus solet inquirere quando vellem illa dari; dubitare, tergiversari. Ed. P.

4. *Nega.* Amarum est diu pendere, aequius erat mihi spem, tibi metum praecidi, quam utrumque sic trahi, sic cruciari.

21. — DE STELLA ET IANTHIDE.

Perpetuam Stellae dum iungit Ianthida vati
Laeta Venus, dixit, Plus dare non potui.
Haec coram domina: sed nequius illud in aurem,
Tu ne quid pecces exitiose, vide.
Saepe ego lascivum Martem furibunda cecidi,
Legitimos esset quum vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice laesit,
Tam frugi Iuno vellet habere Iovem.
Dixit, et arcano percussit pectora loro.
Plaga iuvat: sed tu iam, Dea, caede duos.

1. *Perpetuam Stellae, etc.* Quum Venus Violantillam duram diu et inexorabilem iungeret tandem connubio stabili Stellae poëtae, dixit, Cape munus, quo non potui dare maius; Papin. Sylv. I. — *Ianthida vati.* Diminutive ab Graecis, ut Violantilla a viola. — De Stella, lib. I, epigram. 8, qui Violantillam, cuius amore iam diu deperibat, duxit uxorem. Violantilla autem Graece dicitur Ianthis ab ἴον, *viola*, et ἄνθος, *flos*.

3. *Coram domina.* Violantilla.

4. *Ne quid pecces.* Amori Stellae insultat Venus eum monens, ne Violantillae anteponat aliam puellam. — *Tu ne pecces exitiose, vide.* Amore furens et zelotypia.

5. *Cecidi.* Cesto, de quo supra xiii, ut mihi Martem conciliarem.

6. *Esset vagus.* Alii, *isset vagus*, hoc est, quum antequam ipsi nuberem, moecharetur. Legitimum Veneris maritum fuisse Martem vix reperias; sed idem hic de Venere dici posse existimo, quod Didone, Virg. Aen. IV, 171: *Nec iam furtivum Dido meditatur amorem, Coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.* — *Vagus, etc.* Adulteriis.

8. *Tam frugi, etc.* Tam continentem, thalamo suo fidelem.

9. *Arcano loro.* Hoc est, cesto, cuius arcana virtus. Epigr. 13 supr.

10. Codd. Florent. et Vat. cum duobus aliis: *iam, Dea, parce Deo;*

i. e. desine male loqui de Iove. — *Plaga iuvat.* Vt illam amet. — *Sed tu iam, etc.* Vt Stella Violantillam, et hunc illa vicissim mutua amoris fide amplectatur.

22. — IN PROCVLINAM.

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et moechum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare possit;
Non nubis, Proculina, sed fateris.

2. *Moechum, modo, etc.* Qui modo moechus erat. Μοιχεύειν μὲν θέλουσι ὃν λανθάνουσι χρόνον, γαμεῖν δὲ ἃς ἐμοίχευσαν, ὅταν ἐπ' αὐταῖς ληφθῶσι. Apollonius apud Philostratum l. VIII.

3. *Ne lex Iulia*; quae a Domitiano revocata vetabat adulteria.

4. *Sed fateris.* Illum fuisse moechum tibi.

23. IN LESBIAM.

Stare iubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem;
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.
Tu licet et manibus, blandis et vocibus instes;
Contra te facies imperiosa tua est.

Σύγχρονοι fuerunt Martialis et Iuvenalis; acumen saepe convenit, et vel Philo platonissat, vel Plato philonissat; uter utri acceptum ferat utriusque interpres non dico. Verum hoc epigramma vide expressum Sat. vi Iuvenalis, v. 196, itidemque expositum.

4. *Contra te facies.* Tanta erat huius Lesbiae deformitas, ut vocibus blandis excitare Poëtam nequiret, vultu repugnante.

24. — DE CHARISIANO.

Nil lascivius est Charisiano;
Saturnalibus ambulat togatus.

1. *Nil lascivius.* Lascivïae id esse in Charisiano iocatur, quod revera paupertatis erat: ut cui non erat vestis coenatoria quam sumeret in Saturnalibus; ubi et Senatores et equites positis togis induebant syntheses. Aeque, inquit Lipsius, lascivum est gravitatem inducere, ubi caeteri pro ritu civitatis lasciviunt, ac lascivire ubi caeteri cives gravia agunt; nam utrumque ridiculum.

25. — AD MARCELLINVM.

Marcelline, boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit ursa iugo,
Ille vetus pro te patriusque quod optat amicus,
Accipe, et haec memori pectore vota tene:
Cauta sit ut virtus, nec te temerarius ardor
In medios enses, saevaque tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes;
Tu potes et patriae miles, et esse decus.

Marcellinum in Dacia, tirocinia militaria ponentem, monet, ut caute fortis sit: illum nihilominus, ut Vlissem, patriam propugnare, eique decus immortale parere posse. *Rad.*

1. *Sincera parentis.* Vera, ingenua, Ingenio, moribus, pectore patrem referens; fortis forti create: purum aurum a puro auro.

2. *Horrida.* Marcellinus iste militabat in Dacia, hodie *Moldavia.* — *Parrhasio iugo.* Hoc est Septemtrione, nempe sub ursa quae dicta est Parrhasia, ab Arcadiae urbe unde erat Calisto, in ursam a Iove commutata. Vid. lib. IV, epigr. 2.

3. *Ille.* Ego. — *Patrius amicus.* Fuit enim familiaris patri, cuius causa amavit filium. — Ex his verbis colligit Domitius Marcellinum fuisse Hispanum, Martialis popularem; sed potius a patre Marcellini patrius amicus fuisse mihi videtur.

7. *Bella velint, Martemque, etc.* Temere pugnant furiosi; tu caute uti fortem decet, qui *non timebit, cavebit tamen* Seneca epist. 85, et Arist. Eth. lib. III. Habes enim in te artium ornamenta quibus togatus, non minus quam armatus, patriam cohonestare et tueri possis. *Licet eminus esse Fortibus, Autaeo nocuit temeraria virtus.*

8. Corruptum esse hunc locum ait Ant. *de Rooy*; et conj. *Tu poteris patriae miles et esse decus*; i. e. *aliter*, vel, etsi non temerarius caput periculis obiectes, tamen patriam fortis miles defendere poteris. — *Tu potes* Potes patriae esse ornamento, tempore belli et pacis; et tua salus non minorem illi gloriam et utilitatem afferet, quam mors tua. Ed. P.

26. — DE SOTADE.

Periclitatur capite Sotades noster.
Reum putatis esse Sotadem? non est.

1. *Periclitatur capite.* In iudicio rei dicuntur *capite periclitari.* Sotadem λείχοντα, capitis vel oris ministerio male usum, *capite periclitari* ait: qui patitur, *ore morigerari*; qui agit, *capiti illudere* rectius et ambigue

Arrigere desit posse Sotades: lingit.

dicitur. — De Sotade poëta quodam einaedo dictum lib. II, epigramm. 86.

3. *Lingit;* ita *caput* moventem *eapite* sit periclitari. Ed. P.

27. — AD NEPOTEM.

Bis vicine Nepos (nam tu quoque proxima Florae
Incolis, et veteres tu quoque Ficelias),
Est tibi, quae patria signatur imagine vultus,
Testis maternae nata pudicitiae.
Tu tamen annoso nimium ne parce Falerno;
Et potius plenos aere relinque cados.
Sit pia, sit locuples, sed potet filia mustum;
Amphora cum domina nunc nova fiat anus.
Caecuba non solos vindemia nutriat orbos;

Nepotem vicinum hortatur ad genialem vitam.

1. *Bis vicine* Duplici modo Nepotem sibi esse vicinum dicit Poëta: primo quidem Romae, circa templum Florae, de qua lib. V, epigr 23, 4; tum in Sabino Ficeliarum oppido, sic dicto ob ubertatem ficorum arborum, inter quod et Nomentum Martialis praedium habuit. Sic Cluverius Ital. lib. II, cap. 9.

3. *Est tibi.* Procreasti filiam tibi simillimam, quae plane refert omnibus oris lineamentis patrem, quod argumento est, esse tibi uxorem castam et filiam hanc legitimam. *Rader* — *Patria signatur, etc.* Sic Catullus in nuptiis Iuliae et Torquati: *Sit suo similis patri, etc.* mox: *Et pudicitiam suae matris indicet ore.* Et Horat. *Laudantur simili prole puerperae.* Sed quis fuit Nepos? Hominem divitem esse constat ex versu sexto, quando monet ut filiae plenos aere cados relinquat. Libentius crederem eumdem ipsum fuisse, ad quem exstat Plinii Iunioris epist. 26, lib. IV, ubi virum gravissimum et disertissimum appellat, et qui praetor urbanus et maximae provinciae praefuerit. Martialis ipse hunc lib. X, epigr. 48, ad convivium vocat. Ed. P.

5. *Tu tamen.* Licet habeas filiam, noli tamen nimium defraudare genium: sufficiet enim si illi cados pecunia plenos reliqueris, ipse porro bibe Falernum a multis annis reconditum. Lib. XIII, epigr. 126.

7. *Mustum.* Hoc est, vinum annosum ne relinquas filiae; sed mustum, seu vinum recens, quod ipsa leverit, et quod cum ipsa simul consenuerit.

8. *Amphora, etc.* Quo enim die, seu mas, seu femina nata, condebant vinum novum, ut cum prole cresceret suavitas, et die natali inde tantum hauriretur.

9 *Caecuba.* Non solum iis qui liberis carent, bibere vinum Caecubum, sed et iis qui liberos habent, licet hilariter vivere.

Possunt et patres vivere, crede mihi.

28. — EPITAPHIVM GLAVCIAE.

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciae breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiae iacet sepulcro;
Castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator.

3. *Breves.* Puer enim exstinctus. — *Patroni.* Melioris Atedii, qui Glauciam etiamnum infantem propter formam et ingenium manumiserat.

5. Iuxta Flaminiam viam Romanos suos mortuos sepelire solitos esse, bene notum est. Forte: *Hoc sub marmore Glaucias humatus. Iuxta Flaminiam iacet sepulcro Castus, etc.*

7. *Velox ingenio.* Homerum enim recitabat et alios poëtas, stupentibus omnibus. Vid Stat. loco cit.

8. *Messibus.* Hoc est annis.

9. *Vix unum, etc.* Prope erat tredecennis.

10. *Qui fles talia, etc.* Qui Glauciae fatum immaturum atque Melioris miseram orbitatem defles, sis precor felix, neque habeas ex tuo quod fleas; ut lib. X, epigr. 61.

29. — DE EODEM.

Non de plebe domus, nec avarae verna catastae,
Sed domini sancto dignus amore puer,

1. *Non de plebe domus.* Non pars Niliacae plebis aut Alexandrinae, non e familia plebeia; vel, non e grege atque turba domesticorum servorum. Sic lib. 8, epigr. 51, 18. — *Avarae.* Avarorum mangonum quibus hinc quaestus. — *Verna, etc.* Nec ex verna venalitius, ita natus domi, ut venum in catasta cum reliquis servis exponerere; sed ita natus, ut merito a Meliore amarere. Statius: *Non te barbaricae versabat turba catastae.* Lib. I, epigr. 42, vs. 2. — *Catastae.* Pegmatia lignei, quo venales exponebantur servi; a καταστῆναι. Vel ut Raderus exponit: Est machina lignea longaque compedis forma, servis credo venalitiis iniecta: unde dicti ipsi servi *catasti.*

Munera quum posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus iam Melioris erat.
Moribus hoc formaeque datum, quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis brevis est aetas, et rara senectus.
Quidquid amas, cupias non placuisse nimis.

3. *Munera, etc.* infans enim manumissus est. Vide et epigr. praeced. vers. 3.

6. *Aut quis.* Hoc est, Quis, vel etiam formosus ut Apollo, fuit pulchrior Glaucia?

7. *Immodicis brevis est, etc.* Pulcherrima quaeque brevis aevi sunt. Praecox Indoles immaturi plerumque fati: *τὰ γὰρ περισσὰ σώματα πίπτειν βαρείας πρὸς θεῶν δυσπραξίας, ἔφαχ' ὁ μάντις.* Calchas scilicet referente nuncio Sophocleo in Aiace *μαστιγοφ.* ex opinione impia, Deos invidere eximiae et enormiori gloriae: hinc et fascini adhibiti, sputum, salivae aliaeque res turpiculae, quibus gloriam temperari, arcerique invidiam credebant. — *Immodicis brevis est.* Haec fuit antiquorum sententia, immodicis et humanam sortem quacunque in re superantibus hominibus invidere Deos; et inde fieri, ne inter nos diurnent. Quare dicebat Cato Censorius: *Senilem iuventam praematurae mortis esse signum*. Plin. lib. VII, cap. 51. Optabant igitur ne quid nimis placeret, ut praecipit hic Martialis; et nimiam laudationem nocere existimabant. Quidam enim prodiderunt esse homines nimia laudatione effascinantes; vid. A. Gellium lib. IX, cap. 4. Hic proprie *fascinum.* Vnde *Praefiscinae* diaere, ad avertendum fascinum. Notus Virg. locus, Eclog. VIII, 27: *Baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* Notet. *mala lingua*; nam *fascinum* a fando, inquit Festus. At Cloatius Verrius, quasi *βάσκανον* dictum autumat, et commode sana et condecenter, ait Gell. lib. VI, cap. 12. Caeterum tota illa opinio ex eo fluxit, quod opinabantur Deos invidere *enormiori gloriae*, ut ait Tertullianus. Invidiam autem istam ita metuebant ut eam quocunque modo placare conarentur; et idcirco res turpiculas puerorum collo appendebant, bonae scaevae causa, ut notat Varro in libris de lingua lat. Quo sane videtur allusisse Plautus in Milite glorioso, act. V, scen. I, vs. 5: *Enim iamdudum gestio moecho hoc abdomen adimere, Vt faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.* Et in suis aedibus haec *προβάσκαντα* (Mutonia appellat *γλωσσογράφος*) habebant Plutarch. et pollux. *Herald.*

8. *Non placuisse nimis.* Ne cito pereat, teque iactura cruciet.

30. — IN PAETVM.

Sex sestertia si statim dedisses,
Quum dixti mihi, Sume, tolle, dono;
Deberem tibi, Paete, pro ducentis.
At nunc quum dederis diu moratus,
Post septem, puto, vel novem Kalendas,
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestertia, Paete, perdidisti.

1. *Sex sestertia.* Sensus est: Si mihi tantum donasses sex sestertia, quum pollicitus es, deberem tibi tantas gratias, quantas solverem, si donasses ducenta. Nunc quia sero admodum et vix tandem, quod promisisti largitus es, amisisti omnem gratiam: quae enim tarda est, minimum pretium habet. Ed. P.

3. *Deberem tibi.* Gratiam aut foenus pro ducentis sestertiis, id est, pro ducentis millibus sestertium. *Rader.* — *Pro ducentis.* Ac si donasses mihi ducenta sestertia; nam quod exponunt, *sex ratione foenoris ducentorum*, non placet.

5. *Kalendas.* Menses.

7. *Perdidisti.* Fere enim nulla est gratia tarde concessa: at vero bis dat qui cito dat.

31. — IN CHARIDEMVM.

Vxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinisque
A medico futui: vis sine febre mori.

2. *Vis sine febre mori.* Valetudinis forte gratia vigilanti stertis naso, et sic medicum palpas, ut in Iuven. sat. I, 56, qui sursum spectans, ad ea quae humi peraguntur non attendit. Horat. III, od. vi, 29: *iussa non sine conscio surgit marito.* Ed. P. — *Vis mori sine febre* i. e. nunquam vis aegrotare, propterea conduxisti medicum eo munere; vel intellige Charidemum metuisse, ne uxor amore medici capta aegrotaret, atque idcirco permisisse, ut ab eo subagitaretur.

32. — DE MORTE OTHONIS.

Quum dubitaret adhuc belli civilis Enyo,

1. *Quum dubitaret.* Enyo, id est, Bellona, Martis soror, quum adhuc dubitaret, cui victoriam concederet, an Vitellio, an Othoni.

Forsitan et posset vincere mollis Otho;
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum vivit, sane vel Caesare maior;
Dum moritur, numquid maior Othone fuit?

2. *Posset vincere.* Neque enim se Galbae opposuisset, nisi sperasset sine bello civili rem geri potuisse; atque ubi iam a Vitellianis ad Bebriacum fraude superato, satis superesset spei integraeque fere copiae, superveoientibus et aliis; odio tamen civilium armorum, et ne periret populus, se pugione transfodit.

3. *Damnavit, etc.* Civilia bella exosum Othonem, etiam privatum adhuc, refert Suet. cap. 10. Sed pulcherrime apud Dionem loquitur Otho, quum ioquit: *Multo melius est, multoque iustius unum pro multis, quam pro uno multos interire. Ego quidem Mutius esse malim, aut Curtius, quam Marius, quam Sylla, etc.* Alii: *laturum iam: ego staturum* probo.

4. *Effodit certa pectora tota manu* Beverlandi Ms. Vno se traiecit ictu infra laevam papillam. Tacitus *unum vulnus* repertum ait. Eo. P.

5. *Vel Caesare maior.* Quo vel victore maiorem se et meliorem affirmavit Cato, pugnans pro Republica.

6. *Maior Othone fuit?* Minor certe. Cato enim rebus fractis et desperatis, Otho salvis iam et integris; ille taedio, hic odio belli civilis se interfecit. Vitam mallem forti morte cohonestavit. *Alii* (inquit Tacitus) *diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquit.* Dio: *Regnavit Otho dies nonaginta, quumque pessime omnium vixisset, mortuus est honestissime, et imperium, quod cum magno scelere invaserat, cum maxima virtute deposuit.* Rader.

33. — IN SABELLVM.

Nil miserabilius, Matho, paedicone Sabello
Vidisti, quo nil laetius ante fuit.
Furta, fugae, mortes servorum, incendia, luctus
Affligunt hominem: tam miser, et futuit!

1. *Sabello.* Misere deperibat pueros Sabellus, sed dilapidato patrimonio coactus est amare mulieres; qua de causa nil Sabello miserabilius esse dicit Poëta: quum τὸ *miserabilius* videatur referri ad bonorum iacturam, quam passus erat premente miseria Sabellus.

4. *Affligunt hominem, tam miser?* in edd. vett. Vide Turneb. lib. XXV, cap. 27. — *Tam miser, et futuit!* Et miseria miseriarum haec est, quod amissis fuga et morte pueris, detrusus est ad mulieres. Scoplee.

34. — AD DIADVMENVM.

Basia da nobis, Diadumene, pressa : Quot, inquis?
Oceani fluctus me numerare iubes ;
Et Maris Aegaei sparsas per littora conchas,
Et quae Cecropio monte vagantur apes ;
Quaeque sonant pleno vocesque manusque theatro,
Quum populus subiti Caesaris ora videt.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia : pauca cupit, qui numerare potest.

1. *Quot inquit?* Langius aliique.

2. *Oceani fluctus.* Vid. Theocrit. χαρίσιν ; Philipp. Epigrammatarius. Eupolis : ἀριθμεῖν θεατὰς ψαμμακοσίους. Haec similitudo frequenter occurrit. Fortasse autem haec Martialis verba ab illa superstitione, qua numerum fascino obnoxium existimarunt. *Herald.*

4. 5. Si per codd. liceret, praeferret Ant. *de Rooy*: *Et quot Cecropio monte vagantur* (vel *vagentur*) *apes ; Quotque sonant* (vel *sonent*) *pleno, etc.* — *Et quae Cecropio.* Hymettum intellige, de quo Pausanias in Atticis : Ὑμηττὸς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας: *Hymettus pastiones habet apibus aptissimas.* Cecropius vero dicitur, id est, Atticus

5. *Pleno vocesque manusque theatro.* Plausu enim et faustis acclamationibus excipiebantur in spectaculis Imperatores. Et bis acclamationibus Imperatori felicitatem comprecabantur. Nota τὸ Ῥωμαίοις σύνηθες εὐτυχίαν ἐπευχομένων. Nam vox erat *feliciter.* Aliis etiam blanditiis onerabantur. Ed. P.

6. *Quum populus, etc.* Vbi plausu et faustis acclamationibus excipitur in spectaculis Caesar.

7. *Nolo quot.* Lege Catulli Carm. v, 7, ad Lesbiam: *Da mi basia mille, deinde centum, Dein mille altera, dein secunda centum, etc.* Haec vero basia, utpote numerabilia, pauca esse existimat Noster.

8. *Pauca cupit etc.* « Pauperis est numerare pecus » et Horat. *numerabilis, utpote parvus*, epist. ad Pisones, 206. Theocr. loc. cit. Ed. P.

35. — AD CAECILIANVM.

Septem clepsydras magna tibi voce petenti

In molestum caussidicum, quem inter dicendum bibentem, ut vires revocaret, horasque orando expleret, poëta monet, ut si velit bibere, exhauriat aquam clepsydrae ; id est, ut cito finiat orationem, qua occidebat auditores. *Rad.*

1. *Septem clepsydras.* Clepsydra, e κλέπτω, *furari*, et ὕδωρ, *aqua*, quod furatur oculis aquam stillantem, seu

Arbiter invitus, Caeciliane, dedit.
At tu multa diu dicis: vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.
Vt tandem saties vocemque sitimque, rogamus,
Iam de clepsydra, Caeciliane, bibas.

hydrologium; aquarium est horologium. Vasculum quippe erat aut ex vitro, aut ex alia materia, per quod graciliter fistulatum aqua inclusa guttatim defluens metiebatur tempus. Nam orantibus in foro ex more Atheniensium praescriptum erat tempus: attamen saepe liberae erant actiones, nec ad certum tempus dicere iubebantur patroni. Quantum vero temporis dimensa fuerit una clepsydra, mihi compertum non est. Dabantur clepsydrae a iudicibus, ut hinc etiam manifestum est, et plures defendenti quam accusanti. Vid. Plin. lib. IV, epist. 9, § 9; unde fiebat aliquando ut oratores elaboratas suas orationes, et multarum pretio noctium aestimatas recitare non possent. M. Antoninus, imp. et philosophus, clepsydras oratoribus liberaliter dedit. Lucianus in Αλιεῦσι simpliciter ὕδωρ pro clepsydra ponit. Inventa res est a Graecis, et tandem Romam in tertio Pompeii consulatu translata. Sed Plinius iunior lib. II, epist. 2 ostendit, non omnes eiusdem fuisse magnitudinis. Clepsydris, ut puto, consimilia sunt nostro tempore vascula illa vitrea usu notissima, quae in medio instar duorum turbinum coarctantur; ex quibus pulvisculus per foramen minutissimum sensim ex parte superiore in inferiorem delabitur, atque ita variis conversionibus ultro citroque commeando, legitimum horae tempus metitur. En. P. — *Magna tibi voce petenti*. Tanquam gratiam tibi faceret iudex longum dicendi spatium concedendo.

2. *Arbiter*. Iudex, electus ab utraque parte, qui litem amice componat. En. P.

3. *Vitreisque*. Nonnunquam autem comedisse et bibisse oratores in ipsa actione, disce a Quintiliano lib. XI, cap. ultimo: *Bibere*, inquit, *aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, et est quibusdam ab oratore meo procul absit, etc.* — *Tepentem*. Mora egelidam. An a sole vel igne calidam? quam supino ore bibis ad vocem et vires reficiendas, simulque ut tempus protrahas.

4. *Semisupinus*. Exprimit gestum bibentis, et ampullam exhaurientis, quum caput supinant, ut ii, qui amphoras totas siccant. *Rader.*

5. *Vt tandem saties, etc.* Et exhausta tandem clepsydra finias, tuaeque voci ac nostris auribus parcas: aqua enim exhausta, silere cogebatur orator. Vide Turneb. lib. XXV, cap. 27.

36. — AD PAPILVM.

Mentula tam magna est, tantus tibi, Papile, nasus,
Vt possis, quoties arrigis, olfacere.

Tricubitales et ad omne ministerium instrumentales nasos emungunt aliquanto honestius epigrammatistae Graeci Antholog. lib. II, cap. 23.

1. *Pamphile* in eodem Pulmanni cod. — *Tantus tibi.* Irridet nasum, atque ingentem Papili mutonem.

37. — IN CHARINVM.

Secti podicis usque ad umbilicum
Nullas reliquias habet Charinus;
Et prurit tamen usque ad umbilicum.
O quanta scabie miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinaedus.

3. *Et prurit.* Catamito tamen diffisso et inutili saevit circa iecur ulcerosum prurigo turpitudinis.

38. — DE FILIO REGVLI.

Aspicis, ut parvus, nec adhuc trieteride plena
Regulus auditum laudet et ipse patrem?
Maternosque sinus viso genitore relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas?
Iam clamor, centumque viri, densumque coronae

Laudat filium Reguli oratoris, faustaque eidem ominatur, quod tamen votum inane fuit.

1. *Parvus.* Filiolus Reguli. De quo vide Plin. lib. IV, epist. 2. — *Nec adhuc trieteride plena.* Nondum trimulus: ἀπὸ τοῦ τριετοῦς trieteris, spatium 3 annorum, et festum Baccho sacrum, propter expeditionem ad Indos triennio exactam.

2. *Regulus.* Filius scil. infans iam laetabatur, quum orantem in foro patrem audiret. En. P.

3. *Maternosque sinus.* Avidus sc. patris audiendi, negligit matrem; velut iam tum aetatem ingenio praecurrens, nucibus relictis, maiora spectaret.

4. *Sentiat suas?* In se derivari: vel haeredem non bonorum, sed laudum etiam et virtutum. *Raderus.*

5. *Centumque viri, etc.* Causae actae coram centumviris, qui tamen erant 105, quum ex 35 tribuum singulis terni eligerentur ad iudicandum de haereditatibus, usucapionibus, tutelis,

Vulgus, et infanti Iulia tecta placent.
Acris equi soboles magno sic pulvere gaudet;
Sic vitulus molli praelia fronte cupit.
Di, servate, precor, matri sua vota, patrique;
Audiat ut natum Regulus, illa duos.

nexis, etc. Ed. P. — *Coronae*. Tribunalia circumstantis populi.

6. *Iulia templa* mallit Ant. *de Rooy*, ut apud Ovid. Pont. IV, 5, 21. Stat. Sylv. I, 1, 31. At at *tecta* de superbis aedibus dici notum est. Consule Broukh. ad Tibull. III, 3, 3. — *Iulia tecta*. Iulia Basilica, Iulii Caes. templum in foro, in quo cogebantur C. virorum quatuor concilia ad caussas de testamentis audiendas. — *Placent*. Reguli filio placent actiones apud Centumviros; quasi et ipse iam cuperet insistere vestigia patris.

7. *Acris equi soboles*, etc. Alludit ad Horat. *Fortes creantur fortibus. Est in iuvencis, est in equis patrum virtus*, etc.

8. *Molli fronte*. Ἀκέρως, nondum cornutus. — Sic Claudian. de IV Consul. Honor. *Sic pascua parvus Vindicat, et necdum firmatis cornibus audax, iam regit armentum vitulus.*

9. *Di, servate*. Solennis antiquorum bene precandi formula.

10. *Natum*. Filium, paternae eloquentiae aemulum. — *Duos*. Maritum et filium, aliquando causas agentem audiat mater. Irritum autem hoc fecerunt Parcae votum.

39. — IN CINNAM.

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem,
Non liberorum: namque nec tuus quisquam,
Nec est amici, filiusve vicini;
Sed in grabatis tegetibusque concepti

Adulteria uxoria Marullae, iocando commemorat Cinnae: nam Cinna habebatur pater septem liberorum, quum nullum procreasset: simul sordes adulteriorum accusat, quod mulier sectatur moriones, pistores, servos, palaestritas.

1. *Pater ex Marulla*. Marulla servorum amore debacchata, non *liberos*, sed servos tibi sine te septem genuit. Ed. P.

4. *Sed in grabatis*, etc. Sed a servis tibi geniti, vel in *grabatis* quae humiliorum servorum lecti sunt: vel super *tegetibus*, mattis, quas lupae, ut servi, pro lectis habent. Iuv. sat. VI, vs. 118: . . . *Dormire virum quum senserat uxor, Ausa palatino tegetem praeferre cubili*, etc. Sed nonne allusit poëta eruditissimus ad dictum Diogenis canis, qui περὶ παιδὸς πεπορνευκότος ἐρωτηθεὶς πόθεν εἴη, τεγάτης, ἔφη. Nampe τεγάτης ibi a τέγος, quod et τέγεος; quo verbo *lupanar* aliquando significari alibi ostendimus.

Materna produnt capitibus suis furta.
Hic, qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se coci Santrae.
At ille sima nare, turgidis labris,
Ipsa est imago Pannici Palaestritae.
Pistoris esse tertium quis ignorat,
Quicumque lippum novit, et videt Damam?
Quartus cinaeda fronte, candido vultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo;
Percide, si vis, filium; nefas non est.
Hunc vero acuto capite, et auribus longis,
Quae sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Cyrrhae?
Duae sorores, illa nigra, et haec rufa,
Croti choraulae, villicique sunt Carpi.
Iamque hybridarum grex tibi foret plenus,

5. *Furta*. Adulteria clam perpetrata. Ed. P.

6. *Retorto crine*. Nam Aethiopes et Mauri οὐλότριχες. *Maurus incedit*. Maurum referens.

9. *Palaestritae*. Qui familiam ad palaestram ungit atque exercet.

11. *Et videt Damam*. Tertius enim filius lippus genitus erat a pistore Dama, qui et ipse ab igne lippus erat.

12. *Cinaeda*. Impudica.

13. *Concubino*. Catamito tuo.

14. *Nefas non est*. Est enim concubini tui filius, non tuus.

16. *Quae sic moventur*, etc. Rarum hoc: nam vere scribit Arist. lib. I, de Hist. Animal. cap. 11: *Hominem solum esse auribus immotis inter animalia: verum accidere aliquando, ut violata paene naturae lege, quibusdam aures moveantur*. Herald. — *Ut solent asellorum*. Hos ut plurimum stolidos ac fatuos esse tradunt physiognomici; ita ut hunc tanquam morionis filium subsannat Martialis.

17. *Morio* dicebatur, qui mentis stoliditate et deformitate vultus risum movebat; Graece μωρός, stultus. Moriones sunt fatui, *les fous*, quos in deliciis principum haberi videmus. Ed. P.

19. *Choraulae*. Lib. V, ep. 56.

20. *Hybridarum*. Hybrida est foetus ex imparibus parentibus, ut canis ex venatico et gregario, gallice *métis*; ut ex apro et sue; sic filios ex matre ingenua et patre servo natos hybridas vocat, quos iam lib. I, epigr. 85 appellavit *equites vernas*. Vide lib. VIII, epigr. 22 et I, epigr. 42, vs. 2. Hybrida est etiam, qui mixto variarum linguarum sermone utitur, ut peregrini solent. Ed. P. — *Grex plenus*; ut Musarum, e numero novenario, qui Pythagoreis numerus perfectissimus, nempe ab impari unitate pri-

Si spado Coresus, Dindymusque non esset?

mo quadratus, tribusque constans ternariis.
21. *Spado Coresus*, *etc.* Qui testibus evulsis ad impraegnandum impotens est, coit tamen. I. C. Scal. Exercit. 275.

40. — AD LYCORIM.

Foemina praeferri potuit tibi nulla, Lycori;
Praeferri Glycerae foemina nulla potest.
Haec erit hoc, quod tu: tu non potes esse, quod haec (est.
Tempora quid faciunt! hanc volo, te volui.

Glycerae Martialis, quam cupit, postponit, Lycorim etsi bellissimam, quia haec ipsi dedit sui copiam, et iam anus facta. Eo. P.
1. *Tibi nulla*, *Licori*. Quondam iuveni.
2. *Glycerae foemina*, *etc.* Iam in flore ipso aetatis et formae. Eo. P.
3. *Haec erit hoc.* Glycera erit anus, ut Lycoris, vivat modo. — *Tu non potes esse*, *etc.* Tu Lycoris non potes esse puella, ut Glycera.

41. — IN RAVCVM POETAM.

Qui recitat lana fauces et colla revinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

Ravi laborans poëta quispiam, focale ad fauces et guttur servandum adhibebat. Martialis absurdum eius factum a contrariis et pugnantibus notat. Tu, quia fauces obligas, ostendis te raucum esse, non posse loqui, idem tamen, quum raucus ascendis et recitas, negas te posse tacere. Nec tacere ergo, nec loqui nosti. De more autem fauces fasciis aut velleribus laneis obligandi vid. lib. XIV, epigramma 142.

42. — DE ETRVSCI THERMIS, AD OPPIANVM.

Etrusci nisi thermulis lavaris,

A morbo Oppiani sumit occasionem laudandarum Etrusci thermarum, quas lib. I. Silvarum Papinius eleganter describit: Romae erant in ipsa urbe. Oppianum autem poëtam sua opinione, non poëtam Martialis iudicio, in his thermis luem morbi abstersurum dicit, aut illotum moriturum. Oppianus enim, ut lib. VII leges, pallidus affectabat poësin, eo solum nomine quod palleret: pallent enim ob studium boni poëtae. Sed Oppianus naturae vitio laborabat, non alio.

Illotus morieris, Oppiane.
Nullae sic tibi blandientur undae:
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinuessa, fervidique
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,
Non Phoebi vada, principesque Baiae.
Nusquam tam nitidum micat serenum:
Lux ipsa est ibi longior, diesque
Nullo tardius a loco recedit.
Illic Taygeti virent metalla,

1. *Etrusci*, etc. Claudii Etrusci balneis. — *Lavaris*; uteris Thermarum illarum aquis.

2. *Illotus morieris.* Neque enim aliae thermae labes tuas et malum colorem eluere valent. Vel ludit in homonymia τοῦ *illotus*, ut opponatur *lauto*, id est sordidus liberali. Mortui vero lavabantur aqua calida, unde ioci occasio. *Herald.*

4. *Aponi*. Patavio vicini, hodie *Abano*, quem celebrat Claudianus Carm. XLIX; at inter varia miracula mirificis versibus descripta, non refert causam, cur isti fontes *puellis rudes* dicantur, i. e. intacti puellis. Scribit enim Theodoricus rex esse in aquis Aponi stupendam quamdam continentiae disciplinam: nam in undam, qua viri reficiuntur, si mulier descendat, incenditur, et calore exuritur. Vel ad verecundiam forte Patavinarum respexit. — *Aponus* Graeca vox, sine labore seu tormento, sine cura, vel horrore; remedia facilia et vitam aegris porrigit. Ed. P.

5. *Mollis Sinuessa.* Vrbs Campaniae maritima, ad radices montis Marsici, hodie, ut aiunt, *Rocca di Mondragone*. Ed. P.

6. *Fluctus Passeris.* Aquae blandissimae in Campania ad mare inferum, ut putant interpretes. De his nihil reperi. — *Anxur*. Hodie, *Terracina*.

6. Codex Vaticanus, *principisve*, i. e. Domitiani. — *Phoebi vada*. Cumanum litus intelligunt interpretes, ubi nempe celebre fuit Apollinis templum, Virgil. Aen. VI. Cluverius, Italiae lib. II, cap. 2, intelligit aquas Apollinares calidas, et nobilissimas, olim *Caeretanas* dictas, iuxta Caere Etruriae oppidum. — *Principesque Baiae*; inter salubres tenent principatum aquae Baianae.

8. *Nitidum micat serenum.* Statius I, Silv. 5, 45: *Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis Perforat, atque alio sol improbus uritur aestu* Raderus.

9. *Diesque*. Et nullus est Italiae locus ubi dies tardius desinat, quia semper hic est purum et innube caelum. Ed. P.

11. *Taygeti metalla.* Marmor viride ex Taygeto monte Laconiae, nunc dicto, *Portes*, prope Spartam et Amyclas. Catachresis, *metalla*, pro lapide.

Et certant vario decore saxa,
Quae Phryx, et Libys altius cecidit,
Siccos pinguis Onyx anhelat aestus,
Et flamma tenui calent Ophitae.
Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine Martiave mergi;
Quae tam candida, tam serena lucet,
Vt nullas ibi suspiceris undas,
Et credas vacuam nictere Lygdon.
Non attendis, et aure me supina,
Iamdudum quasi negligenter audis.
Illotus morieris, Oppiane.

12. *Certant.* Marmor Sinadicum e Phrygia purpurei coloris certat marmori Nomadico e Libya flavo. — *Vario decore.* Colorum varietate certant marmora.

13. *Quae Phryx, etc.* Hoc est, ex Phrygia atque ex Libya. — *Altius cecidit.* E terra, seu lapicidina. Vel propter moles marmorum maiores.

14 *Onyx anhelat aestus.* Onychium marmor aestu sicco anhelat, sudat tamen. Sensus est, ut vult, Raderus: Onyx pinguis seu sudans, anhelat aestus siccos, id est, solem; perinde ac si hominis more aestu balnearum laboret? nec aliud dicit, quam in thermis Etrusci, etiam inter alia marmora reperiri Onychem. Alias gemma, et vas etiam unguentarium dicitur. — *Siccos aestus.* Nempe similes radiis solis.

15. *Flamma tenui.* Vapore temperato. — *Ophitae.* Marmor maculis distinctum instar serpentis. Ab ὄφις.

16. *Ritus si placeant, etc.* Sudare sicca cella, frigida lavare, etc. *Ritus si placeant.* Quos explicat ipse poëta versibus sequentibus: hoc est, si placet sudare sicca cella, frigida vero lavare.

18. *Cruda.* Frigida, gelida. Nam a sudatione, frigida se mergebant Lacones, quibus calida omnino erat interdicta, frigida quotidiana. Tum porro aquam frigidam vocant *crudam Virginem.*

21. *Lygdon.* Locus nempe erat in Tauro monte, ubi marmor candidissimum.

22. *Aure supina.* Contra, aure prona. Sic Tacit. « *Obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur.* » Quasi dicat: Tu Oppiane, mihi non auscultans, salutaria monenti, morieris illotus. Nam si te non capiunt thermae Etrusci, nullae capient: iam salubres enim sunt, ut illae solae, vel nullae te curare possint. *Ruder.* Vide lib. V, epigr. 77, vs. 2. Auris supina significat vel animi aversionem, vel habitum prope dormientis, qui caput in humeros inclinat, et negligentiam pigritiamque ostendit. Ed. P.

43. — AD CASTRICVM.

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiae;
 Canaque sulfureis Nympha natatur aquis;
Me Nomentani confirmant otia ruris,
 Et casa iugeribus non onerosa suis.
Hic mihi Baiani soles, mollisque Lucrinus;
 Hic vestrae mihi sunt, Castrice, divitiae.
Quondam laudatas quocumque libebat ad undas
 Currere, nec longas pertimuisse vias;
Nunc Vrbi vicina iuvant, facilesque recessus,
 Et satis est, pigro si licet esse mihi.

Castricus Baias petiverat: Martialis ait, sibi Baiarum loco esse suam villam Nomentanam, dum se penitus a morbo recreet: aegrum enim hunc fuisse, e verbis tertii versus intelligas.

1. *Felices indulgent, etc.* Nobiles aquis, amoenae, salubres, tibi liberaliter suas delicias largiuntur; vel, more poëtico, tu Baiarum fontibus indulges et lavaris. Ed. P.

2. Margini luntinae notrae : *Canaque sulphureis Nympha iuvatur aquis.* — *Canaque.* Sensus est : Natas in aqua cana, quia sulphurea; et Nympham posuit pro fonte, seu aqua; vel ob reverentiam numinis aquarum cani. Adde quod aquis praeerant Nymphae; et Veteres aquam ipsam vocant *nympham*, quam nos mutata prima littera *lympham* dicimus. Ed. P.

3. *Confirmant.* Ex hoc verbo licet colligere Martialem fuisse aegrotum, atque tunc incepisse convalescere in agro suo Nomentano non procul ab Vrbe, de quo lib. II, ep. 38.

4. *Non onerosa.* Hoc est, pro modo, et ratione fundi aedificata, nec nimis magna, nec parva nimis.

5. *Hic mihi Baiani soles.* Non ultra Nomentanum agrum quaero balnea et delicias (legerim itaque *deliciae* pro *divitiae* in sq. versu) quas olim Baiis et in lacu Lucrino quaerere solebam.

6. *Divitiae.* Lautitiae Baiarum et luxus.

7. *Laudatas, etc.* Baias, Lucrinum lacum, Tiburtinam, Martiam, etc. Lib. IV, epigr. 60.

8. *Nec pertimuisse vias.* Olim mihi satis virium erat ad perlustranda quaeque loca salubritate fontium amoena, quantumcumque inter se dissita forent, nunc, etc. Ed. P.

9. *Nunc Vrbi vicina iuvant.* Me aetate provectiorem, invalidum, et pigrum iuvant vicina. — *Facilesque recessus*, i. e. suburbani, et quasi ad manum.

10. *Et satis est.* Sufficit, si mihi liceat otiosam vitam agere.

44. — IN CALLIODORVM.

Festive credis te, Calliodore, iocari,
Et solum multo permaduisse sale.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes;
Sic te convivam posse placere putas.
At si ego non belle, sed vere dixero quiddam;
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

2. *Permaduisse*. Putas te solum esse facetum et iucundum divitibus, quorum coenam captas, et madidum imbutumque salibus et leporibus.

4. *Sic te convivam, etc.* Et dicteriis instructus tanquam facetus scurra mensas alienas petis.

5. *At si ego, etc.* At si non salse, sed vere dixero quiddam, id est, te esse impuri oris φοινικίζοντα, nemo te ad craterem suum invitabit.

6. *Nemo propinabit.* Propter oris tui impuritatem nemo tibi suum poculum tradet in quo bibas; id est, nemo te invitabit ad coenam. Qui propinabant alii aliis, vulgo ex eodem scypho bibebant.

45. — IN NVPTIAS LYGDI ET LECTORIAE.

Lusistis, satis est; lascivi nubite cunni;
Permissa est vobis non nisi casta Venus.
Haec est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo;
Turpior uxor erit, quam modo moecha fuit.

1. *Lusistis.* Legem Iuliam, qua adulteria prohibebantur, revocaverat Domitianus epigr. 7 supra. Iuvenal. Sat. II, 32: *qui tunc leges revocarat amaras Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas.* Ergo moecha Lectoria coacta est nubere concubino Lygdo. Epigr. 39 supra vs. 13: *Ex concubino natus est tibi Lygdo.* — *Satis est..... nubite.* Tu moecha, et tu mollis concubine, satis est nequitiarum; inita matrimonium; sic iubet lex quae prohibet adulteria: sic duo adulteri coniongentur. Et qoid, si Lygdus erat spado, ut Domitius ait? tunc maiori iure indignaretur Iuven. Sat. I, 22: *quum tener uxorem ducat spado.*

2. *Permissa est vobis non nisi casta Venus.* Verba haec edicti legis Iuliae.

4. *Turpior.* Nupta enim concubino adulterium fateri videbatur. Epigr. 22 supra.

46. — AD CATIANVM.

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,

Ex quatuor aurigarum factionibus Veneta Domitiano erat invisa, eademque grata quondam Vitellio. Aurigae itaque Venetae factionis insultat poë-

Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

ta, ironice collaudans eum quod assiduo consmine moliretur, nec tamen metam contingeret victor.

1. *Vapulat.* Quidam auriga ex Venetorum factione equos quadrilugos assidue verberabat, nec tamen illi properabant: illum irridet Poëta, quasi magnam rem faciat, qui quum equos verberibus disrumpat, non currant tamen; vel qui cum tali quadriga audeat venire in certamen. Erant autem quatuor factiones; Venetorum nempe, qui caeruleum ferebant, caelo et mari sacri: Prasinorum, qui viridem, terrae seu veri et floribus dicati: Russatorum, qui igni, et Marti: Alborum, qui albos viridi mixtos gerebant pannos. Eo. P.

2. *Magnam rem facit.* Εἰρωνικῶς. Nempe, qui quum tantopere vapulet, non currat tamen: nec temere facit, si placere Domitiano voluerit. Eo. P.

47. — AD IANTHIDA NYMPHAM.

Nympha, mei Stellae quae fonte domestica puro
Laberis, et domini gemmea tecta subis;
Sive Numae coniux Triviae te misit ab antro,
Sive Camoenarum de grege nona venis;
Exsolvit votis hac se tibi virgine porca

Occasionem captat laudandi fontis Stellae. Aeger poëta furtim hauserat aquam ex fonte Stellae, quae ut sibi non noceret, vovit Ianthidi porcam. Hic se votum ait solvere, porroque rogat, ut securus fontem illum Ianthidos bibat, Ianthida enim vocat aquam ab uxore Stellae. *Rad.*

1. *Nympha.* Numen fontis, lympha, aqua. — *Domestica.* Intra parietes.

2. *Domini.* Stellae. — *Gemmea tecta subis.* E vario marmore nitentia, ac si gemmea forent.

3. *Sive Numae coniux.* Aegeria nempe de qua Florus in Numa. Ovid. Fast. III agit de fonte Aegeriae: *Aegeria est, quae praebet aquas, Dea grata Camoenis, Illa Numae coniux, consiliumque fuit.* Sive e specu nymphae Egeriae, quae uxor Numae in valle Dianae Aricinae, sive ex fonte Musarum, quibus annlea Egeria, vel (ut quidam volunt) una e Musis. *Triviae, etc.* Alii cum Turnebo intelligunt Dianam Ariciae cultam ab Anna Peranna.

4. *Sive Camoenarum.* Hoc est, seu laberis ex fonte Musarum, vel seu venis una ex novem Musis. Egeriam nonnulli unam ex Musis existimarunt. Dion. Halic. asserit, *id omnibus esse manifestum.* Liv. lib. I, ait lucum cum fonte et specu Musis consecratum. Poëta ergo dubitat, an Musae vel Egeriae fons sit ex antro Egeriae in aedes Stellae ductus.

5. *Exsolvit.* Huic Nymphae, seu huic fonti vota nuncupaverat Martialis, se nempe porcam intactam immolaturum, quod aegrotus furtim bibisset aquam ex illo fonte. Horatius III, od. 13, haedum immolat fonti Bandusiae.

Marcus, furtivam quod bibit aeger aquam.
Tu contenta meo iam crimine, gaudia fontis
Da secura tui: sit mihi sana sitis.

6. *Furtivam, etc.* Cur furtivam maluit quam ab amico donatam? an ex superstitione? an quia dulcior aqua furtiva?

7. *Gaudia fontis.* Hoc est: Tu, o Nympha jam secura, meo scilicet scelere expiato, fac mihi copiam salubrium tuarum aquarum. Vel forte *secura* refer ad *gaudia*.

8. *Sit mihi sana sitis.* Iam a morbo recreatus nunc ita sitiam, ut olim aeger sitiebam. Veteres inter pocula certam precandi formulam, et praesertim vocabulum *bene* usurpabant.

48. — IN POMPONIVM.

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, coena diserta tua est.

1. *Grande sophos.* De hac exclamatione egimus lib. I, epigr. 4, 7. Versus suos coram amicis ad coenam vocatis recitare solebant Veteres. Poëta hunc Pomponium irridet, qui non laudaretur ob versus, sed propter coenam lautam. Sic Persius sat. 1, 54: *Calidum scis ponere sumen, Scis comitem horridulum trita donare lacerna.* — *Turba togata.* Laudicoenae, et σοφοκλεῖς qui in recitationibus solent ἐπισημῆνασθαι· Ὀρθῶς, Σοφῶς, etc. in Theoph. Charact. περὶ κολακείας.

2. *Coena diserta tua est.* Suffragia haec et acclamationes a blandientibus, et coena vel trita veste corruptis, exagitat Horat. sub fine epistolae ad Pisones; et Plinius, quem vide de huius rei origine, modo, foeditate lib. I, epist. 14.

49. — DE SE PRIAPVS.

Non sum de fragili dolatus ulmo,
Nec quae stat rigida supina vena,
De ligno mihi quolibet columna est,
Sed viva generata de cupresso;
Quae nec saecula centies peracta,
Nec longae cariem timet senectae.

2. *Vena.* Σάθη.

3. *Columna.* Ob immensam crassitudinem.

4. *Sed viva.* Vitalitatis cupressi rationem addit duobus versibus sequentibus. Vide epigr. 73 infra vs. 7: *perpetua, nunquam moritura.*

6. *Nec cariem timet senectae.* Et verum: nam proprium est illud lignorum resina imbutorum, ut longae annorum seriei resistant, Ed. P.

Hanc tu, quisquis es, o malus, timeto;
Nam si vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite laeseris racemos;
Nascetur, licet hoc velis negare,
Inserta tibi ficus a cupresso.

9. Hains. ad Ovid. Art. Am. III, 703, putat omnino scribendum *legeris*; non *laeseris*; quod tamen editos ac manu exaratos, quos vidit, codices omnes occupavit.

10. *Nascetur*. Tibi inseretur vena mea cupressea, quae ficum producet. Epigr. 16 supra. Ed. P.

50. — DE THELESINO.

Quum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
  Errabat gelida sordidus in togula.
Obscoenos postquam coepit curare cinaedos,
  Argentum, mensas, praedia solus emit.
Vis fieri dives, Bithynice? conscius esto.
  Nil tibi, vel minimum, basia pura dabunt.

1. Gruterus legit *amores*, probante Farnabio.— *Quum coleret puros, etc.* Sensus est: Nihil consequutus est Thelesinus, dum coluit amicos castos; at vero dives factus est, statim ac coluit homines turpes, infames cinaedos, quorum libidinis conscius fuit.

2. *Gelida in togula*. Errabat, nescius quid faceret, ut meliore conditione frueretur, hunc et illum visens, in togula gelida, quia trita longo usu. Ed. P.

4. *Argentum*. Vel caelatum, vel purum.

5. *Conscius esto*. Scelerum alienorum et impuritatis.

51. — AD LVPERCVM.

Quod convivaris sine me tam saepe, Luperce,
  Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasque, rogesque.
  Quid facies? inquis: Quid faciam? veniam.

1. *Quod convivaris*. Carpit Lupercum, qui raro eum ad coenam invitaret.

3. *Irascor licet* in quibusdam.

4. *Veniam*. Exspectarat ex praecedentibus Lupercus dicturum Poëtam se vocatum non venturum. Respondet autem ἀπροσδοκήτως se venturum. Quod male urit avarum convivatorem.

52. — EPITAPHIVM PANTAGATHI TONSORIS.

Hoc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
  Pantagathus, domini cura, dolorque sui,
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
  Doctus, et hirsutas excoluisse genas.
Sis licet, ut debes, Tellus placata, levisque;
  Artificis levior non potes esse manu.

Pantagathi pueri servi et tonsoris expediti et facilis, tumulus.

2. *Pantagathus.* Raptus fato immaturo, amor nempe domini dum viveret, dolor vero ex quo mortuus. Ipsius forte Poëtae fuit servus.

3. *Vix tangente, etc.* Propter facilem et levem in tondendo radendoque manum, tu sis illi levis, o terra. Vid. lib. V, epigr. 34, vs. 9 et 10.

6. *Artificis levior.* Quamvis, o tellus, Pantagatho sis levissima, facilitatem tamen Pantagathi vincere non potes; nec potes tam levis esse pondere, quam lavis et facilis illius manus fuit, quum tonderet capillos, vel barbam; vix enim tangi ferro videbantur. Ed. P.

53. — DE ANDRAGORA.

Lotus nobiscum est, hilaris coenavit; et idem
  Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitae mortis causam, Faustine, requiris?
  In somnis medicum viderat Hermocratem.

4. *In somnis, etc.* Perniciosum mehercule medicum! cuius imago vel per somnium visa, faceret ad mortem. Quid ipse fecisset arte sua inerti?

54. — DE SEXTILIANO.

Tantos, et tantas si dicere Sextilianum,
  Aule, vetes; iunget vix tria verba miser.
Quid sibi vult? inquis: dicam, quid suspicer esse;
  Tantos, et tantas Sextilianus amat.

4. *Tantos.* Praegrandes draucos. — *Tantas*; scilicet eorum mentulas. De illo lib. I, epigr. 12 et 27.

55. — IN CORACINVM.

Quod semper casiaque, cinnamoque,
Et nido niger alitis superbae
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes;
Malo, quam bene olere, nil olere.

In olentem et infamem, et nimiis notabilem deliciis est epigramma. Quicumque enim hircum olet, variis pigmentis compescit vel gravem animam, vel corporis vitium; quibus odoribus haud eget nihil olens et purus. *Rader.*

1. *Casiaque, cinnamoque.* Synecdoch. pro quovis aromate: sunt frutices odoris suavissimi. Ed. P.

2. *Nido niger, etc.* Vnctus thure quod aeque ac cinnamomum et casiam in nidum congerit Phoenix, atque inde discutitur. Plin. lib. X, cap. 2, et lib. XII, cap. 19 refert, negatque. Thus ergo intelligit, quod cinnamo adiunctum delicatis fragrantiam ministravit.

3. *Fragras* semper *plumbea Nicerotiana.* Redoles unguenta a Nicerote arometopole confecta, et in vasis plumbeis cocta in umbra, ut docet Plin. lib. XIII, cap. 2. At alii referunt ad sagittas plumbeas, quibus cinnamomum ex Phoenicis nido decussum tradit Aristot. lib. VI, de Nat. Animalium cap. 13.

5. *Nil olere.* Cur melit nihil olere, explicuit Poëta lib. II, ep. 12. *Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper: Posthume, non bene olet qui bene semper olet.*

56. — IN CHARIDEMVM.

Quod tibi crura rigent setis, et pectora villis,
Verba putas famae te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
Quae ratio est? inquis: scis multos dicere multa,
Fac paedicari te, Charideme, putent.

1. *Quod tibi crura, etc.* Crura et pectus hispida setosaque prae te ferendo, putas te contra iturum et decepturum famam quae de tua mollitie increbuit.

2. *Exstirpa, etc.* Lib. II, epigr. 29, versu 6.

5. *Dicere multa.* Loqui varia de tua turpitudine. Πολλὰ καὶ παντοῖα dicunt Graeci eleganter.

6. *Fac, etc.* Hanc quasi levioris criminis suspicionem oppone illi graviori, quod te suspicantur Φοινικίζειν.

57. — IN PHOEBVM.

Mentiris fictos unguento, Phoebe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calva comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum;
Radere te melius spongia, Phoebe, potest.

Phoebum canum et calvum, fictitios sibi capillos comparantem irridet: nam calvities ignominiosa.

1. Pro *fictos* legendum esse *tactos* conj. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 740; *fictos* tamen defendi posse putabat Oudend. ad Lucan. X, 491. — Emendationem Heinsii firmat codex Thuan. qui *factos* habet: forte tamen e recepta non inutiliter *tinctos* eliceres, quod (hoc modo, *tictos*) exhibet Iuntina nostra in margine. — *Mentiris fictos*. Turnebus lib. XXV, cap. 27. Olim qui erant toto capite calvi, sibi solebant unguento perfusi velut fila capillorum imitari. Vide ep. 74 infra.

2. *Et tegitur fictis* conj. Ant. *de Rooy*. « Vult Poëta, *inquit ille*, Phoebum tegi calvam sordidam galero, et hoc modo mentiri capillos unguento tactos. »

4. *Radere te*. Hoc est, abstergere pictos crines, et delere potest sola spongia. *Radere* non dicitur proprie nisi de novacula, quae veros capillos resecat; sed iis caret Phoebus.

58. — AD AVLVM PVDENTEM.

Cernere Parrhasios dum te iuvat, Aule, Triones
Cominus et Scythici sidera pigra poli;
O quam paene tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiae vidi nubila fusca plagae!

Aulo Pudenti in Sarmatico bello occupato exponit morbum suum, quo se prope ait extinctum: sed nunc revalescere, sperareque mox futurum, ut salvus ipse salvum ex militia venientem Pudentem, et primipilatu, hoc est equestri honore affectum, salutet. *Rader.*

1. *Cernere Parrhasios, etc.* Dum tu centurionis stipendia mereris apud Getas in Sarmatia, quae ad Septentrionem sita.

3. *O quam paene tibi, etc.* Quam paene mortuus sum. Sic Horat. II, Od. 13: *Quam paene furvae regna Proserpinae vidimus!* Ed. P.

4. Ant. *de Rooy* reponendum hoc Nostri loco censet, *nubila furva*. *Furvus* epitheton, quo semper de rebus infernis usos esse auctores, dudum monuerunt Heins. ad Ovid. Met. III, 273, et Broukh. ad Propert. IV, 11, 3, quos vide. — *Elysiae nubila fusca plagae*. Etsi omnia in inferis sint fusca vel atra: tamen attendendum est hic agi de plaga, de quodam aditu, ad feliciores sedes, ubi purum erat caelum, et caelo superno par. Ed. P.

Quamvis lassa, tuos quaerebant lumina vultus;
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificae ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos;
Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili praemia clarus eques.

5. *Quaerebant.* Oculi mei quasi in morte graves et natantes desiderabant tuum conspectum. Tacit. Agric. 45 fin. Ed. P.

9. Codex Oxon. penes Farnabium: *reveheris ad oras.*

10. *Et referes.* Hoc est, primipili seu primi centurionis legionis honore et equestribus ornamentis decoratus redibis: qui enim primipilus fiebat, statim in ordinem equestrem adscribebatur, teste Lipsio de Militia Romana lib. II.

59. — IN BACCARAM.

Et dolet, et queritur, sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas:
Optat et obscuras luces, ventosque nivesque;
Odit et hibernos, si tepuere, dies. 4
Quid fecere mali nostrae tibi, saeve, lacernae,
Tollere de scapulis quas levis aura potest?
Quanto simplicius, quanto est humanius istud,

Vt Zoilus morbum simulabat, quo ostentaret stragulam vestem, ita Baccara iste hiemem optabat, qua ferendi gausapinas, penulas villosas, esset occasio. Poëta indignatur et non haberi sui rationem a Baccara, qui frigora defendere multis gausapinis possit; in gratiam tenuiorum potius optandam esse aestatem; vel certo mediis caloribus sumendas gausapinas. Ed. P.

1. *Et dolet, et queritur.* Iste Baccara dolebat hiemem non saevire, ut posset ostentare gausapinas, penulas nempe villosas, quibus utebantur Romani hiberno tempore et frigido.

3. *Obscuras luces, etc.* Vt caelum sit nubilum, frigidum, etc. Quid interest? caetera plebs patiatur.

5. *Quid fecere mali.* Cur petis tu hiemem, quum me videas nudum et ventosa indutum lacerna? nulla tibi pannosorum cura? — *Saeve*, vel *Saeva:* nomen est fictum, inquit Raderus, seu feminae, seu viri: placet accipere pro virili, nescio an feminis gestatae gausapinae.

6. *Tollere de scapulis, etc.* Leves nimium et tenues.

7. *Simplicius, humanius istud.* Faceres multo *simplicius*, si ostentationis tuae morbum confitendo, gausapinas vel per summum aestatis ar-

Mense vel Augusto sumere gausapinas?

dorem gestares; *humanius*, si non velles imprecari frigus nobis, quibus tenues ac tritae lacernae vix humeros protegunt. Ed. P.

60. — DE POMPILLO, AD FAVSTINVM.

Rem factam Pompilus habet, Faustine: legetur,
  Et nomen toto sparget in orbe suum.
Sic leve flavorum valeat genus Vsipiorum,
  Quisquis et Ausonium non amat imperium.
Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur.
  Sed famae non est hoc, mihi crede, satis.
Quam multi tineas pascunt blattasque diserti!
  Et redimunt soli carmina docta coci!
Nescio quid plus est, quod donet saecula chartis,
  Victurus Genium debet habere liber.

Vt scripta, librique auctoris aeternent, opus esse non tantum ingenio, sed etiam genio affirmat poëta, atque ingenium quidem esse Pompillo, deesse tamen genium.

1. *Rem factam, etc.* Famam et nominis, quam desideravit, celebritatem: eadem phrasis lib. I, epigr. 28; et lib. II, epigr. 26; diciturque de eo, qui rem spe certa iam devoravit; qui sine dubitatione putat usque perfectum iri, quod desiderat. *Rader.*

3. *Sic leve.* Sic valeant hostes populi Romani, ut libri Pompilli; hoc est, utinam sic pereant, ut libri Pompilli perituri sunt. Vsipii vero populi sunt Germaniae Rheni accolae ex Tacito. Leves dicuntur, quod a Romanis defecissent. Et hoc respondet poëta priori disticho ex persona vulgi.

5. *Ingeniosa tamen.* Imperiti nempe censent ingeniosa esse scripta Pompilli: poëta respondet hoc non sufficere ad consequendam famam. — *Ingeniosa, etc.* Iactat vulgus.

6. *Sed famae, etc.* Resp. Poëta.

7. *Tineas pascunt, etc.* Scribunt, quae, nemine legente, tineis ac blattis relinquantur escae.

8. *Carmina docta coci!* Quae togae sunt cordyllis, et piperis cuculli.

9. *Quod donet, etc.* Aeternitatem, famam, etc.

10. *Genium debet, etc.* Nativam quandam vim et ingenuam facultatem, non ingenium coactum, quod male respondet. Vel, felicitatem quandam et quasi genii favorem, cuius patrocinio libris aeque opus est ac viris, urbibus, etc. Ed. P.

61. — IN INVIDVM.

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos;
Meque sinus omnes, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

En quam frequentem habuerit lectorem hic epigrammatarius: non minus certe hodie omnium doctorum, indoctorumque prope manibus teritur. Describit deinde affectus, signaque Zoilorum et liventium. *Raderus.*

1. *Mea Roma.* Hoc est, mihi amica et benevola.

2. *Sinus.* In sinu aliquid ferre, est diligere admodum, magnique pendere. Ed. P.

3. *Ecce rubet.* Describit Poëta animi motus quibus cruciantur invidi. — *Oscitat.* Ore hiscit, quod signum est fastidii. Vid. epist. II, 6, 4, de *oscitationibus.*

4. *Nunc nobis.* Nunc, inquit, mea mihi placent carmina, quum displiceant invidis.

62. — AD OPPIANVM.

Amisit pater unicum Silanus;
Cessas mittere munera, Oppiane?
Heu crudele nefas, malaeque Parcae!
Cuius vulturis hoc erit cadaver?

Oppianum haeredipetam carpit. Quasi dicat: Pater Silanus praedives unico filio privatus est: non captas hanc praedam, Oppiane, qui soles omnium haereditatibus viduorum viduarumque imminere?

2. *Cessas mittere, etc.* An cessas captare muneribus hunc Silanum, o haeredipeta?

3. *Parcae.* Quae unicum Silani filium sustulistis.

4. *Cuius vulturis, etc.* Cui haeredipetae continget haec praeda? *Qui, ut haeres scribatur, consolatur, aut assidet; vultur est, cadaver exspectat.* Seneca epist. 95. — *Cadaver* patris, non filii. Ed. P.

63. — AD MARIANVM.

Scis te captari: scis hunc, qui captat, avarum;

Convenit argumentum cum superiore. Marianum enim indignabundus irridet, quod fraudem captatoris non notet.

1. *Scis te captari.* Marianum hunc irridet poëta, qui blanditiis et muneribus illici se patiebatur ab avaro, quem bene noverat. Ed. P.

Et scis qui captat, quid, Mariane, velit;
Tu tamen hunc tabulis haeredem, stulte, supremis
Scribis, et esse tuo vis, furiose, loco.
Munera magna quidem misit, sed misit in hamo;
Et piscatorem piscis amare potest?
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut ploret, des, Mariane, nihil.

2. *Quid, Mariane, velit.* Mortem tuam, quo citius fruatur bonis tuis.
4. *Esse tuo vis, etc.* In locum, ius, et bona tua succedere.
7. *Vero tua fata.* Fictae erunt eius lacrymae; haeredis enim fletus saepissime risus est.
8. *Des nihil.* Vana exspectatione delusus, tunc vere flebit.

64. — IN DETRACTOREM.

Quum sis nec rigida Fabiorum gente creatus,
Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice coniux;
Sed patris ad speculum tonsi, matrisque togatae
Filius, et sponsam possit te sponsa vocare:

Indignatur poëta sua carmina velut turpia, carpi ab eo, qui turpior sit suis carminibus, qua moribus, qua natalibus; hoc vero ferendum non esse, iuxta et Iuvenalis dictum, satir. II, 9: *Castigas turpia, quum sis Inter Socraticos notissima fossa cinaedos.* Clam vero occasionem sumit commendandi sua carmina. *Rad.*

1. *Quum sis.* Tu, quem nec maiorum ornant, nec propriae virtutes, auden'tu, o vilissime et mollissime, tibi critica arrepta virga mea carpere carmina, eaque a laudatis laudata? — *Rigida gente creatus.* Studiis belli asperrima.

2. *Curio.* M. Curio Dentato, qui agriculturae studiis non minus quam victoriis et triumphis apud auctores celeber. Quum ergo tu nec e Fabia gente, nec e M. Curii Dentati natus sis, audes tamen me carpere.

3. *Hirsuta peperit.* Nec tu es ille, quem Curio marito *coniux rubicunda*, id est, rustica et sole colorata, sub ilice hirsuta et comata peperit: nimirum nec tu e gente Curiorum.

4. *Ad speculum tonsi.* Mollis, effoeminati, pathici; qualis erat Otho, cui *speculum civilis sarcina belli.* Iuven. sat. II, vs. 103: ibidem 99: *Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis.* Et ex eorum numero qui curiose et fastidiose tondentur; quibus vita inter pectinem et speculum degitur. — *Togatae.* Famosae adulterae; adulterii convictae, cogebantur toga indutae in publicum procedere. Ed. P.

5. *Sponsam possit, etc.* Vsque adeo effeminatus est et mollis, ut sponsa

Emendare meos, quos novit fama libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas;
Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere totam
Non aspernantur proceres urbisque forique;
Quas et perpetui dignantur scrinia Sili,
Et repetit toties facundo Regulus ore;
Quique videt propius magni certamina Circi
Laudat Aventinae vicinus Sura Dianae;
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum
Non dedignatur bis terque revolvere Caesar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva
Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenae.
Ne valeam, si non multo sapit altius istud,
Quod cum panticibus laxis, et cum pede grandi,
Et rubro pulmone, vetus nasisque timendum,
Omnia crudelis lanius per compita portat.
Audes praeterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras et perdere chartas.
At si quid nostrae tibi bilis inusserit ardor,
Vivet, et haerebit, totoque legetur in orbe;
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.

cum Diogene dubitare possit, vir ne sis, an mulier?

7. *Felices carpere nugas.* Doctorum calculo et praeconio nobilia atque victura carmina.

12. *Quique videt.* Sura, orator clarissimus, habitabat in monte Aventino, ubi Diana colebatur, unde poterat despicere in circum maximum vicinum.

15. *Caesar.* Domitianus.

16 *Sed tibi.* Ironice. Tu tamen tibi arrogas plus iudicii. — *Minerva.* Et tibi artium atque Athenarum quae magistra sapientiae perhibetur, praeses Minerva polivit ingenium et exacuit iudicium.

17. *Tenues.* Subtiles, acutae.

18. *Ne valeam.* Hoc est, dispeream, si non plus sapit cor pecudis quod venale circumfert lanius per totam urbem.

19. *Panticibus.* Intestina sunt cum adipe et omaso.

20. *Nasisque timendum.* Quia putridum, corrupto iam pulmone.

22. I. e. Carmina quae nemo legat.

24. *At si quid nostrae bilis ardor, etc.* Hoc est: At si ego iratus versus in te scripsero, non peribunt, tibique sempiternam infamiae notam inurent.

26. *Stigmata.* Notas infamiae intellige, quas fugitivorum servorum

Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sit placidus licet, et lambat digitosque manusque;
Si dolor, et bilis, si iusta coëgerit ira,
Vrsus erit: vacua dentes in pelle fatiges,
Et tacitam quaeras, quam possis rodere carnem.

fronti imprimere solebant Romani. Inustam libi es meis epigrammatis infamiam. Meiaph. a punctis corpori ferro candente inustis, quae lepide Petronius c. 103, *epigrammata* dixit. — *Cinnamus arte.* Tonsor, l VII, ep. 64.

27. *Rabido nec perditus ore.* Noli latratu tuo ad iram irritare me, quem compelles ursum vivum et in iras pronum, ubi dabitur occasio. Quin potius, o timide ac imbecillis catule, pellem ursi foeno fartam mordicus lacessis, unde tibi nihil impendet periculi? me vivum senties. Cave canis, et quaere aliam carnem quam tacitus rodas. Vel ne ursum iram spirantem, anima tua et voce irritaris. Hieroglyphici enim vehementem iram significaturi, ursum fingunt, quod id animal immodicis animis soleat excitari. *Nasum* addit, nam ibi sedes irae: *Bilis in nare sedet;* δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Theocr. idyll. 1, vs. 18, de Pane. Flatus enim et spiritus vehementior iram prodit.

28. *Fumantem vivi nasum* legit Scriv.

29. *Sit placidus licet.* Id est, cicur, mansuefactus.

31. *Vrsus erit.* Redibit ad ingenium: nativum furorem resumet. Ed. Par. — *Pellem vacuam*, mortuam rode, canum imitator; me vero vivum ne tangas. Horat. II, sat. 1, 45: *qui me commorit, melius non tangere clamo, Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.*

32. *Et tacitam carnem quaeras.* Quaere alium quem tuis maledictis carpas; qui nec sentire tuam obtrectationem, nec ulcisci queat. Ed. P.

65. — AD TVCCAM.

Hexametris Epigramma facis, scio dicere Tuccam.
Tucca, solet fieri; denique, Tucca, licet.
Sed tamen hoc longum est: solet hoc quoque, Tucca, li-
Si breviora probas, disticha sola legas. (cetque;
Conveniat nobis, ut fas Epigrammata longa
Sit transire tibi; scribere, Tucca, mihi.

1. *Hexametris.* Superius epigramma ut longum, atque hexametris scriptum, sane redarguerat Tucca: quod utrumque fieri posse docet poëta. Tucca, nomen illius qui Virgilium emendavit, censore dignum.

3. Edd. vett. *licere.* Scriv. et Gruter. *licetque;* hanc lectionem dubitanter recepimus. Ed. P.

5. *Conveniat nobis, etc.* Ex pacto inter nos ita dispertiamus munia; ut mihi liceat longa epigr. scribere, tibi transire. Ed. P.

66. — DE PRAECONE PVELLAM VENDENTE.

Famae non nimium bonae puellam,
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modo praeco Gellianus.
Parvo quum pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis,
Attraxit prope se manu negantem;
Et bis, terque, quaterque basiavit.
Quid profecerit osculo; requiris?
Sexcentos modo qui dabat, negavit.

2. *Quales in media, etc.* Lupae scilicet, quae in regione Suburrana urbis Romae habitabant. Ed. P.

4. *Parvo quum pretio diu liceret.* Volui aliquando *licerent*. Est enim proprie pretium offerentis, quasi empturi. Plautus: *Iocos ridiculos vendo: agite, licemini.* Sed tamen vendenti quoque videtur tribuere Suetonius, Calig. 38: *Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Caio praeconem, ne praetorium virum crebro capitis motu nutantem sibi praeteriret: nec licendi finem factum, quod ad tredecim gladiatores sestertio nonagies ignoranti addicerentur.* Gronovius. Gallice, *vendre à l'encan.*

5. *Dum puram cupit, etc.* Dum facilem, sed negantis arte instructam puellam, pro pudica et pura approbare cupit, eoque vendibiliorem facere, reluctantem illam et negantem saepius basiavit. Quod ubi fecisset praeco, oris non magis puri quam Sabidius, lib. I, epigr. 33, et lib. III, epigr. 17, vel Posthumus, lib. II, epigr. 10, adeo impurum reddidit, quam puram approbare voluit; ut qui modo sexcentos licitus est, iam se daturum neget.

6. *Manu negantem.* Puella illa erat quidem facilis; at instructa arte meretricia negabat, quo magis placeret Gallice, *la coquetterie.*

67. — AD PANNICVM DE GELLIA VXORE.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quaeris,
Pannice? vult futui Gellia non parere.

2. *Non parere.* Iuven. sat. VI, 367: *Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent, etc.* Ed. P.

68. — DE MORTE EVTYCHI PVERI.

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino,
Naides, et luctus sentiat ipsa Thetis.
Inter Baianas raptus puer occidit undas
Eutychus, ille tuum, Castrice, dulce latus.
Hic tibi curarum socius, blandumque levamen;
Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.
Numquid te vitreis nudum lasciva sub undis
Vidit, et Alcidae Nympha remisit Hylam?
An Dea femineum iam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri solicitata viri?
Quidquid id est, subitae quaecumque est causa ra-
Sit, precor, et tellus mitis, et unda tibi. (pinae,

1. *Nefas vestrum.* Quod sit hoc nefas, docebit tertius versus — *Toto flete Lucrino.* Emisso quasi per lacrymas toto lacu Lucrino et in mare profluente, ut Thetis in mari luctum sentiat. — *Flete nefas.* Eutychus puer Castrici aquis Baianis exstinctus est, cuius mortem deflet P. Eta. En. P.

2. *Ipsa Thetis.* Thetis Nerei filia, et uxor Pelei, pro ipso mari ponitur. Sensus est: Thetis audiat vel forte ipsa experiatur vestrum dolorem.

4. *Latus.* Latero; qui lateri tuo semper haerebat, qui latus tuum usque tegebat.

6. *Alexis erat.* Puer Castrico in deliciis, ut Virgilio Alexis, *Vel* alter Alexis. Virgil. Eclog II.

8. *Revisit.* Alii. — *Et Alcidae Nympha* Et rapuit te Hyla pulchriorem, restituitque Herculi Hylam.

9. *An Dea.* Salmacis Hermaphroditum Veneris et Mercurii filium amavit. Ovid. Met. IV.

10. *Solicitata.* Eutychi *amplexu.*

69. — DE BASSA.

Non miror, quod potat aquam tua Bassa, Catulle;
Miror, quod Bassi filia potat aquam.

1. *Non miror, etc.* Non miror Bassam sumere aquam qua parte opus est, quum norim eam esse quae tibi ore morigeratur: sed miror eam in tantum degenerasse a patre Basso. Vtrum sanctus ille fuerit, et filia tam dedecorosa indignus, an temulentus et meracus ebrius?

70. — AD MARTIANVM.

Sexagesima, Martiane, messis
Acta est, et, puto, iam secunda Cottae;
Nec se taedia lectuli calentis
Expertum meminit die vel uno.
Ostendit digitum, sed impudicum,
Alconti, Dasioque, Symmachoque.
At nostri bene computentur anni,
Et, quantum tetricae tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur:
Infantes sumus, et senes videmur.
Aetatem Priamique Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane,
Multum decipiturque falliturque.
Non est vivere, sed valere, vita.

Cottam felicem praedicat, quod tota vita, nullo morbo tentatus fuerit; se infelicem, qui vix ullam a dolore horam vacuam vixerit.

3. *Taedia lectuli calentis* Hoc est, non meminit se unquam ardenti febre laborasse; propter quam incalescit lectus.

5. *Ostendit digitum, etc* Per contemptum et derisionem ostendit medicis medium unguem, infamem et impudicum digitum.

6. *Alconti, Dasioque, Symmachoque.* Medicis. Iuvenal. sat. x, 53: *Mediumque ostenderet unguem.* Eo. P.

8. *Et, quantum, etc.* Et a melioris vitae statu subducantur quantum temporis sit impensum animi vel corporis morbis, facile apparebit nos diu fuisse, parum vixisse.

14. *Decipitur.* Nam qui diu vivunt, ut Priamus et Nestor, qui gravi animi et corpori dolore cruciati sunt, non fruuntur vita longa, sed qui semper sani sunt, et vitam hilarem agunt. Decipere, *attraper, duper*; at fallere, *induire en erreur*: Virg. Aen. IV, 17, *amor deceptam morte fefellit.* Eo. P.

15. *Non est vivere, etc.* Immo, *valere est philosophari*, inquit Seneca; *sine hoc aeger est animus.* Epist. 15.

71. — DE TELETHVSA.

Edere lascivos ad Baetica crusmata gestus,

1. *Edere lascivos, etc.* Eum deridet Poëta, qui vendiderat Thelesinam, vel Telethusam suam servam, quam postea eius amore captus rede-

Et Gaditanis ludere docta modis;
Tendere quae tremulum Pelian, Hecubaeque mari- (tum
Posset ad Hectoreos sollicitare rogos;
Vrit et excrnciat dominum Telethusa priorem:
Vendidit ancillam; nunc redimit dominam.

mit. — *Ad Baetica crusmata gestus.* Κρούματα, tympanorum et cymbalorum pulsus cum digitorum crepitu, cuiusmodi saltationes Hispanis in usu esse docet I. C. Scalig. lib. I, cap. 18. Poët. et hodie videmus. — *Crusmata.* Hoc est, sonitus, a verbo κρούω, *pulso. Baetica*, scilicet Hispana; Baetis enim Hispaniae fluvius; hodie, *Guadalquivir.* Puellae autem Hispaniae, maxime Gaditanae, choreas agebant valde lascivas.

2. *Modis.* Quos tres enumerat ibid. Scaliger *chironomiam*, *halma*, *lactisma.*

3. *Tendere quae tremulum.* Quibus ad libidinem incendi *iam frigidus aevo Laomedontiades et Nestoris hernia possit.* Iuvenalis in Sat. IV, vs. 325. — *Tendere.* Ad rem veneream idoneum reddere, rursusque ex vieto decrepitoque sene adolescentem facere. — *Pelian.* Patrem Iasonis longaevum, regem Thessaliae. — *Hecubaeque maritum.* Priamum.

4. *Ad Hectoreos rogos.* Vel in medio moerore, in funere Hectoris.

6. *Vendidit ancillam.* Postquam desiderio eius excruciatur, quam ancillam vendiderat, redimit, ut illi serviat.

72. — DE CILICE FVRE.

Fur notae nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum;
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Praeter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacua manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

2. *Cilix.* Nomen proprium: alias gentile, id est *Cilicia*, Asiae minoris parte, oriundus. Ed. P.

4. *Marmoreum Priapum.* Egregium sane custodem, de quo exclamare libet; *sed quis custodiet ipsos Custodes?* ut Iuvenal. sat. VI, vs. 347, de feminarum custodibus. Statuis autem aureis et argenteis addebantur custodes; ligneae et lapideae incustoditae erant: lepide itaque cum Apollinis statua, quam surrepturus erat, iocatur Eutychidas Anthol. libro II, capite 25.

73. — DE PRIAPO HILARI.

Non rudis indocta fecit me falce colonus ;
Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Caeretani cultor ditissimus agri
Hos Hilarus colles et iuga laeta tenet.
Aspice , quam certo videar non ligneus ore ,
Nec devota focis inguinis arma geram ;
Sed mihi perpetua numquam moritura cupresso
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini , moneo , sanctum celebrate Priapum ,
Et bis septenis parcite iugeribus.

2. *Dispensatoris, etc.* Artificisne nomen, qui custodem effinxit? an fuit hic Hilarus dispensator et cultor agri Caeretani?

3. *Caeretani, etc.* Caeretum, Vmbriae oppidum.

5. *Quam certo, etc.* Quam ad vivum effictus vultus, non videatur esse e ligno.

6. *Nec devota focis.* Non urenda pro ligno arido et putri; namque e cupresso illis vitalitas, *Columna de viva cupresso generata*, epigr. 49 supra, vs. 3.

8. *Phidiaca rigeat, etc.* Affabre facta, tanquam manu Phidiae.

74. — AD ESCVLANVM.

Medio recumbit imus ille qui lecto ,
Calvam trifilem semitactus unguento ,

Calvum quempiam edentulum, qui simulabat se dentatum, mordet.

1. *Imus.* Eum accumbere in honoratissimo loco dicit; nam quum tres essent lecti, imus lecti medii locus erat honoratissimus, ut in Symposiacis auctor est Plutarchus. In singulis lectis tres convivae.

2. *Trifilem semitactus unguento.* Sulcis unguento ductis et pictis in calva tripili seu trifili, tres se. vel paucos admodum habenti capillos. *Semitactus* autem, ἡμίχριστος, *tangere* quippe *oleo*, est *ungere*. Ios. Scal. et Scriv vide et epigr. 57, supra. Turnebus legendum censet pro *semitactus*, *semitatus*; ille enim unguento comam sibi in capite calvo pinxerat et effinxerat; sed quae trium filorum seu capillorum esset: vel calvam haberet, cui reliqui essent tres capilli: et quum in capite tanquam sulcos duxisset unguenti lituris et velut vias secuisset, *semitatus* dixit, quae est antiquorum librorum scriptura. VI miser quid sit, quod et contra sententiam et versus rationem, multi *segmentatus* et defendant et decla-

Foditque tonsis ora laxa lentiscis;
Mentitur, Esculane: non habet dentes.

rent. Turneb. lib. XXVI, cap. 27. Raderus Gontii explanationem probat: qui *Calvam* istius calvi, comparat vineae, quae propter senectutem, vel aliud ob vitium, paucas habet vites, et *calvata* dicitur. Vide Catonem de Re Rust. cap. 33. Sicut ergo in calvata vinea, quae paucas habet vites et palos, semita lucet inter hortulos vltium: sic in calvi recumbentis calva, hinc et hinc ad tempora paululum supra aures erant tres pili, media vero semita late nitebat unguento.

3. *Foditque tonsis, etc.* Qui videtur dentes purgare lentisco; de quo lib. XIV, epigr. 22. — *Lentiscis.* Lentiscus arbor est cuius frondea cuspide dentium sordes purgabant.

4. Ant. *de Rooy* distinguendum putat: *Mentitur, Esculane, non habet, dentes;* et *mentitur dentes*, ut supra epigr. 57, *Mentiris fictos unguento, Phoebe, capillos.* — *Mentitur*, *etc.* Simulat, ne appareat edentulus.

75. — IN PONTIAM.

Quum mittis turdumve mihi, quadramve placentae,
Sive femur leporis, sive quid his simile;
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec mittam, Pontia, sed nec edam.

Pontiam veneficam exagitat, cuius munera veneno tincta repudiat II, epigr. 34, et lib. IV, epigr. 43.

1. *Quadramve.* Aliquando quadra significat mensam. Iuven. Sat. 5, 2; *aliena vivere quadra.* Hic sumitur pro frusto, nam in quadrata frusta secabantur placentae. Sic lib. III, epigr. 77, 3: *Nec te liba iuvant, nec sectae quadra placentae*; et IX, 91, 18, *secta quadra de placenta.* Ed. P.

3. *Buccellas, etc. Buccella*, ψωμίζ, et buccellum, panis in modum circuli seu coronae factus, sex fere unciarum, a latina voce *bucca* vel *buccea*, quae frustum panis vel panem significat. Vetus Glossarium: *Ientat*, βουκκίζει. *Gustare*, βουκκίσαι. Hinc *buccae* et *buccellarii*, qui aliena buccella, id est, quadra vivunt, parasiti scil. et adseclae. *Buccellas.* Hoc est, frusta optimorum ciborum tibi appositorum, quanta nempe bucca capere potest.

4. *Has ego non mittam.* Codd. Beverlandi, Florent. et Thuan. — *Nec mittam, etc.* Nec amicis mittam, multo minus ipse edam, ut qui sciam tua veneficia, et quam subtili pesta imbuta sint. Ed. P.

76. — EPITAPHIVM FVSCI.

Ille sacri lateris custos, Martisque togati,

1. *Ille sacri.* Domitiani Praefectus Praetorii. Ad Fuscum est lib. VII, epigr. 28. — *Martis togati.* Domitiani in Vrbe propter auspicia residentis, et per duces bellum gerentis, qui idcirco togatus dicitur. Vel Mar-

Credita cui summi castra fuere ducis;
Hic situs est Fuscus: licet hoc, Fortuna, fateri;
Non timet hostiles iam lapis iste minas.
Grande iugum domita Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix possidet umbra nemus.

tis togati custos dicitur, quod Praetorianae cohortis esset Praefectus, quae nempe Palatium et urbis muros custodiret.

2. *Credita cui summi, etc.* Cui Domitianus commiserat belli Dacici summam.

3. *Fuscus.* In Dacia bello oppressus interiit. — *Licet hoc, etc.* Etsi ipse victus cciderit, iam tamen securus est tumulus eius, Dacis postea victis a Iuliano.

5. *Grande iugum, etc.* Victi iam Daci retulerunt inferias umbrae Fusci, cui quasi victrici sacratur tumulus cum agello et luco in ipsa Dacia redacta in deditionem, vide lib. I, epigr. 115 et 117. Pars magna victoriae, vel cladis solatium censebatur, si cadavera atque sepulcra caesorum non essent in hostium potestate: id nunc vates gratulatur.

77. — IN AFRVM.

Quum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus;
Tam iuvenis, quam nec Parthenopaeus erat;
Tam fortis, quam nec, quum vinceret, Artemidorus;
Quid te Cappadocum sex onus esse iuvat?
Rideris, multoque magis traduceris, Afer,
Quam nudus medio si spatiere foro.

Afri mendicitatem cum summa arrogantia et fastu coniunctam, omnium ludibrio exponit. Pauperrimus enim et valentissimis hexaphoris ferebatur, perinde quasi ditissimus esset, aut aeger. *Rad.*

1. *Irus.* Arnaeus mendicus, Hom. Odyss. ζ.

2. *Parthenopaeus erat.* Pulcherrimus iuvenis, unus e septem ducibus ad Thebas profectis, Antiopae filius

3. *Artemidorus.* Artemid. Trallianus pancratiasta nobilis, sub Impp. Galba et Vitellio. — *Quum vinceret.* Quum in certaminibus Olympicis admodum adolescens parum feliciter pugnasset, ob aetatis imbecillitatem, confirmatis postea viribus, quum Smyrnaei publicos ederent ludos, in arenam descendit, et eodem die non solum eos, a quibus antea in Olympicis victus fuerat, verum etiam adolescentes alios, ac viros omnium valentissimos pancratio superavit. Hinc voc. explicabis, *quum vinceret.*

4. *Quid te Cappadocum, etc.* Cur tu perinde ac dives esses senex vel aeger; gestaria hexaphoro, lecticam subeuntibus sex servis e Cappadocia gente ad servitutem nata?

Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno;
 Quaeque vehit similem bellua nigra Libyn.
Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
 Non debes ferri mortuus hexaphoro.

7. *Non aliter monstratur, etc.* Pro hac lectione (*mulo*) pugnat Ang. Politianus cap. 23 hoc sensu: Si quando Atlas nanus (Iuvenal. satir. 8, vs. 31) mulo pumilo at compare utatur, vulgo ridetur, ut et Maurus ubi concolorem sibi elephantum conscendit: sic Afer merito ridetur qui pauper, iuvenis et fortis, ab aliis iuvenibus suae prope conditionis gestatur. Ex intima quidem Poëtae mente. — *Ginno*, parvo mulo; Scriverio debetur haec lectio.

8. *Bellua, etc.* Elephas.

9. *Invidiosa, etc.* Vel mortuo tibi invideretur hexaphorum, nedum vivo, tam pauperi, cui efferendo magis conveniret sandapila. Vide lib. II, epigr. 81.

10. *Non debes ferri mortuus.* Id est, non effereris hexaphoro, sed sandapila; quippe quum sis persona vilis et infimae paupertatis. Hellenismus, *Non debes ferri*, οὐ μέλλεις βαστάζεσθαι. Iocabantur autem nonnulli in eos qui lectica vehebantur, tanquam in mortuos, quod et hi lectica efferentur. *Her.* — *Non debes.* Quid sit hexaphorum dictum lib. II, epigr. 81. Divites mortui efferebantur hexaphoro, pauperes vero sandapila, qua mortuus hic Afer efferendus erat, utpote pauper.

78. — AD AVLVM, DE PHRYGE LVSCO.

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroque lippus:
Huic Heras medicus, Bibas caveto;
Vinum si biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo, Valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros iubet: exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

5. *Oculo, Valebis.* Gallus quidam luscus excusso unico oculo sibi in ludo gladiatorio punctim batuenti, exclamavit, *Adieu mon œil, et bonne nuict, messieurs*; et in epigrammate Lucillii, lib. XI Anthologiae, amissurus oculum dixit, χαῖρ' ἱερὸν φῶς.

6. *Deunces.* Scyphus capax undecim cyathorum. Vide tabul. numer. ad calcem huius Vol.

8. *Oculis bibit venenum.* Exstinctus enim est bibendo oculus. Perditam luxuriam fortasse alludit, quam notat Plin. lib. XIV, cap. 22.

79. — AD LVPVM.

Tristis es, et felix; sciat hoc Fortuna, caveto;
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

In laetis laetum, tristem in tristibus vult esse Lupum, vulgi scil. non superstitiosa philosophorum ratione, qui eumdem et Socraticum in omni fortuna vultum servandum docent. *Raderus.*

2. *Ingratum dicet, etc.* Nec usu, nec vultu, nec animo laeto munera eius agnoscentem. Vnde irata levis dea instar Scythiae caprae rem tibi disturbabit.

80. — AD CAESAREM DE ROSIS HIBERNIS

Vt nova dona tibi, Caesar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas;
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis ut intravit limina prima tuae.
Tantus veris honos, et odorae gratia Florae,
Tantaque Paestani gloria ruris erat!
Sic quacumque vagus gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus sertis omne rubebat iter.

Ex Aegypto rosae hibernae mitti Romam solebant. Aevo Domitiani in urbe etiam educabantur, novo invento. Plin. lib. XXII, cap. 4. Et Poëta quasi insultans Agyptiis mercatoribus, sese ob rosarum hibernarum advectionem iactantibus, monet, ut ipsi nunc ex Italia rosas petant, Italis autem mittant frumentum. *Rad.*

1. I. e. Tellus Nilotica miserat tibi rosas hibernas, tanquam dona nova et insolita: at navita Memphiticus, ut intravit Romam, risit hortos Pharios. *Gronovius.* Recte, si quidem cum eodem Gronovio punctum in fine primi distichi posueris; si vero semicolon, sic interpretaberis: *Vt nova dona tibi, etc.* i. e. ubi tibi allatae sunt ex Aegypto rosae hibernae. Tr.

2. *Ambitiosa.* Propter flores quos hieme nasci alibi non credebant Aegyptii.

3. *Navita Memphiticus.* Hoc est, ex urbe Memphi, de qua lib. Spect. epigr. 1. Ille scilicet Aegyptius hortos patriae suae contempsit, statim atque vidit roseta hiberna Romanorum.

5. *Tantus veris, etc.* Tam laeta per Vrbem rosaria florebant, ut ver ipsum et Florae regnum, Paestanique agri rosetis pleni, in urbem migrasse viderentur. — *Florae,* Deae florum, metonymia.

6. *Tantaque Paestani.* Tanta erat rosarum copia, quarum ferax ager Paestanus.

8. *Textilibus sertis.* Coronis et sertis textis e rosis. Legendum pro *textilibus* e MSS.: *Tonsilibus sertis omne*

At tu Romanae iussus iam cedere brumae,
Mitte tuas messes; accipe, Nile, rosas.

rubebat iter. Tonsilium coronarum meminit Servius ad Virgilii Georg. III, 21: *Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae*. Quem de corona tonsili interpretatur et recte. *Tonsae*, inquit, *olivae, minutis foliis compositae. Habiturum se autem coronam tonsilem dixit*. Poëta ipse *tonsam coronam* pro tonsili appellavit: *Omnibus in morem tonsa coma pressa corona*. Namque tonsa corona et tonsilis idem, ut porrum sectum et sectile. Coronas interdum ex integris frondibus et intonsis nectebant Veteres, ut ex lauro, oliva et aliis. Interdum ex mero folio funiculis eas suebant. Hae *tonsiles* vocatae; illae nexiles vel plexiles. Tonsae vel tonsiles, ideo quod ex foliis detonsis textae essent; vel quod folia in his parum eminerent, tanquam si tonsa essent. Hinc tonsiles tapetas brevibus ac tonsis villis. *Salmas*. — *Omne iter*. Vrbis vicus omnis. — *Tonsilibus (Textilibus) sertis*. Hoc est, coronis textis ex rosis. Alii legunt *Sutilibus*: coronas nampe ex rosarum foliis consuere solebant Veteres.

9. *Cedere brumae*. Hoc est, cedere rosis quae hiemis tempore Romae nascuntur.

10. *Tuas messes*. Frumentis abundat Aegyptus, unde dicta est Reipublicae Romanae horreum.

81. — IN CHARIDEMVM.

Iratus tanquam populo, Charideme, lavaris;
Inguina sic toto subluis in solio.
Nec caput hic vellem sic te, Charideme, lavare;
Et caput, ecce, lavas: inguina malo laves.

1. *Iratus tanquam populo*. Tanquam volens eos polluere et conspurcare, qui post te in eodem solio loturi sunt.

82. — AD RVFVM.

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor, aut lanista,
Quum vultu digitoque subnotasset,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,

2. *Velut emptor*. Quum mangones servos empturi essent, eos diligenter inspiciebant, devestiebant et manibus attrectabant. Lanista, Tusca lingua *carnifex*, magister fuit gladiatorum quos domi habebat, atque instituebat, ut illos deinde locaret et venderet.

3. *Quum vultu*. Quum vultu me admirantis in speciem composito, et producto digito commonstrasset.

Cuius nequitias iocosque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam?
Subrisi modice: levique nutu
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi: Quia sum malus Poëta.
Hoc ne saepius accidat Poëtae,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

5. *Nequitias, etc.* Epigrammata lasciva et iocosa.

6. *Non habet Batavam.* Hoc est, rusticam et barbaram; duri quippe et barbari habebantur Batavi, hodie Hollandi.

9. *Cur ergo, etc.* : Ego Poëta sum, et, ut spero, non humillimi spiritus, etc. Quare ergo, inquis, tam male vestitus es? Propter hoc ipsum, amor ingenii neminem unquam divitem fecit. : Petronius. — *Lacernas.* Vestes quae togis superinduebantur.

11. *Hoc ne saepius, etc.* Ne cogar me malum fateri Poëtam.

83. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Quantum sollicito fortuna parentis Etrusco,
Tantum, summe ducum, debet uterque tibi:
Nam tu missa tua revocasti fulmina dextra;
Hos cuperem mores ignibus esse Iovis.
Si tua sit summo, Caesar, natura Tonanti,
Vtetur toto fulmine rara manus.

Laudat Caesarem, quod Etruscum revocarit ab exsilio.

1. *Quantum sollicito, etc.* Quantum Etruscus, in exsilium, sed non extra Italiam missus, debet filio, qui patrem in exsilium accomitatus est, et cuius pietate et precibus Domitianus permotus eum revocavit: tantum et pater et filius tibi o Caesar. Vide Papinii Sylv. 3, et lib. VII, epigr. 40. Etruscus pater primum Tiberii Caesaris libertus fuit; deinde Caligulam minus faventem expertus, ab eo pulsus aula, moa tamen revocatus est, et in eius comitatu profectus ad Germanicam expeditionem. Sub aliis deinde Caesaribus varia fortuna usus, ad magnos honores et maiores opes evasit: annos demum octoginta natus a Domitiano, etc.

3. *Fulmina missa dextra.* Exsilii decretum.

4. *Hos cuperem.* Hoc est, Optarem ut tantam clementiam haberet Iupiter; raro enim fulmen vibraret totum. — *Ignibus.* Vt sint revocabiles.

6. *Toto.* Tota vi emisso, trisulcis ignibus infesto.

Muneris hoc utrumque tui testatur Etruscus,
Esse quod et comiti contigit, et reduci.

7. *Hoc utrumque.* Nempe ipsi fuisse permissum et comitari patrem, et simul cum eo redire ab exsilio. Sic Poëta laudat clementiam Domitiani.

84. — DE PHILIPPO.

Octaphoro sanus portatur, Avite, Philippus;
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Arrogantem et superbum carpit breviter, sed acriter. Ed. P.

1. *Octaphoro.* Lectica ab octo servis gestata. Is fuit potentiorum fastus tunc temporis, eleganter notatus a Cynico Luciani. Nam in illis lecticis cubabant resupini. Sed de Lecticis et de earum usu multa scripsit Lipsius lib. 3, Elect. c. 19. — *Sanus.* Corpore.

2. *Hunc tu si sanum.* Animo nempe; etenim nimiae erat arrogantiae ab octo servis gestari.

85. — AD LIBRVM SVVM DE APOLLINARI.

Editus est sextus sine te mihi, Rufe Camoni,
Nec te lectorem sperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, et numine laevo
Visa tibi, cineres reddit et ossa patri.
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo;
Et resonet tota planctus in Aemilia.
Heu! qualis pietas, heu! quam brevis occidit aetas!

Plurima sunt epigrammata ad Rufum, natum annos quinque supra viginti, qui in Cappadocia diem obiit.

1. *Editus est.* Est editus a me sextus liber Camoenia, Musis, id est, liber carminum. Quae enim carmine scribuntur, Musis carminum praesidibus eduntur. Sic hunc versum explicat Raderos.

2. *Nec te.* Quia interiisti.

3. *Impia, etc.* Propter ingenia sua mala et servilia. Vel, propter mortem tuam a pestilitate eius aëria. — *Et numine laevo.* Aut religionis inconstantia hic notanda; aut legendum *lumine laevo*, ut in Iunii codice scriptum. Vt pede sinistro iter ingredi, sic lumine laevo quid adspicere infaustum. *Numine laevo* tamen dixerunt quidam in sinisteritate. Nam malos quosdam genios hominibus infortunatis adhaerentes existimabant, et adfixos, donec eos in imum exitii barathrum deturbassent. *Herald.* — *Numine laevo.* Aversante Deo. Sidere non fausto.

6. *Aemilia.* De via Aemilia, dictum lib. III, epigr. 4.

Viderat Alphei praemia quinque modo.
Pectore tu memori nostros evolvere lusus,
Tu solitus nostros, Rufe, tenere iocos.
Accipe cum fletu moesti breve carmen amici,
Atque haec absentis thura fuisse puta.

8. *Viderat Alphei*. Poëta intelligit Olympica certamina, quae ad Alpheum amnem, cuius fons in Arcadia, quarto quoque anno celebrabantur teste Suida; atque ita sensus est: Rufum interiisse viginti annos natum, vel forte viginti quinque, si Olympiadem pro lustro intelligat Poëta, ut lib. VII, epigr. 40, et quae ad Senec. Herc. fur. vs. 480. Olympia etiam Pisa dicta. Ed. P.

10. *Tenere*. Tu solebas nostra epigrammata perlegere et memoria retinere.

12. *Atque haec absentis, etc.* Vice thuris, quod ipse praesens rogo iniecissem (nam thus et odores rogo amicorum iniiciebant amici), cape hoc carmen absentis. Lib. X, epigr. 26, vs. 8.

86. — IN BIBENTES AQVAM CALIDAM.

Setinum, dominaeque nives, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
Stultus, et ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mavult haeres divitis esse Midae.
Possideat Libycas messes, Hermumque, Tagumque,
Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.

Queritur sibi aegro, assidue bibendam calidam ex praescripto Medici; mallet Setinum nobile, vel gelidam aquam, quae decocta temperabatur.

1. *Setinum*. Vinum nobile e Setia Campaniae oppido, hodie *Sezza*. — *Dominae nives*. Optatae, quibus scilicet vinum refrigeratur: vocat autem nivea dominas, quod illum allicerent traherentque. Quae inter caeteras mensarum delicias, veluti principatum obtinetis, quae vinum refrigeratis. Ed. P. — *Densique trientes*. Hoc est, frequentes: triens vero quatuor cyathos continet.

3. *Stultus, etc.* Demens est et fortunae ingratus, qui ex voto Midae, aurea siti mavult perire, quam delicata vina et nobilem decoctam bibere. Quasi dicat, Insanit, qui colligit opes, et bibit calidam.

5. *Possideat Libycas messes, etc.* Medicus vel alius quispiam possideat quantum metit Africa, habeat auriflues amnes, dum aquam bibat calidam: mihi vel pauperi liceat vinum bibere: *tanti mihi non sit opaci Omnis arena Tagi, etc.* ut caream nobili vino nivibus diluto. Ed. P.

6. Verbum *livere* nonnunquam accipiendum pro *invidere*. Tacit. Ann.

XIII, cap. 42. — Conieci num forte levi mutatione legeodum sit: *Possideat Libycas messes, Hermumque Tagumque: Nec potet, calidam qui mihi laudat aquam.* Vides, si hoc modo legas, imprecationem esse, longe vehementissimam, et propius praecedentibus respondentem. Midae sortem imprecatur calidam laudantibus. Ita *nec* in *et* transisse deprehendit Salmasius ad Flor. IV, 2, 67. *Et* contra in *Nec*, recte vidit Scriv. Infra lib. X, epigr. 2. *Nec* hoc loco resolveodum in *et non*; id quod sententiae nonnumquam requiruot. *Anon.* ad Anton. *de Rooy.*

87. — AD CAESAREM.

Di tibi dent, et tu, Caesar, quaecumque mereris;
Di mihi dent, et tu, quae volo, si merui.

1. *Di tibi, etc.* O Domitiane, a nemine, nisi a te ipso et a Diis quicquam potes exspectare, quum omium mortalium ditissimus, et ipse Deus sis. Ego vero utioam a Diis atque a te consequar, quae cupio, si te laudando, et Diis sacrificando meritus sum X, 34.

88. — AD CAECILIANVM.

Mane salutavi vero te nomine casu;
Nec dixi dominum, Caeciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

1. *Vero te nomine casu.* Mero tuo nomioe, nec appellavi te dominum seu patronum, ex more clientum salutantium.

3. *Quanti libertas, etc.* Vis scire quantuli me asseruerim in hanc libertatem ut domino earerem? mulcta certe et iactura sportulae; id est, decem nummorum. Libertas ἀντὶ παῤῥησίας non uno loco. Hic autem videtur accipi posse propria significatione. Nam qui dominum non habet, liber est, ut contra. Vide Mart. lib. I, 81: *E servo scis te genitum, blandeque fateris: Quum dicis dominum, Sosibiane, patrem,* Multa enim simul eum libertate Romana aboleverunt: plurima verterunt. *Domini* vox in salutationibus frequens tempore Martialis; immo antea. Nam et Seneca testatur Ignotos ita salutari solitos. Sic δεσπότην usurparunt Graeci in salutationibus: et promiscue hac salutatione usi sunt Romano imperio additi. *Herald.* — *Constet.* Quia libertatem adipiscebantur, qui eam redimere poterant.

89. — DE PANARETO POTORE.

Quum peteret seram media iam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus;
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse;
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testae sua vina remensus,
Reddidit oenophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe: merum biberat.

1. *Matellam.* Vas ad effundendum lotium.

2. *Arguto pollice.* Digitis enim inter se collisis, pollice scil. et medio digito, crepitum edebant, signum nempe matulae porrigendae. Vide lib. III, epigr. 82, vs. 15, et lib. XIV, epigr. 119. — *Madidus.* Vino.

3. *Spoletina data est, etc.* Fictilis lagena, quam vino Spoletino plenam exsiccarat, etiamsi capacior fuisset, exhausturus. Forte quia Spoleti, urbe Vmbriae, facta.

4. Codex Thuan. *tanta lagena*: codex Florent. *toto.*

5. *Ille fide summa testae sua, etc.* Convenit ratio accepti ac redditi, non auxit vinum adbibita ad diluendum aqua; quod vel ex ratione redditae ad iustam mensuram urinae, iocatur Poëta, constare Panaretum bibisse merum. — *Remensus.* Hoc est, tantum lotii effudit, quantum vini biberat, atque oenophorum seu vas vinarium omnino implevit.

8. *Desine mirari.* Rufus mirabatur, quod quum Panaretus lagenam integram exsiccasset, non plus urinae reddiderit, quam quantum lagena cepisset; quum ex ratione aquae quam vino miscuerat, multo amplius debuerit et bibisse, et reiecisse. Respondet Poëta Panaretum non adhibuisse aquam, sed meracum vinum bibisse: atque hinc summa fide remensum esse, quod exhausisset. *Rader.*

90. — DE GELLIA.

Moechum Gellia non habet, nisi unum.
Turpe est hoc magis, uxor est duorum.

2. *Vxor est duorum.* Mariti scilicet et adulteri.

91. — IN ZOILVM.

Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque
Moechari: gaude, Zoile, non futues.

2. *Gaude, Zoile.* Zoilum non debere graviter ferre a Domitiano promulgatam legem adversus adulteros dicit, quoniam ipse non sectabatur mulieres, sed fellabat.

92. — IN AMMIANVM.

Caelatus tibi quum sit, Ammiane,
Serpens in patera Myronis arte;
Vaticana bibis: bibis venenum.

3. *Vaticana bibis*. Quae erant pessima. Vide lib. I, epigr. 19. Vinum vero Vaticanum, sen toxicum, ut dixit citato Epigrammate, mire convenit cum serpente expresso in patera, quae est poculi genus latum ac patens. Ed. P.

93. — DE THAIDE.

Tam male Thais olet, quam non fullonis avari
Testa vetus, media sed modo fracta via;
Non ab amore recens hircus; non ora leonis;
Non detracta cani Transtiberina cutis;
Pullus abortivo nec quum putrescit in ovo;
Amphora corrupto nec vitiata garo.

1. *Tam male Thais olet, etc.* Aliquam lupam seu prostibulum, nomine Thaidis vexat Poëta, propter graveolentiam, quae Harpyiis et Chimaeris hisce communis. Fuere Thaides amicae, poëtis multis celebratae. — *Fullonis*. Fullo est, qui togas recentat, et maculas ac sordes e toga eluit et addito sulphure et creta rursum candefacit. Plin. lib. XXXV, cap. 17; seu XXVIII, 8. *Avari* dicit, quia magnum pretium pro vestibus candefactis aut emaculatis exigebant. *Rader*.

2. *Testa vetus, etc.* Qua urinam (camelorum maxime, teste Plinio lib. XXVIII, cap. 8) ad purgandarum vestium usum excipiebant fullones; haec autem dolia stabant in publico.—*Fracta*. Tum enim gravissimus et teterrimus exhalatur odor.

3. *Ab amore recens hircus*. Sic lib. IV, epigr. 4. Nam et hirci et cervi, et alia animalia, quum coëunt, deterrime foetent. *Ora leonis*. Animae leonis virus grave.

4. *Non detracta lacu* margini ascriptum exhibet Iuntina nostra: *lacu* interpretor locum putidum ubi coriarius δέρματα madefacit, Anglice, *a tan-pit*. Si *cani* legendum, intellige δέρμα caninum; aliter enim interpretantur. — *Detracta, etc.* — Vrbis pars trans Tiberim viliori plebeculae colebatur, et in ea exercebantur sordida et foetida opera, ut excoriationes, sulphurata, etc.

5. *Pullus abortivo ovo*. Nec peius olet pullus abortivus in ovo putrido.

6. *Garo*. Garum ex intestinis piscium sale maceratis conficiebant. Hoc liquamen, magni apud Romanos pretii, sic appellabant a pisce, quem Graeci nominant GARON, ex quo fie-

Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Deposita quoties balnea veste petit;
Psilothro viret, aut acida latet oblita creta;
Aut tegitur pingui terque quaterque faba.
Quum bene se tutam per fraudes mille putavit,
Omnia quum fecit, Thaida Thais olet.

bat primum: nos Gallice vocamus *la saumure*: postea e scombris et saxatilibus minutisque piscibus factum est tanta aestimatione, ut nullus liquor praeter unguenta esset in maioribus deliciis. Sed garo corrupto nihil est foetidius, quia sane, ut aiunt, *corruptio optimi pessima.*

7. *Virus ut hoc alio, etc.* Graveolentiam ut lotura dissimulet. Vel, illa Thais *fallax*, quamvis foetorem corporis tegere conetur et obruere, etc. Lib. I, epigr. 88.

9. *Psilothro.* Psilothra sunt medicamenta seu ungyenta, quibus pilosae corporis partes glabrantur.—*Acida latet oblita.* Aceto macerata. – *Creta.* Cimolia, Chia seu Samia, qua utebantur foeminae ad cutim emendandam.

10. *Faba.* Vnguento facto ex farina tritarum fabarum, quod lomentum vocari putat Domitius lib. III, epigr. 42.

11. *Quum bene se tutam.* A sua graveolentia scilicet, semper tativum odorem omnium pessimum olet Thais.

12. *Thaida Thais olet.* — Impuram lupam et olidam capram. Nam mulier optime olet, quum nihil olet.

94. — DE CALPETIANO.

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano,
Sive foris, seu quum coenat in urbe domi.
Sic etiam in stabulo semper, sic coenat in agro.
Non habet ergo aliud? Non habet immo suum.

Irridet splendidam Calpetiani mendicitatem. Raderus caret hoc epigr.; nec ulla tamen impudicitia laedit animos. Ed. P.

1. *Chrysendeta.* Lances auro circumvinctae. Lib. II, epigr. 43, v. 12.

3. *Stabulo semper, etc.* Diversorio πανδοχείῳ. Stabularius, πανδοχεὺς.

4. *Non habet, etc.* Itane lautus est Calpetianus, ait lector, ut non habeat alia vel minoris pretii vasa, et usque gemmeis aureisque bibat? *Non habet suum*, resp. poëta: immo haec non sunt ipsius, sed mutuo sumpta; ipse enim, nec aurea, nec argentea, Codro pauperior, possidet; nisi forte etiam oblique haec ipsi chryseodeta furto esse ablata velit a Calpetiano Martialis. Quum enim dicit, *Non habet suum*, ergo alienum; nec quomodo alienum exponit, sed relinquit lectori cogitandum.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER VII.

I. — AD DOMITIANVM, DE LORICA.

Accipe belligerae crudum thoraca Minervae,
Ipsa Medusææ quem timet ira comae.
Dum vacat haec, Caesar, poterit lorica vocari;
Pectore quum sacro sederit, Aegis erit.

1. *Accipe belligerae.* Domitianus in expeditione quam suscepit adversus Sarmatas seu Dacos, ut dict. infra, videtur sibi fieri curasse loricam, instar aegidos Minervae, quam peculiariter coluit, et cuius se filium esse voluit. Lorica autem haec et Minervae aegida ex squamoso draconum corio contextam repraesentavit: vel Sarmaticum thoraca, de quo infra, Ep II, vs. 1. — *Accipe.* Accipe, Caesar, et indue loricam gravem et divinam belligerae Minervae; est enim togata et militaris Minerva. — *Crudum thoraca.* Militaremne et crudum, ut volunt? an respicit primos thoracas a crudis loris corioque confectos?

2. *Ipsa Medusææ*, etc. Quem vel ipsa Minervae aegis, Medusae capite irato et anguineis crinibus formidabilis, timeat. — *Dea Medusaea* dicitur Pallas, quod Palladis ope Perseus Medusam interfecerit. — *Ipsa Medusææ quem timet ira comae*: hoc est, quem thoraca vel ipsa Medusa serpentibus, quos pro capillis gerebat, munita timeret.

3. *Dum vacat haec*, etc. Quam, ubi non gestatur a Domitiano, loricam voces; quum autem induerit eam Caesar, iam aegis erit. Dii enim aegidas gestant; mortales vero, loricas. Aegis proprie munimentum est pectoris aereum a Vulcano fabricatum, habens in medio Gorgonis caput. Alii dicunt fabricatum ex corio Amaltheae caprae.

4. *Sacro sederit pectore*, etc. Domitiani, aeque Dei, ac Minervae et Iovis, quorum peculiaris celebratur aegis, supra vs. 1.

2. — AD IPSAM LORICAM.

Invia Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis;
Quam vel ad Aetolae securam cuspidis ictus
Texuit innumeri lubricus unguis apri.
Felix sorte tua! sacrum cui tangere pectus
Fas erit, et nostri mente calere Dei.
I comes, et magnos illaesa merere triumphos,
Palmataeque ducem, sed cito, redde togae.

1. *Invia Sarmaticis domini.* Hic loricae praestantiam et duritiem describit. « *Lorica* a *loris* dicitur, ait Varro, quod de corio crudo pectoralia faciebant. » *Invia.* Domitianus ad modum Sarmaticarum loricarum sibi thoracem fieri curarat. Sarmaticae autem loricae tam durae et firmae erant, ut ictus omnes sustinerent, quod testatur Pausan. lib. I. Varia vero genera loricarum celebravit antiquitas: nam lineas, coriaceas, aeneas, ac ferreas fuisse constat. — De Sarmatarum, seu Polonorum, ut hodie appellantur, telis; saepe Ovid. lib. de Tristib. et de Ponto: qui fuerint Sarmatae, docet Strabo lib. VII, Mela, Ptolemaeus, Plinius et alii. Sarmatia duplex est, inquit Ortelius, Europaea et Asiatica. Europaeam *Russiam* hodie vocat, Asiaticam vero, *Tartariam.* Ed. P.

2. *Martis Getico.* Qui loricatus tergore, colitur a Getis, vel qui e Getis oriundus est. Amplificat duritiem loricae Domitiani a comparatione. Durissimas habent Getae loricas, durior est tamen Domitiani lorica. Quia ergo Mars a Getis oriundus, armaturam illi poëta *Geticam* recte induit. *Rader.*

3. *Vel ad Aetolae*, *etc.* Cuspidem Aetolam intellige telum Meleagri in Aetolia nati: vel Aetolam cuspidem interpretare lanceam, et quidem acutissimam; Aetoli enim, inquit Raderus, Plinio teste, lanceas invenerunt. — *Securam*; quae non timet ictus vel maxime penetrabiles. Ed. P.

4. *Texuit.* An lorica haec squamis aeneis aprinas ungulas imitantibus conserta fuit? an ex veris ungulis ad imitationem Sarmatarum qui (teste Pausania lib. I) ex ungulis collectis, loricas instar draconum squameas consuebant. — *Innumeri apri.* Synecdoch. innumeri ungues aprorum. — *Lubricus*, politus.

5. *Felix sorte tua.* O felicem loricam, non tam quod ita firma et dura videare, quam quod mox a Caesare induere, et caelestem ac divinum illius animum continebis. *Sacrum Dei.* Domitiani, qui se ipsum Deum vocabat; et qui deus erat Martiali adoratus. Ed. P.

7. *Et magnos*, *etc.* Et Domitianum incolumem restitue Vrbi, triumphantem palmata indutum toga, cui intexebantur victoriae cum ramulis palmarum. — *Illaesa*, quam hostium tela tangere vel fodere non potuerunt. Ed. P.

8. *Palmataeque.* Dionysius *palma-*

tam tunicam χρυσόσημον semper appellat, hoc est, auro clavatam, vel aureos clavos habentem. Communes enim Romanorum tunicae albae erant, purpura clavatae, quas *palmatas* dicebant a clavorum latitudine; postea tamen et ipsae quoque pingi coeperunt, et *palmatae* dici a picturae genere, quod palmas scilicet intextas haberent. Postquam ergo et tunicae quoque triumphales pingi coeptae sunt, et a picturae argumento palmatae sunt appellatae, inde factum est, ut et pictis togis hoc idem nominis donaretur, et *palmatae* passim ipsae vocarentur. *Salmas.* Sed Brodaeus vult, eam vestem a *palma*, id est, victoria, nomen invenisse. — *Palmatae togae.* Triumphantes et thensas ducentes ea utebantur: Iovis tunica dicta. Tarquinius a Tuscis accepit tunicam palmatam et omnem alium triumphantium cultum, ut Florus et alii tradidere. Erat ea purpurea et aureo lato clavo ornata, unde et palmata dicta est, quia clavus aureus palmi magnitudine erat, si Festo fides.

3. — AD PONTILIANVM.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

1. *Cur non.* Verebatur poëta ne Pontilianus beneficium maleficio compensaret, sibique pro suis bonis mitteret pessima epigrammata.

4. — DE OPPIANO.

Esset, Castrice, quum mali coloris,
Versus scribere coepit Oppianus.

1. *Esset.* Oppianus iste, de quo iam lib. VI, epigr. 42, poësi animum applicuit, ratus, propter pallorem ex morbo contractum, se habitum iri nobilem Poëtam, quales erant ii qui chartis impallescerent. — *Mali coloris.* Valetudinarius et morbo pallidus.

5. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Si desiderium, Caesar, populique patrumque
Respicis, et Latiae gaudia vera togae;

Palpat Domitianum, quem incredibili desiderio exspectari dicit a patria. Si te caritas civium tuorum movet; si Senatus et plebis vota non negligis, redi in Vrbem. Horatius ad Augustum, lib. IV, Od. 5: *Divis orte bonis, optime Romulae Custos gentis, abes iam nimium diu: Maturum reditum pollicitus Patrum Sancto concilio, redi. Lucem redde tuae, Dux bone, patriae.*

2. *Togae.* Gentis togatae, Roma-

Redde Deum votis poscentibus: invidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille, tuoque
Terretur vultu barbarus, et fruitur.

nae. Virg. Aeneid. I, 286; *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* — *Gaudia vera*, ipsum Domitianum esse dicit, quo absente nullum gaudium populus sentit esse sincerum et integrum. Ed. P.

3. *Redde Deum.* Hoc est, Redi in Vrbem. — *Invidet hosti.* Nempe quod dudum fruitur tua praesentia.

4. *Veniat laurea, etc.* Etsi magnam referres victoriam laurentis literis significatam, etc. ut epigr. seq. lauream de Sarmatis Domitianus intulit Iovi Capitolino.

5. *Terrarum dominum.* En caussam, cur hosti Roma invideat, quia praesentem videt Dominum et Deum nostrum. *Ille.* Hostis.

6. *Terretur*, etc. Vultu hostis et victoris. — *Fruitur.* Vultu specioso et augusto Dei: fruitur ut numine; terretur a victore: sic causam voluptatis habet ac timoris; numinis enim est et mortales terrere fulmine, et eosdem recreare clementia atque beneficiis. Martialis videtur simul laudare in Domitiano dignitatem oris amabilem, de qua ipse in senatu olim gloriatus erat Imperator. Ed. P.

6. — DE FAMA REDITVS DOMITIANI.

Ecquid Hyperboreis ad nos conversus ab oris
Ausonias Caesar iam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nuntiat omnis:
Credo tibi; verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartae;

De reditu Caesaris ait, passim rumores spargi, sed absque auctore: rogat Caesarem, ut ipse auctor nuntiusque sit triumphi, et mox veniat. *Rader.*

1. *Ecquid Hyperboreis.* De Sarmatia, regione ad Septemtrionem, vide epigr. 2, supra.

2. *Ausonias.* Italas: Italia enim Ausonia dicta est ab Ausone Vlyssis et Calypsos filio.

3. *Certus abest auctor.* Auctorem certum non habemus, fama tamen constans est, et famae fidem habere iubet.

4. *Verum dicere.* Immo falsum dicere solet fama. Virg. Aen. IV, 190: *Facta atque infecta canit.* Tamen videtur Poëta intelligere tunc Famam solere dicere verum, quum constanti omnium sermone aliquid celebratur; Domitiani vero reditum omnes renuntiabant. Vel quod facile credimus, quod cupimus.

5. *Publica.* Si litterae Romam missas testantur venturum principem, quid est quod dicat, *Certus abest auctor?* litteras intellige missas de victoria Caesaris adversus Sarmatas, non de adventu: quamquam poëta

Martia laurigera cuspide pila virent,
Rursus, io, magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Caesar, in urbe sonas.
Sed iam laetitiae quo sit fiducia maior,
Sarmaticae laurus nuntius ipse veni.

recte coniiciat, venturum principem bello patrato, argumento a litterarum testimoniis ducto. — *Victrices chartae.* Reportata victoria solebant duces Romani vel ad Senatum, vel ad principem mittere laureatas literas, indices victoriae, cuius insigne est laurus. Ed. P.

6. *Laurigera, etc.* Pila et hastae militum victoriam testantur laureata. Lauro enim et frondibus festis ornabantur pila ἐν κατορθώμασι καὶ νίκαις *Plin.* lib. XXXV, cap. ult. »*Ipsa pacifera* (laurus scil.) *ut quam practendi etiam inter armatos hostes, quietis sit indicium. Romanis praecipuae laetitiae, victoriarumque nuncia additur litteris, et militum lanceis, pilisque*» Quare e Romano more Seneca in Agamemnone: *Sed ecce vasto concitus miles gradu Manifesta properat signa laetitiae gerens: Namque hasta summo lauream ferro gerit.* Herald.

7. *Io, magnos clamat, etc.* Vox est triumphi solemnis: »*Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti, Miles* Io *magna Voce* triumphe, *canet*: a Tibull. lib. II, Eleg. vi.

8. *Invictusque.* Vocaris iam et proclamaris a toto populo, *invictus Imperator.* Est enim hoc solemne Imperatorum elogium, ut dicantur *Invicti*: quod veteres inscriptiones saepe ostendunt. *Rader.*

9. *Sed iam laetitiae.* Sed ut expleatur populi desiderium et gaudium, propera in Vrbem, et ipse nuncius esto tuae victoriae.

10. *Nuntius ipse veni.* Tu ipse, o Domitiane.

7. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Hiberna quamvis Arctos, et rudis Peuce,
Et ungularum pulsibus calens Ister,

Argumentum de desiderio et amore populi romani erga principem absentem. Quasi dicat: Quamvis procul ab Vrbe in hostico ad Septemtrionem degas; attamen es praesens animis et votis nostris.

1. *Hiberna.* Quamvis te detineant a nobis bella in regionibus septemtrionalibus. — *Rudis.* Rudem credo vocat, a barbarie Peucinorum. Arrianus, lib. I, et Poëta infra. — *Peuce.* Insula magna ad primum Istri ostium, teste Strab. lib. VII.

2. *Et ungularum.* Vide Ovid. Trist. III, x, 29: *Caeruleos ventis latices durantibus, Ister Congelat, et tectis in mare serpit aquis. Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: et undas Frigore concretas ungula pulsat equi, etc.* — *Calens.* Vt Virgil. dicit *semitam fervere*, quia, ubi maximus motus, calor nascitur.

Fractusque cornu iam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidae gentis,
Te, summe mundi rector, et parens orbis,
Abesse nostris non tamen potes votis.
Illic et oculis et animis sumus, Caesar;
Adeoque mentes omnium tenes unus,
Vt ipsa magni turba nesciat Circi
Vtrumne currat Passerinus, an Tigris.

3. *Fractusque cornu.* Metonymia est: fractum Rhenum ter dicit pro victis Batavis et Germanis et Cattis: alludit autem noster poëta ad fluviorum cornua. Virgil. Aen. lib. VIII, 77: *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.* Et vide etiam lib. IX, epigr. 102, vs. 17: *Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri.* Aelian. Var. Hist. II, 33.

4. *Teneat.* Quamvis, o Caesar, ibi occupatus sis et detineare, in coërcendis rebellibus. — *Perfidae gentis.* Rebellis et contumacis.

8. *Adeoque.* Omnes enim a spectaculis avertuntur, quum aliquid narratur de tuo reditu, aut de tuis victoriis, ita ut mentes nostrae quondam ludis attentae, iam tibi peregrinatae, nesciant quid in Circo agatur.

10. *Passerinus.* Equus: habet enim tabula equorum Circensium, apud Onuphrium, nomen Passerini equi Circensis. Legendum censet Salmasius: *Vt turba magni saepe nesciat Circi, Vtrumne currat Passerinus an Tigris.* Passerini et Tigridis nominibus, qui in illa aetate equi fuerunt celeberrimi, duas quadrigas intelligi debere certum est, in quibus equi illi funales sinistri erant. Non vero illi equi singulares currebant, sed in curru iuncti. Per Passerinum ergo intelligit currum, ad quem Passerinus fuit praecipuus equus. Idem dici oportet et de Tigri. Vid. lib. XII, epigramma 36, vs. 12. — *Passerinus,* niger; *Tigris,* maculosus equus. Ed. P.

8. — DE REDITV DOMITIANI.

Nunc hilares, si quando mihi, nunc ludite, Musae;
Victor ab Odrysio redditur orbe Deus.

Quum nunciatum esset Domitianum venturum in Vrbem, eumque iam esse in itinere, alloquitur Poëta, primum Musas, deinde Decembrem, quem dicit et Ianuario anteponi potuisse, si redux Caesar ipso Decembri venisset in Vrbem. Postremo dicit, sua carmina valde convenire tempori, esse enim illa iocosa; mos etiam militem iocos in triumpho dicturum. *Rader.*

1. *Nunc hilares, etc.* Si unquam aliis carminibus lusi, nunc poscit tempus, ut laeta canam.

2. *Odrysio, etc.* Septemtrionali, ubi Odrysa Thraciae urbs versus Pon-

Certa facis populi tu primus vota, December;
Iam licet ingenti dicere voce, Venit.
Felix sorte tua! poteras non cedere Iano,
Gaudia si nobis, quae dabit ille, dares.
Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros quum comes ibit equos.
Fas audire iocos, levioraque carmina, Caesar,
Et tibi: si lusus ipse triumphus amat.

tum Euxinum. — *Odrysio.* Othrys mons Thraciae. Othrysae, vel Odrysae populi sunt Thraciae, quos aliqui hodie vocant *Moldavenses.*

3. *Certa facis.* Mense enim Decembri litterae Romam sunt allatae de reditu Domitiani, quem populus votis omnibus exposcebat.

5. *Poteras non.* Sensus est: Si mense Decembri Vrbem ingressurus esset Caesar, poterat ille non cedere Ianuario, a Iano Deo, in cuius honorem multa sacrificia fiebant, sic dicto, Ovid. Fast. 1, quo nempe mense Romam erat rediturus Caesar. December felix quod reditum nuntiavit; felicior foret, si videre praestaret Caesarem ingressum Romam. Ed. P.

7. *Festa coronatus.* Triumphum comitari milites lauro coronati, et in ipsum Imperatorem iocosa convicia iacere solebant. Lib. I, v, vs. 3. Appianus scribit tubicinas etiam militibus permixtas, immo totum populum coronis in diebus triumphorum ornatum fuisse. Ed. P.

9. *Levioraque.* Hoc est, audire mea epigrammata iocosa.

10. *Sit tibi, si lusus* edd. vett. *Et tibi, si lusus* codd. Vat. et Gruteri, qui primus in textum recepit. Ianus Rutgersius legendum censet: *Et tibi sit: lusus ipse.* — *Lusus ipse.* Solemnis enim et magnificus triumphus, admittit quosvis, et quorumvis militum ac hominum iocos.

9. — DE CASCELIO.

Quum sexaginta numeret Cascelius annos,
Ingeniosus homo est: quando disertus erit?

Iactabat se Cascelius de ingenio ἑξηκονταετής, volebatque videri doctus. Poëta, nimis sero te, inquit, ingeniosum dicis; a puero requirebatur ad doctrinam futuram ingenium. *Disertus*, cultum ingenii, disciplinam, artem et studium; *ingenium* naturam hominis spectat.

2. *Quando disertus erit.* Disertus scil. futurus post ducentos annos, et acturus causas apud inferos, in quo tandem sexagenario ingenium ad doctrinam futuram elucere incipit. — *Quando?* Numquam: hactenus enim nihil studuit, et in posterum non poterit; aetas enim negat.

10. — IN OLVM.

Paedicatur Eros, fellat Linus: Ole, quid ad te,
De cute quid faciant ille, vel ille, sua?
Centenis futuit Matho millibus: Ole, quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem coenat Sertorius: Ole, quid ad te,
Quum liceat tota stertere nocte tibi?
Septingenta Tito debet Lupus: Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, crediderisve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole,
Quodque magis curae convenit esse tuae.
Pro togula debes: hoc ad te pertinet, Ole.
Quadrantem nemo iam tibi credet: et hoc.
Vxor moecha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit iam dotem filia grandis: et hoc.
Dicere quindecies poteram, quod pertinet ad te:
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

1. *Paedicatur Eros, etc.* Olus aliis obtrectabat, aliosque prodigere sua dicebat, quum et ipsemet nihil haberet.

2. Alii *faciat*.

5. *In lucem coenat.* Pernox in comessationibus, compotationes in lucem protrahit; sic lib. I, epigr. 29.

7. *Septingenta.* Sestertia nempe.

8. *Assem num dederas crederasve Lupo?* legit Antonius *de Rooy*. — *Assem ne dederis.* Si te sollicitum reddunt nomina Lupi quae Tito debet; tu nil illi credas, cura vacabis.

11. *Pro togula debes.* Nondum solvisti togam, quam gestas; hoc taces et dissimulas, aliorumque debita recenses.

12. *Quadrantem.* Hoc est, quartam assis partem.

14. *Poscit iam dotem.* Nam filiae debitor est pater, quum eam dotare teneatur; lib. XIX, D. de ritu nupt. l. 1 §. Quare Artemidorus observat eleganter, filias in somnia sumptum et damnum portendere, quia dos iis debetur. *Herald.*

15. *Dicere quindecies.* Sensus est: Ole, tam curiosus es in alienis negotiis, ut pluries dicere tibi nec immerito potuerim: Quid ad te?

16. *Sed quid agas, etc.* Sed neque ego in aliena rep. curiosus, neque tu aut tua tanti. — Poëtae obiicere poterat Olus: Quid tu, o Martialis, satagis rerum mearum? Quapropter illum occupat Poëta.

11. — AD AVLVM PVDENTEM.

Cogis me calamo manuque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amasque,
Qui vis archetypas habere nugas!

1. *Cogis me*. De Pudente iam dictum lib I, epigr. 32. Nescio an hic idem sit: utut est, Poëtae erat amicissimus, qui in memoriae simul et amicitiae argumentum ab illo peteret versus propria eius manu scriptos et emendatos, quos Martialis vocat *archetypas nugas*, primum exemplar. In magno pretio solent haberi monumenta ipsorum auctorum Archetypa.

3. *Nimium probas*. Nam si in meis versibus aliqua fuerint menda, in librarium culpam reiicere haudquaquam potero.

12. — AD FAVSTINVM.

Sic me fronte legat dominus, Faustine, serena,
Excipiatque meos, qua solet aure, iocos;
Vt mea nec, iuste quos odit, pagina laedit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiant quum quidam nostra videri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent?
Vipereumque vomant nostro sub nomine virus,
Qui Phoebi radios ferre diemque negant?
Ludimus innocui: scis hoc bene: iuro potentis

Clancularius poëta, ut Nostro periculum crearet, famosa quaedam carmina Martialis nomine ediderat. Iurat Poëta nihil a se scriptum, quod cuiquam ruborem adferret, aut notam inureret. *Rader*.

1. *Sic me fronte*. Hoc est, Sic me legat et amet Domitianus, quem maxime lectorem velim, ut ego nec laedo quos etiam iure odi.

2. *Qua solet aure*; id est, solita benignitate et indulgentia. Ed. P.

4. *Mihi de nullo, etc.* Non famam capto ex aliena infamia. Ed. P.

6. *Si qua Lycambeo*. Archilochus Poëta Lacedaemonius versus iambicos tam acerbos scripsit in Lycamben, quod desponsam ipsi suam filiam negavisset, ut laqueo suspendere se simul cum filia illum coëgerit. Sensus est: Quid prodest occulto poëtae versus mordaces et contumeliosos edere, quum omnes noverint candidum meum ingenium? Vid. X, 3 et 33.

8. *Qui Phoebi radios*. Qui non audent versus suo nomine edere in lucem.

Per genium Famae, Castalidumque gregem:
Perque tuas aures, magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab invidia.

10. *Per genium Famae.* Me innocuum esse a maledicentia, iuro per famam nominis mei, et per tuum favorem, lector. *Genius* enim est rei cuiuscumque gratia, venus, lepos.

11. *Numinis instar.* Lectori, tanquam Deo suae sortis arbitro, preces fundit ac vota nuncupat scriptor; ut Iul. Caesar Romae quam *summum numen* vocat et precatur, in Pharsal. lib. I, vs. 199. Ed. P.

13. — DE LYCORIDE.

Dum Tiburtinis albescere solibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

2. *Antiqui dentis.* Id est, vetusti eboris, quod fit ex dente elephantis: fit etiam ex aliis eiusdem belluae ossibus, si credas Plinio. Ed. P.

3. *Quid Tiburis alti Aura.* Silius Italicus, Pun. lib. XII, 229: *Quale micat, semperque novum est, quod Tiburis aura Pascit ebur:* ibi *pascit* pro sustentat et conservat. Vid. infra VIII, 28, vs. 12. Ed. P.

4. *Nigra redit.* Lycoris audiens caelo Tiburis ebur ex vetustate reparari et ad primum nitorem redire: ergo venerat Tibur, quia *fusca*, cupiebat colorem suum mutari. Poëta credulam ridet, quae sibi *nigrae*, quod ebori *candido* factum, speraverat: nam *nigra* rediit, quae *nigra* venerat. Ed. P.

14. — AD AVLVM, DE LVCTV SVAE PVELLAE.

Accidit infandum nostrae scelus, Aule, puellae,
Amisit lusus deliciasque suas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui;

1. *Infandum scelus.* Parcarum nempe: ad finem usque epigrammatis mentem lectoris lepide suspendit Poëta: ait enim puellam suam amisisse lusus et delicias; et quoniam Lesbia passerem, Violantilla columbam perdidit, putamus tale aliquid amicae Martialis accidisse; sed aliud est, obsceno sensu insignius, quod ultimo versu declarat. Ed. P.

Vel Stellae cantata meo, quas flevit Ianthis,
Cuius in Elysio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominae pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

5. *Vel Stellae cantata.* Id est, columba, de qua lib. I, epigr. 8.

6. *In Elysio.* Hoc est, cuius columbae umbra est apud inferos, secundum Antiquorum opinionem, qui existimabant mortuorum omnium umbras esse in Inferis.

15. — AD ARGINVM PVERVM IANTHIDOS.

Quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis,
Et fugit ad dominam Naiáda? numquid Hylas?
O bene, quod sylva colitur Tirynthius ista,
Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, ministres;
Nil facient nymphae: ne velit ipse, cave.

1. *Puer hic nitidis.* Arginus scilicet. — *Absistit Ianthidos.* Qui abstinet, qui refugit. Alii *adsistit.* — *Vndis.* In aedibus Stellae erat fons, cuius Nympham a Violantilla, seu Ianthide, Stellae uxore, Ianthidem denominat, ad quam Violantillam confugiebat hic servus, ne a Nymphis raperetur.

2. *Et fugit ad dominam Naiada.* Argini effigiem intellige positam in nemore propter fontem, ut modicum intervallum interesset. Ideo fingit Poëta puerum sic locatum, quasi vereretur casum Hylae, quem, quum appropinquasset nimium aquae, Nympha rapuit.

3. *O bene, etc.* O bene tibi est, quod proximo nemore cultus Hercules tibi praesidio est et tutela, ne rapiaris a Nymphis te amantibus. Sic Graecis ὡς εὐτυχῶς ὅτι.

5. *Securus, etc.* Sine metu potes ex hoc fonte haurire aquam, quam ministres. Ianthis Nympha huius fontis non rapiet te, ut Hylam quondam Nymphae fl. Ascanii: cave haud ab Hercule ab ipso Stella.

16. — AD REGVLVM.

Aera domi non sunt; superest hoc, Regule, solum,
Vt tua vendamus munera: numquid emis?

1. *Superest hoc.* Nihil quicquam habeo domi, praeter munera quae a te accepi: hoc autem facete dicit Poëta sperans Regulum ea non redempturum, sed liberaliter subventurum suae inopiae. — Edd. plur. *Regule*, *tantum.*

17. — AD BIBLIOTHECAM IVLII MARTIALIS.

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector Vrbem;
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivae fuerit locus Thaliae,
Hos nido licet inseras vel imo,
Septem quos tibi mittimus libellos,
Auctoris calamo sui notatos:
Haec illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata parvo,
Quae cantaberis orbe nota toto,
Pignus pectoris hoc mei tuere,
Iulî bibliotheca Martialis.

Autographum septem librorum epigrammatum dedicat bibliothecae Iulii Martialis, cuius hortos et villulam elegantem in Ianiculo suburbano descripsit.

4. *Lascivae Thaliae*. Hoc est, iocosis meis carminibus.

5. *Nido imo*. Infima statione, ordine: *nidi* enim foruli sunt librorum, in quibus velut capsis, certo ordine graduque reponuntur, ut diximus lib. I, epigr. 118, vs. 15. — *Nido vel imo*. Hoc est, vel in ultimo ordine colloces, modo collocatum aspiciam.

8. *Hoc illis pretium* codd. Val. et Florent. — *Haec illis pretium*, etc. Quod auctoris autographi sunt, et quos epigr. 10 supra, dixit archetypos. — *Litura*. Et maiori in pretio erunt, quod manu mea exaratos vere eos fuisse, ex litura multiplici facile patebit.

9. *Tu munere*. Cui consecro et dono hos libellos meos. — *Dedicata*. Donata, consecrata. Bibliothecae enim Musis et Apollini sacrae erant. Dedicabantur et statuae et imagines in bibliothecis.

10. *Nota*. Carmine meo.

11. *Pectoris hoc mei pignus*, librum scilicet quem eum donavi, et qui amicitiae magnae pignus parvum est.

18. — IN GALLAM.

Quum tibi sit facies, de qua nec femina possit
Dicere; quum corpus nulla litura notet;

1. *De qua nec*. Id est, nec ulla foemina, ergo nemo, potest deformitatem notare in tuo corpore.

2. *Dicere, etc.* Se talem habere nequest, seu tibi contendere, tibi se aequiparare; praeferre saltem non ausit. — *Nulla litura notet*. Quum non opus sit ut lomento rugas uteri

Cur te tam rarus cupiat, repetatque fututor,
Miraris? Vitium est non leve, Galla, tibi.
Accessi quoties ad opus, mixtisque movemur
Inguinibus; cunnus non tacet, ipsa taces.
Di facerent, ut tu loquereris, et ipse taceret!
Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem: namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, et risum res movet ista simul.
Quis ridere potest fatui poppysmata cunni?
Quum sonat hic, cui non mentula mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno:
Et si adeo muta es, disce vel inde loqui.

condas, quae nullae sunt. Vide lib. III, epigr. 42. Aliter intelligit Poëta nullam mendam, aut naevum esse in toto corpore pulcherrimae, quam tamen carpit, puellae.

9. *Pedere*, crepitum ventris emittere.

11. *Poppysmata.* Vox fictitia, a sono quo equis necdum domitis blandimur. Politianus Miscell. cap. 32: demulsio, attrectatio blanda, ut quae fit ad cicurandum equum.

19. — DE FRAGMENTO ARGVS.

Fragmentum, quod vile putas et inutile lignum,
Haec fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneae quondam potuere ruinae
Frangere, nec Scythici tristior ira freti.
Saecula vicerunt: sed quamvis cesserit annis,

1. *Fragmentum.* Navis scilicet Argus, quod Romae tunc ostendebatur. De illa nave et Argonautis vide Valerii Flacci poëma.

2. *Ignoti prima, etc.* Non prius tentati mortalibus; *Nullaque mortales praeter sua litora norant.* Argonautas primum tentasse mare navigio volunt poëtae.

3. *Cyaneae quondam, etc.* Duae insulae in Ponti Eusini ostio, quae et Symplegades, vel Syndromades vel Planctae dictae sunt, quod eminus intuentibus moveri loco et in se incurrere videbantur: Argonautse non sine periculo, mutilata summa puppis parte, has transmisere, Phinei monitu, praemissa viae duce columba. *Ruinae* addit, quia ad Cyaneos hosce scopulos, naufragiis infames, magnum adiere discrimen.

4. Edd. vett. *unda freti.*—*Ira freti.* Hoc est, tempestas Ponti Euxini.

5. *Secula vicerunt, etc.* Fluctus,

Sanctior est salva parva tabella rate.

scopulos, Syrtes praetervectam et superantem, vicit tandem aetas; hoc est, et quae nullis cesserat fluctibus, scopulis, Syrtibus, cessit tandem tempori, quod exedit, consumitque omnia.

6. *Sanctior est, etc.* Fragmentum hoc religione et antiquitatis veneratione vel ipsam integram, vel alias quasvis naves superat.

20. — IN SANCTRAM.

Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra,
Rectam vocatus quum cucurrit ad coenam,
Quam tot diebus, noctibusque captavit;
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et utramque coxam leporis, et duos armos:
Nec erubescit peierare de turdo,
Et ostreorum rapere lividos cirros:
Buccis placentae sordidam linit mappam.
Illic et uvae collocantur ollares,

Raptorem coenarum, et venditorem earumdem Sanctam describit.

1. *Miserius.* Tum labore et officiis quibus coenam captavit: tum maxime avaritia, qui analecta vendidit. — *Gulosius Sanctra.* Rapacius, qui tantum suffuratus est

2. *Rectam vocatus.* Quam revocaverat Domitianus, sublatis sportulis. *Recta* coena, sive honesta et liberalis, in qua clientes *vocati* accumbebant cum patronis. Ed. P.

4. *Ter poscit.* Liberaliores convivatores clientibus et conviviis potestatem faciebant poscendi, quae vellent. — *Glandulas.* Sunt carnes quaedam callosae et delicatae circa cervicem apri: lumbus vero est media pars apri in tres partes divisi. Ed. P.

5. *Vtramque coxam.* Coxa posteriorum pedum pars est superior; armus, anteriorum: leporis utraque optima. Ed. P.

6. *Peierare.* Hoc est, quum subduxit turdos, non pudet ipsum iurare sibi non fuisse appositos.

7. *Ostreorum lividos cirros.* Cirri proprie crines sunt; sed hic sumuntur pro fibris ostreorum carnis colorem referentibus, unde *lividos* vocat. Sensus est: Ab illo helluone rapi etiam ostrea. Forte per *ostrea* intelligam locustas, astacos, squillas et cancros quorum pedunculi et caudae, velut cirri, crispantur et protenduntur. Ed. P.

8. *Dulci placenta* edd. plur. *Buccis placentae* codex Florentinus, pro *bucceis*, i. e. frustulis. — *Buccis placentae.* Quam et clam subductam mappa involvebat.

9. *Vvae ollares.* Quae nempe in ollis servabantur.

Et Punicorum pauca grana malorum,
Et excavatae pellis indecens vulvae,
Et lippa ficus, debilisque boletus.
Sed mappa quum iam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
Et devorato capite turturem truncum.
Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quidquid et canes reliquerunt.
Nec esculenta sufficit gulae praeda,
Mixto lagenam replet ad pedes vino.
Haec per ducentas quum domum tulit scalas,
Seque obserata clausit anxius cella,
Gulosus ille postero die vendit.

11. *Et excavatae.* Exesa enim carne sola pellis supererat.

12. *Et lippa ficus.* E qua matura lacteus humor, lippitudinis instar, fluit. — *Debilisque boletus.* Quia parum durat, non optimus, inquit Farnabius: immo recisus vel nullo aut debili caule. *Gronovius.* — Quidni mollem et tenerrimum intelligas, velut quae apud helluones istos maxime in pretio et deliciis, *anseris medullula, etc.* Ed. P.

13. *Mille furtis.* Hoc est, esculentis in mappa involutis.

14. *Spondylos sinu condit.* Vertebrasne animalium? an pisces, cum Macrobio et Seneca, qui vulgo *schinoli?* an salsamenta, cum Athenaeo? Salmasius vero de aliis spondylis non hoc intelligendum dicit, quam de ostrearum cervicibus. Petronio cochlearum cervices dicuntur, qui Graecis τράχηλοι. — *Spondyli* sunt etiam vertebrae quibus constat spina dorsi. Plin. XXXII, c. 11. Ed. P.

15. *Et devorato, etc.* Sanctra turturem capite detracto furatus est.

16. *Longa.* Porrecta: longae latronum manus. Aliae *nec pudet.*

17. *Analecta.* Quae sub mensam cadebant, vel proiiciebantur, erantque ministris relegenda.

18. *Nec esculenta, etc.* Nec cibos tantum rapit, et escas furatur.

19. *Mixto lagenam.* Subducit etiam vinum aqua temperatum, quod servi ad pedes bibebant; vel lagenam, quam habet paratam ad pedes, vino mixto implet.

20. *Hoc per ducentas* in codice Vaticano. — *Per ducentas scalas.* His verbis indicat Sanctram istum sub tegulis pauperum more habitasse.

22. *Vendit.* Ἀπροσδοκήτως, exspectabatur uti rapax et gulosus Sanctra voraret ista: ille vero avarus et miser vendidit.

21. — DE NATALI LVCANI.

Haec est illa dies, quae magni conscia partus,
Lucanum populis, et tibi, Polla, dedit.
Heu! Nero crudelis, nullaque invisior umbra,
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

Natalem diem et fatalem Lucani, eundem epigrammate canit et deplorat. C. Caesare Germanico, iterum, et L. Caesiano coss. Cordubae, quae Hispaniae Baeticae provincia, natus est Lucanus, IV Nonar. Novembr.

1. *Magni conscia partus*, Lucani, nobilis poëtae.

2. *Polla, dedit*. Polla Argentaria, uxor Lucani.

3. *Nulla est invisior umbra* in codice Vaticano. — *Heu! Nero crudelis*. Conspiraverat Lucanus in Neronem, quod fama carminis eius premebatur a Nerone et illud in lucem edere prohibebatur; contra quem, ut canit Papinius, est in theatro coronatus. — *Nullaque invisior umbra*. Nullius caede invisior quam Lucani. Sic de Cicerone l. V, epigr 70, v. 2.

4. *Non licuisse*. Interficere tam egregium Poëtam. Videtur ad Neronis dictum respicere, qui multis occisis, nescisse hactenus Caesarem, quantum Imperatori liceret, dicere solebat. *Rader*.

22. — DE EODEM.

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba favete sacris.
Haec meruit, quum te terris, Lucane, dedisset,
Mixtus Castaliae Baetis ut esset aquae.

1. *Vatis, etc.* Lucani poëtae sub Apollinis praesidio. *Memorabilis, etc.* Clarus et celebrandus et dignus memoria dies natalis.

2. *Turba favete*. Turba est nomen collectivum, quapropter verbum ponitur in plurali. — *Sacris*; sacrificio in honorem Lucani vestri faciendo. En. P.

3. *Haec meruit*. Haec dies vel propter te, o Lucane, editum meruit, ut Baetis patrium flumen numeraretur inter fontes Musarum perinde in scriptis poëtarum et caneretur ac Apollineus amnis permissus, et quem Castalidum labra saepius tetigere fons hippocrene.

4. *Baetis*. Cordubae natus est Lucanus, quae est ad Baetim Hispaniae Baeticae fluvium, hodie *Guadalquivir*.

23. — DE EODEM AD PHOEBVM.

Phoebe, veni; sed quantus eras, quum bella tonanti

1. *Veni*. Nempe ad haec sacra, quae facimus natalem Lucani diem celebrantes. — *Bella tonanti*: quae voces indicant Pharsaliae stylum inflatum,

Ipse dares Latiae plectra secunda lyrae.
Quid tanta pro luce precer? tu, Polla, maritum
Saepe colas, et se sentiat ipse coli.

ac saepe plus fragoris quam dignitatis habentem, dum canit *bella plus quam civilia* inter Caesarem et Pompeium. Ed. P.

2. *Plectra secunda.* Hoc est, cui Lucano tu ipse, o Phoebe, secundam a Virgilio carminis epici gloriam concessisti.

3. *Tu, Polla.* Diu vivas, ut maritum saepius colere possis, anniversaria renovando, et ipse, ubi est, sentiat cum gaudio se post obitum a te quotannis coli. Ed. P.

24. — IN MALEDICVM.

Cum Iuvenale meo quae me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes:
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, et maius nomen Atridas,
Et Ledae poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis, et talibus imprecor ausis,
Vt facias illud, quod, puto, lingua, facis.

1 *Cum Iuvenale.* Hoc est: O lingua, quae lentas contentionis et dissidii semina iacere inter me et Iuvenalem poëtam Satiris notum, et amicum meum.

3. *Te fingente nefas*; fictis criminibus odia inter tales amicos excitante. Ed. P.

5. *Siculos fratres.* Intellige Amphinomum et Anapiam natos Catanae, hodie *Catania*, in urbe Siciliae, non longe a monte Aetna, quorum pium in parentes amorem refert Strabo lib. VI; Senec. III de Benefic. c. 17. — *Atridas.* Agamemnonem et Menelaum, celebriores Siculis istis fratribus.

6. *Ledae genus.* Castorem et Pollucem.

8. *Facis.* Videtur alloqui linguam, cui precatur, ut adhaereat rebus turpibus. Lib. II, epigr. 61.

25. — IN MALVM POETAM.

Dulcia quum tantum scribas Epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute;

1. *Dulcia quum.* Insulsa, nec imbuta illa mordacitate quae his versibus convenit.

2. *Candidiora.* Hoc est, in quibus inest sensus candidior cerussa, quae erat eximii candoris. Vide lib. I, epi-

Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit : o demens, vis tamen illa legi !
Nec cibus ipse iuvat morsu fraudatus aceti ;
Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuasque mariscas ;
Nam mihi, quae novit pungere, Chia sapit.

gramm. 73. Candidus vero album quidem significat, sed et simples etiam, ut sumitur hic.

3. *Salis.* Ingenii, argutiae, urbanitatis. *Fellis.* Amarulentiae, acerbitatis : prius ad oblectandum est ; posterius ad pungendum. Eo. P.

5. *Nec cibus ipse.* Acerba enim irritant stomachum, lectorem quoque alliciunt sales.

6. *Gelasinus.* Gelasini sunt sulculi qui a ridentibus (γελῶσι) in ore fiunt, ioquit Raderus. Rob. Stephanus in suo Thesauro ait : Gelasini suut lineae quae rideodo efficiuntur, et summam gratiam ori conciliant. Gelasini sunt etiam dentes anteriores, qui ridendo nudantur. Gelasious scurram quoque significat. — *Nec grata est facies, etc.* Qualem ori gratiam addunt rugae illae inter rideodum contractae : tale epigrammati decus adduot quae risum movere valent.

7. *Infanti melimela dato, etc.* Infantibus mellita, seu mustea poma dato, et propter dulcedinem insipidas ficus, quasi dicat ; Insulsis placeant epigrammata dulcia, nec ingenio nec acerbitate condita ; mihi placet epigramma salsum, acre, mordas, et piperatum. — *Mariscas.* Genus quoddam ficus insulsae ; infantibus enim placent dulcia, quorum teneriori palato sales repugnant.

8. *Chia.* Ficus oempe acerbi saporis : hoc est, ut in ficu amaritiem volo, ita et in epigrammate garum et sal.

26. — SCAZONTA MITTIT AD APOLLINAREM.

Apollinarem conveni meum, Scazon,
Et si vacabit, ne molestus accedas,
Hoc qualecumque, cuius aliqua pars ipse est,

Apollinaris hic extra aleam magnus clarusque vir erat, si modo is est, ad quem Secundi leguntur epistolae : doctissimum eumdem fuisse constat es hoc carmine, quo testatur hunc aliquam epigrammatum suorum partem esse ; monetque Scazontem suum, ut in sinum Apollinaris confugiat, ubi tutum fore librum pollicetur. Et de eo iam actum lib. IV, epigr. 87. *Rad.*

1. *Scazon.* Scazon Iambus est claudicans ; in sestn enim pede ponitur Spondaeus : lib. I, epigr. 97.

2. *Et si vacabit.* Tamen tempus masime opportunum captabis.

3. *Cuius aliqua pars.* Nam nostri Poëtae versus emendabat Apollinaris : et limam adbibens, emendans, interpolans, *partem* habet in *hoc qualicumque* opere.

Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte videris tota,
Noto rogabis ut favore sustentet.
Quanto mearum, scis, amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conveni meum, Scazon.

4. Gronovius scribi iussit *facetae*. — *Hoc facetum*. Quomodo *facetum*, quod modo vocabat *qualecumque?* cui modestiae istud haudquaquam convenit. Scribe *facetae*: aures *facetas* vocat eius qui facetus est, qui scit eleganter audire; ut dictum est de Graecis, qui *soli audire sciebant*; nihil enim rarius est. Ed. P.

5. *Tota*. Plane laeta et benigna.

9. *Esse si voles* Beverland. MS.

27. — DE APRO SIBI A DEXTRO MISSO.

Tuscae glandis aper populator, et ilice multa
Iam piger, Aetolae fama secunda ferae,
Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,
Praeda iaces nostris invidiosa focis.
Pinguescant madido tetri nidore Penates,
Flagret et exciso festa culina iugo.

De apro. Legunt alii, *De apro a se occiso*: et in tertio versu *culter* pro *Dexter*: sed huic lectioni repugnat ultimum distichum: ad Dextrum enim suum amicum videtur remittere aprum, cui condiendo non sufficerent suae opes; quem nec capit ignis modestus.

1. *Tuscae glandis*. In agro nempe Tusco aper glandibus saginatus lente incedebat, pinguedine piger.

2. *Aetolae fama*. Hic scilicet aper proximus erat ab ingenti apro Calydonio, quem in Aetolorum agros immiserat irata Diana.

3. Edd. vett. *Splendenti cuspide culter*; et tunc ad Martialem debet referri. — *Cuspide*. Venabulo. — *Dexter*. A quo occisum et poëtae nostro missum arguit supremum distichon.

4. *Praeda iacet* in quibusdam. — *Praeda iaces invidiosa*; hoc est, maior quam ferat mea conditio; vel opima, cui possit invideri. Ed. P.

5. *Penates* Dii domestici, sumpti pro ipsa domo. Sensus est: Lauta coena instruatur, quae madidos ebriosque Lares et omnem focum pingui nidore spargat. Ed. P.

6. *Exciso iugo*. Montis nimirum, id est, caesa ligna largius reponantur supra focum, ad corpus ferae assandum. Ed. P.

Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
Addet et arcano mixta Falerna garo.
Ad dominum redeas : noster te non capit ignis,
Conturbator aper : vilius esurio.

7. *Sed coquus, etc.* Sed impensa condiendi superabit facultates meas; satius itaque est ut remittam Dextro, nisi forte et ille mihi hos sumptus suppeditet.

8. *Addet et arcano.* Hoc est, meliori et interiori. De *garo* dictum lib. VI, epigr. 93. Genus erat liquaminis, de quo iterum lib. XIII, epigr. 102.

9. *Ad dominum.* Dextrum scilicet. — *Noster te.* Nostra culina non habet unde te condiat; seu in hoc apro condiendo conturbarentur et decoquerentur opes meae.

10. *Conturbator aper.* Qui nempe non sunt solvendo, neque se extricare nominibus possunt et aere alieno, illi conturbant; nec enim eorum rationes explicari et expediri possunt. *Vilius esurio.* Minoris constat fames mea, viliori cibo contenta est : minore sumptu coenam mihi constare velim; nisi forte mea redimatur impensa.

28. — AD FVSCVM.

Sic Tiburtinae crescat tibi sylva Dianae,
Et properet caesum saepe redire nemus;
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat, et immodici dent bona musta lacus;
Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent,
Excolat et geminas plurima palma fores :

Ad Fuscum mittit librum Saturnalibus legendum et iudicandum : hic videtur idem esse, ad quem Plinii Secundi lib. VII, epist. 9. Ed. P.

1. *Sic Tiburtinae.* Tibure sylvam habebat iste Fuscus, doctus sane causidicus, quae Dianae utpote nemorum praesidia esse dicitur. Sic tibi omnia feliciter cedant, precor; sic sylva, quam Tibure habes, caesa revirescat.

3. *Nec Tartessiacis.* Pallas seu Minerva inventrix fuit olivae pro qua et ipsa sumitur. Sensus est : Nec tua oliveta cedant olivetis Baeticis : Baetis vero fluvius est Hispaniae, hodie *Guadalquivir*, qui olim dictus est Tartessus, ad quem multae sunt oleae, et quidem optimae. *Trapes* autem, seu trapetum, est mola olearia, et sumitur pro ipso prelo. Baetica provincia oleo abundabat, eoque pretioso. Quanta fuerit Tartessi dignitas norunt qui de Baetica quidquam legerunt. Ed. P

4. *Lacus.* Cupae sunt in quas vinum prelis expressum labitur. — *Immodici* : pleni et musto redundantes.

5. *Sic fora mirentur.* Te agentem causas. — *Pallatia laudent.* Hoc est, Imperator ipse te laudet.

6. *Palma fores.* Palma affigebatur ianuis causidicorum, qui in causis vi-

Otia dum medius praestat tibi parva December,
Excipe, sed certa, quos legis, aure iocos.
Scire libet verum : res est haec ardua ; sed tu
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

cissent, quam Ausonius vocat *palmam forensem*. Vid. Iuv. Sat. 7, 117: *Rumpe miser tensum iecur, ut tibi lasso Figantur virides scalarum gloria palmae*. Scalas hic pro aditu domus, sive ianua accipit, ut Oratorum pauperies indicetur, qui more omnium pauperum in coenaculis habitabant. En P.

7. *Otia dum*. Saturnalium tempore a foro vacabant causidici ut et iudices, et civium quicumque istius modi muneribus fungebantur.

8. *Excipe* (*Exige*) *certa aure iocos*. Hoc est, diligenter examina, excute certo et sagaci iudicio iocosa haec mea carmina. En. P.

9. Alii, *Scire libet verum? res est haec ardua* ex persona Fusci verum pronuntiare subtimentis, ne aut rusticus videatur, aut, quod saepe accidit, odium pariat: respondet Poëta: Sed tu mihi dic, quid tibi in pari re dici velis, etc. Vide epist. lib. XII, et Horat. epist. ad Pisones sub fine; cf. lib. VIII, ep. 76. Lectionem nostram firmat cod. Palm.

29. — AD TESTILVM PVERVM.

Testile, Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer;
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo;
Paulisper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Maecenati Maro quum cantaret Alexim,
Nota tamen Marsi fusca Melaenis erat.

1. *Tormentum Voconi*. Deliciae et amor, qui risus lugubris, dolor suavis, timor generosus, mors vivs, etc. *Victoris Voconi*, poëtae, qui Testilum suum puerum amabat.

2. *Notior urbe puer* legitur in Beverlandi codice; melius forsan.

7. *Et Maecenati*. De formoso Alexi, quem ardebat Virgilius, elegantissimam Eclogam scripsit ad Maecenatem, qui tamen non desinebat legere carmina Marsi Poëtae Virgilio minus politi, quibus ille Marsus puellam suam et quidem fuscam celebrabat: ita, inquit Martialis, Voconius mea epigrammata suis versibus longe inferiora non aspernabitur. — *Melaenis* a *μέλαινα*.

30. — IN CAELIAM.

Das Parthis, das Germanis, das, Caelia, Dacis;
Nec Cilicum spernis, Cappadocumque toros;
Et tibi de Pharia Memphiticus urbe fututor
Navigat, a rubris et niger Indus aquis;
Nec recutitorum fugis inguina Iudaeorum,
Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Qua ratione facis, quum sis Romana puella,
Quod Romana tibi mentula nulla placet?

1. *Das Parthis... Dacis.* Tui copiam.

3. *Pharia urbe fututor*; Memphi.

4. *Rubris et niger, etc.* A mari Erythraeo, quod quum Ερυθραῖον diceretur Graecis, ab Erythra filio Persei et Andromedae, qui ibi regnavit, Latini *Rubrum* verterunt; quam ridicule satis patet; et hinc mox rubri huius coloris vel arenas vel undas esse crediderunt istius maris. Vid. Plin. l. VI, 23; et Popma, Freinshem. ac Rader. ad Curtium VIII, 9, 14; et X, 1, 13, qui fusius probant Mare Rubrum nihil ab oceano nostro differre. Ed. P.

5. *Recutitorum, etc* Quibus circumcisis succrescit cutis nova.

6. *Sarmatico, etc.* Namque Alanos Scythiae populos in Sarmatia Europaea ponunt Plinius et Ptolemaeus.

7. *Qua ratione, etc.* Non solum quare, sed quo pacto, nullum hominem Romanum, quum sis Romana, admittere? cur peregrinorum solos concubitus amas?

31. — AD REGVLVM.

Raucae cortis aves, et ova matrum,
Et flavas medio vapore Chias,
Et foetum querulae rudem capellae,
Nec iam frigoribus pares olivas,
Et canum gelidis olus pruinis,

1. *Raucae cortis aves.* Propter raucum strepitum avium domesticarum. — *Cortis.* Pluribus tectis sive muris septae, instar mapalii. Festus. — *Aves et ova.* Gallinae, anseres, anates, columbae, etc. — *Matrum.* Gallinarum, anatum.

2. *Et flavas medio.* Hoc est, ficus Chias moderato calore exsiccatas.

3. *Et foetum.* Hoc est haedillum, de quo sollicita est capella. — *Querulae.* Quae foetum absentem gemit.

4. *Nec iam, etc.* Olivas frigore constrictas, cui ferendo impares.

5. *Et canum gelidis.* Hoc est, modo

De nostro tibi rure missa credis?
O quam, Regule, diligenter erras!
Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
Quidquid villicus Vmber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,
Id tota mihi nascitur Suburra.

ex horto lectum, atque adhuc cana pruina rigens.

7. *O quam*, dedita nempe opera erras fingens te nescire sterilissimum esse meum agellum.

8. *Nil nisi me, ferunt*. Nihil ferunt, nisi me tantum, et vix me alunt agelli mei.

9. *Quidquid villicus Vmber*. Quidquid tibi vel tuus villicus ex Vmbria, vel coloni ex Tusculanis agris mittunt, id mihi emendum in foro Suburrano, id est, in Vrbe.

10. *Marmore tertio*. Hoc est, rus ad tertium ab Vrbe milliare; singula enim milliaria lapidibus notabantur.

32. *Id tota mihi, etc.* Id ego emo in foro olitorio, quod tamen in *Suburra* non erat: de Suburra, vide lib. XII, epigr. 21, vs. 5.

32. — AD ATTICVM.

Attice, facundae renovas qui nomina gentis,
  Nec sinis ingentem conticuisse domum;
Te pia Cecropiae comitatur turba Minervae,
  Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At iuvenes alios fracta colit aure magister,

Laudat currendi exercitationem in Attico.

1. *Facundae renovas*. Memoriam nempe Pomponii Attici, cuius vitam scripsit Cornelius Nepos, ad quem Epistolas scripsit Cicero, quae inscribuntur ad Atticum, quem moribus et doctrina imitabatur hic Atticus.

2. *Nec sinis ingentem, etc.* Nec degener pateris, ut conticescat familiae tuae et ortus gloria.

3. *Te pia*. Hoc est, Graeci philosophi tibi semper adhaerent.

4. *Te secreta quies*. Hoc est; non agis causas, nec ambis magistratus; sed remotus a turba, operam das philosophiae. — *Sophos*, sapiens; quod nomen philosophis ante Pythagoram.

5. *Fracta colit aure*: vel Gymnasiorum exercitor alios iuvenes magnis clamoribus instituit: vel *fracta aure* dixit, quod quum exercitor pugilatum doceret iuvenes, eorum aures verberibus contunderet. Virg. Aen. V, 435: *erratque aures et tempora circum Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malae.* Vide Turnebum lib. XXIV, cap. 28.

Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
Non pila, non follis, non te paganica thermis
Praeparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
Vara nec iniecto ceromate brachia tendis,
Non harpasta vagus pulverulenta rapis:
Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per varias artes, omnis quibus area servit,
Ludere, quum liceat currere, pigritia est.

6. *Rapit immeritas.* Hoc est, iuvenes spoliat pecunia immerita quidem, quia operam illis non utilem impendit.

7. *Non pila.* Nempe trigonalis. De quatuor pilarum generibus, scilicet de trigonali folli, paganica, et harpasto fuse diximus lib. IV, epigr. 19.— *Thermis.* Ante coenam lavabant prisci, ante lavationem corpus exercebant.

8. *Aut nudi stipitis.* In terram figebatur palus, contra quem tamquam adversarium se exercebant tirones. Iuvenalis Sat. VI, 247: *aut quis non vidit vulnera pali, Quem cavat assiduis sudibus scutoque lacessit?* Vide et Vegetium, Stewechium, Mercurialem, et Lipsium. *Ictus hebes.* Hebetes ergo ictus, non acuti, quia lignei gladii; *Ictus* ergo a sudibus vel rudibus, ligneis gladiis et clavis.

9. *Vara nec iniecto*, i. e. nec lucta obtorques brachia et lacertos quasi varos; sic Ludovicus Carion. — *Vara nec.* Hoc est, nec luctaris: ita vero in lucta athletae implicabant brachia, ut vara viderentur. *Ceroma* autem erat unguentum ex oleo et luto confectum, quo ungebantur athletae.

11. *Prope Virginis undas.* Sensus est: Sed exerces te cursu ad aquam Virginem, de qua lib. V, epigr. 20, vs. 9. Vel ad porticum Europes, ubi depictus erat Iupiter in taurum conversus, qualis per mare in Cretam vexit Europen filiam Agenoris, qui Sidonem condiderat.

13. Legitur et *area fervet.* Petrus Scriv. *areas* intelligit *vitae spatia*, ut lib. X, epigr. 24, 9, sed vid. Sen. epist. 15. — *Per varias*, *etc.* Literato viro conveniunt magis exercitationes faciles et breves, quae corpus et sine mora laxent et tempori parcant, quarum praecipua est cursus, quam pigri isti ludi quibus Campus et gymnasium servit.

14. *Ludere, quum liceat.* His verbis omnibus aliis exercitationibus cursum anteponit.

33. — IN CINNAM.

Sordidior coeno quum sit toga, calceus autem

1. *Sordidior coeno, etc.* Vituperat Cinnam, vel quia sordidus erat, lutoque albos ferebat calceos; vel quia cum feminis communes gerebat, hoc est, albos.

Candidior prima sit tibi, Cinna, nive;
Deiecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam; calceus ecce perit.

2. *Candidior.* Hinc colligere est, Romanos calcais albis usos fuissa: hunc autem Cinnam toga sordida indutum, et calceis albis utentem lepide irridet Poëta.

4. *Ant. de Rooy* conj. *calceus inde perit*, i. e. a sordidae togae viciuio. — *Collige, etc.* Tolle, ne inquinet album calceum, qui male convenit cum sordida toga. Docet enim Poëta, insanum esse Cinnam, qui maiorem calcei, quam togae rationem habeat: contrarium faciendum fuisse, togam colligendam esse, ne calceis sordidis inquinetur; non ut calcei, qui saepe necessario collutulantur a toga sordida et contaminantur. *Rader.*

34. — AD SEVERVM, DE CHARINO.

Quo possit fieri modo, Severe,
Vt vir pessimus omnium Charinus
Vnam rem bene fecerit, requiris?
Dicam, sed cito: quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?
Non deest protinus, ecce, de malignis,
Qui sic rancidulo loquatur ore:
Quid? tu tot domini, Deique nostri
Praefers muneribus Neronianas?
Thermas praefero balneis cinaedi.

Duorum impurissimorum beneficia in populum romanum inter se confert, quasi dicat: miraris, qui potuerit a malo homine aliquid boni fieri? etiam Nero pessimus, optimas exstruxit thermas. *Rader.*

2. *Vt vir pessimus.* De quo homine impurissimo dictum lib. IV, epigr. 39: licet improbissimus in gratiam populi, ut Nero thermas, sic ille balnea exstruxit nobilissima.

3. *Vnam rem bene gesserit* exhibet codex Vaticanus.

4. *Dicam, sed scito* legitur in Beverlandi MSS.

6. *Non deest protinus, etc.* Quod si quis malignus mihi hic obstrepat, perinde ac si praeferam Neronis thermas aut Charini balneas publicis Domitiani aedificiis; respondeo me id non facere, sed conferre tantum inter se Neronis et Charini opera, et illa praeferre.

7. *Rancidulo.* Metaphora ducta a cibo vitiato iam, et prope corrupto: *Rancidulum* dixit, hoc est, os putidum et corruptum calumniis atque adulationibus.

8. *Vt quid tu domini*, vel *Ecquid tot domini* alii.

9. *Neronianis* Beverlandi MS.

35. — AD LECANIAM.

Inguina succinctus nigra tibi servus aluta
Stat, quoties calidis tota foveris aquis.
Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus
Iudaeum nulla sub cute pondus habet.
Et nudi tecum iuvenesque senesque lavantur.
An sola est servi mentula vera tui?
Ecquid femineos sequeris, matrona, recessus?
Secretusque tua, cunne, lavaris aqua?

1. *Succinctus*. Quum in balnea veniret Lecania, iubebat sibi adstare servum obligatis pudendis, hac forte de causa, ut suspicatur Poëta, ne in aliis mulieribus latus defatigaret. Siquidem alii et promiscue cum feminis omnes nudi lavabant: ergo non prae pudore ita agebat Lecania. Vide lib. XI, epigr. 75 et epigr. 55 infra, ubi de tributo quod pendebant Iudaei circumsecti; qui tegebant inguina, ne verpi viderentur.

2. *Tota foveris aquis*. Leg. *lota*, Rutgers. Foedissimum hunc morem virorum promiscue cum feminis lavandi sustulit Traianus. Xiphilin. in Adriano, et Spartianus. At pessimi posthac principes revocavere.

6. *Mentula vera*. Lib. XI, epigr. 75, vs. 6: *Omnes an tibi nos sumus spadones, etc.*

8. *Secretusque tua*. Nempe in secreto recessu rem habebat cum servo, cuius vires sibi totas reservabat.

36. — AD STELLAM.

Quum pluvias madidumque Iovem perferre negaret,
Et rudis hibernis villa nataret aquis;
Plurima, quae posset subitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula missa tuis.
Horridus, ecce, sonat Boreae stridore December;
Stella, tegis villam, non tegis agricolam.

1. *Quum pluvias*. Sensus epigrammatis est: O Stella, ut tuum munus omni ex parte absolutum sit, mitte togam qua tegar, quemadmodum tegulas misisti, quibus tegeretur mea villa.

3. Ant. *de Rooy* *diffundere* malebat.

37. — AD CASTRICVM, DE THETA.

Nosti mortiferum quaestoris, Castrice, signum ?
Est operae pretium discere theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Letalem iuguli iusserat esse notam.
Turpis ab inviso pendebat stiria naso,
Quum flaret madida fauce December atrox.
Collegae tenuere manus : quid plura requiris ?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

1. *Nosti mortiferum, etc.* Sensus est : Pro veteri illa condemnationis et mortis (Θανάτου) litera, quaestor noster novam habet notam ; emoocto scilicet oaso dat carnifici signum occideodi hominis : huic aliquando opus erat distillaotem nasum emungere ; manum oaso admoturum impedierunt quaestores collegae ipsius, quasi daturum binc eaedis signum. Iocatur poëta misere cum illo agi, cui, modo alios popolariter occideoti, iam non liceat suum nasum abstergere. Lege II, ff. *de Origine iuris*, officium quaestoris sic defioitur : *Constituti sunt quaestores, qui pecuniae praeessent, et dicti sunt ab eo, quod inquirendae et conservandae pecuniae causa creati erant : et quia de capite civis Romani iniussu populi non erat lege permissum Consulibus ius dicere, propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent. Hi appellabantur quaestores parricidii* : de quibus agit Poëta.

2. *Theta novum.* Novum eoim mortis signom Invenit, ut quempiam ioterfecturus, nasum emongeret : hinc vocat *novum*, aliis iousitatum. *Mortiferum* vocat, quod mortis nuntium adferat ; nam θάνατος Graecis mors : et sic prima littera θ pro voce tota usurpatur. Romani prius A, quum absolverent ; C, quum coodemnarent ; N. L. quum uoo liqueret, usurpabaot. Lege Alexandrum ab Alexaodro lib. III, cap. 5, et Tiraquel. ibid.

4. *Iuguli*, feriendi, secandi ; hominis necandi seosu sumitur. Ed. P.

5. *Stiria.* Stilla est nasi congelata, et significat Gallice, *roupie.*

7. *Collegae.* Plures enim fuere quaestores ; primum duo, mox quatuor ; tum plures. — *Tenuere manus.* Ita nasum *miser* oequivit emungere, quod siguum esset hominis iugulaodi, vetitus a collegis. Ed. P.

38. — AD POLYPHEMVM.

Tantus es, et talis nostri, Polypheme, Severi,
Vt te mirari possit et ipse Cyclops.
Sed nec Scylla minor : quod si fera monstra duorum

3. *Nec Scylla minor.* Nimirum ipso Polyphemo conservo : tantae ergo magnitudinis erant servus iste Polyphemus, et Scylla serva, ut et

Iunxeris, alterius fiet uterque timor.

ipsi Cyclopi, noto ex Theocrito et Virgilio, admirationem movere possent: immo et alter alteri terrori esse posset. Legunt alii: *Sed nec Scylla minus*. Prior lectio placet Turnebo Adv. XXIV, cap. 28, hoc est: Nec Scylla servus, aut serva, ut sentiunt Interpretes, minor est Polyphemo conservo. Quidam intelligunt duas fuisse statuas ingentis magnitudinis; neque insulsum sane id est. Ego tamen intelligendum potius existimem de duobus servis tam deformibus et tam magnis, ut sibi alteri terrori esse potuerint.

39. — DE CAELIO.

Discursus varios, vagumque mane,
Et fastus, et Ave potentiorum,
Quum perferre patique iam negaret,
Coepit fingere Caelius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit obligatque plantas,
Inceditque gradu laborioso;
(Quantum cura potest, et ars doloris!)
Desit fingere Caelius podagram.

Caelii fraudes et podagram irridet.

1. *Discursus varios, etc.* Officiosas clientia discursitationes in salutandis patronis superbis. — *Vagumque mane*. De matutinis salutationibus iam fuse dictum lib. I, epigr. 56.

2. *Potentiorum*. Divitum. Horat. Epod. II, vs. 7: *superba civium Potentiorum limina*.

6. *Et sanas, etc.* Quales impostorum quorumdam sunt artes et mendicorum.

8 *Quantum cura*. Eadem usus est ironia lib. V, epigr. 21.

9. *Desit*. Per contractionem pro *desiit*; nam re ipsa correptus est podagra.

40. — EPITAPHIVM PATRIS ETRVSCI.

Hic iacet ille senex, Augusta notus in aula,
Pectore non humili passus utrumque Deum;
Natorum pietas sanctis quem coniugis umbris

2. *Passus utrumque Deum*. Domitianum nempe propitium, atque adversum, qui iratus in exsilium miserat Etruscum, placatus vero eumdem revocaverat. Lib. VI, epigr. 83.

3. *Natorum*, Geminorum, qui eodem cum matre, quae flore aetatis exstincta est, sepulcro patrem condi-

Miscuit: Elysium possidet ambo nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata iuventa;
Hic prope ter senas vidit Olympiadas.
Sed festinatis raptum tibi credidit annis;
Aspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

derunt. Tum filius Etruscum patrem damnatum et in exsilium eiectum sponte comitatus est, nec antea destitit fatigare precibus Domitianum, quam pacem illi, reditumque impetraret. — *Coniugis*. Etruscae; a qua summo loco nata, Etruscus maritus, et filii nomen accepere.

7. *Sed festinatis*. Hoc est: O Etrusce filii, licet Etruscus pater tuus senior interierit, fato tamen immaturo abreptum tibi illum credidit, quisquis vidit tuos planctus. Legunt alii: *Raptum te credidit annis*. In hoc versu Etruscum patrem, in ultimo Etruscum filium alloqueretur Poëta, ut aiunt. Melior longe mihi videtur prior lectio.

41. — AD SEMPRONIVM TVCCAM.

Cosmicos esse tibi, Semproni Tucca, videris;
Cosmica, Semproni, tam mala, quam bona sunt.

1. *Cosmicos*. Κοσμικός· hoc est, *mundanus*. Hoc epigramma sic explicat Turnebus lib. XXV, cap. 24. Credo, inquit, Sempronium voluisse videri Socratis et philosophorum imitatorem qui se mundanos et κοσμοπολίτας dicebant, non alicuius certi definitique loci municipes: ac se mundanum esse respondit interroganti, cuius esset, Socrates: Martialis autem, qui mundum tantumdem boni quantum mali habere sciret, et multos intelligeret ambitioso philosophi nomine magna vitia occultare, cosmica et bona et mala esse dicit, ne eo nomine Sempronius nimium superbiret.

42. — AD CASTRICVM.

Muneribus cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
Nos tenues in utroque sumus, vincique parati;
Inde sopor nobis, et placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quaeris?

1. *Muneribus*. Hic Castricus et divitiis et doctrina abundavit, cui primas dat Poëta.

3. *Nos*. Ego. — *Vincique parati*. Opibus et carminibus.

5. *Tam mala*. Rationem reddit,

Alcinoo nullum poma dedisse putas?

cur ad Castricum versus miserit; quia nempe, inquil, et Alcinoo Phaeacum regi in insula Corcyra, hodie *Corfou*, cuius horti pomis nobilissimis abundarunt, aliquis forsan obtulit poma, et qnidem suis longe inferiora. Huius Alcinoi hortos describit Homer. Odyss. Z. Attamen illa accepit in bonam partem; sic tu eruditus inerudita carmina non repelles. Ed. P.

43. — IN CINNAM.

Aut dandum, aut cito negandum significat.

Primum est, ut praestes, si quid te, Cinna, rogabo;
Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo praestantem; non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec praestas, nec cito, Cinna, negas.

44. — DE IMAGINE MAXIMI CAESONII, AD Q. OVIDIVM.

Maximus ille tuus, Ovidi, Caesonius hic est,
Cuius adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem
Ausus es, et profugi, non tua, fata sequi.
Aequora per Scyllae magnus comes exsulis isti,
Qui modo nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,

Masimus Caesonius, vir consularis a Nerone damnatus et in exsilium missus, comitem voluntarium habuil Q. Ovidium, qui expressam Caesonii postea mortui imaginem servabat, ad quam hoc epigramma scripsit Poëta. *Rader.*

1. *Maximus ille.* In cera nempe ad vivum expressus Caesonins, qui, damnatus a Nerone in coniuratione Pisoniana, exsul aul in Siciliam aul in Africam fuit missus.

2. *Vivida cera.* Quae ad unguem refert Caesoninm. Ita enim mortuos solebant quasi in vitam revocare.

3. *Sed tu damnare.* Quum sponte Ina Caesonium ut innocentem secutus es, per mare Siculum, in provinciam, cui modo praefueral: proconsuli te comitem negabas; exsuli te offerebas. Ed. P.

5. *Aequora per Scyllae.* Scylla scopulus est in mari Siculo.

6. *Consulis ire comes.* In Africam, quam paulo ante administraveral Caesonius.

7. *Si victura, etc.* Si vitale fuerit hoc carmen meum, scient inde praesentes et posteri, Ovidium id praestitisse Caesonio, quod Caesonius

Et fas est cineri me superesse meo,
Audiet hoc praesens, venturaque turba, fuisse
Illi te, Senecae quod fuit ille suo.

prius Annaeo Senecae, philosopho huius aevi clarissimo a Claudio in Corsicam relegato.

10. *Senecae quod fuit*. Hinc colligere est, Caesonium in Corsicam comitem olim sese adiunxisse Senecae exsulanti.

45. — DE EADEM.

Facundi Senecae potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix litera pagina salutat.
Hunc tu per Siculas secutus undas,
O nullis, Ovidi, tacende linguis,
Sprevisti domini furentis iras.
Miretur Pyladem suum Vetustas,
Haesit qui comes exsuli parentis.
Quis discrimina comparet duorum?
Haesisti comes exsuli Neronis.

Ovidii fidem, et charitatem in Caesonium, anteponit Pyladis officio Orestem comitantis.

2. *Caro proximus*. In amore nempe erga Senecam. Carus autem et Serenus, et hic Maximus Caesonius, Senecae amicissimi fuerunt. Vide Senecae Epist. 87.

3. *Quem frequenti*. Ad quem Caesonium toties scripsit Seneca.

4. *Felix litera* dicitur, ut opinor, quod bearet ipsum Caesonium.

7. *Domini*. Neronis.

8. *Miretur Pyladem*. Qui se comitem adiunxit Oresti exsulanti, ne a matre sua Clytaemnestra, ut Agamemnon pater, interficeretur. Euripides in Oreste, et Sophocles in Electra. Deinde reversus matrem occidit, et rursum, sed sponte, exsulavit.

10. *Duorum*. Pyladis nempe et Ovidii: ille enim, Orestem secutus, non tantum periculum expertus est, quantum adiit Ovidius, damnatum a Nerone saevissimo tyranno Caesonium comitatus. Pylades nihil habebat a Clytaemnestra metuendum; tu merito timere poteras, ne in te etiam saeviret Nero: itaque Pyladem longe superasti. Ed. P.

46. — AD PRISCVM.

Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,
Maeonioque cupis doctius ore loqui;
Excrucias multis pariter me teque diebus;
Et tua de nostro, Prisce, Thalia placet.
Divitibus poteris Musas, elegosque sonantes
Mittere: pauperibus munera pexa dato.

1. *Commendare, etc.* Priscus pollicitus fuerat Martiali munus; trahebat autem moram ut carmine suo, quod Poëtae approbari voluit, munus exornaret: at Poëta, quem premebat egestas, petit sibi mitti id muneris, vel sine carmine; quod utrique minori foret molestiae.

4. *Prisce, Thalia tacet* codex Pulmanni; sic legit Turnebus, Advers. lib. XXIV, cap. 28. — *Et tua de nostro.* Et tibi iucundum est meditari carmina cum meo damno: munus enim promissum non mittis. Quod enim versus se scribere accuratos simularet Priscus, vel etiam reipsa meditaretur, nec interea dona remitterat, silentium eius merito, utpote conqueritur sibi damnosum Martialis.

6. Legunt alii *plana*, id est, sine carminibus. Alii *plena*, hoc est, inquit Faruabius, quorum gratiae nil deminuitur mora. I. Vossius vero interpretatur, non polita instar Elegorum sonantium, sed crassa et pinguia et incondita, magni attamen ponderis. — *Munera pexa.* Raderus vestem pexam intelligit; ita ut laudat in ambiguitate τοῦ pexa (carmina sc) pauperi pexa dato (vestimenta).

47. — AD LICINIVM SVRAM.

Doctorum Licini celeberrime Sura virorum,
Cuius prisca graves lingua reduxit avos,
Redderis, heu quanto fatorum munere! nobis,
Gustata Lethes paene remissus aqua.
Perdiderant iam vota metum, securaque flebant

Gratulatur Licinio reditum in vitam, quae iam ab omnibus deplorata et conclamata fuerat, hortaturque ut reliquam vitae partem genio indulgeat. *Rader.*

2. *Cuius prisca.* Cuius oratio gravitatem et mores antiquorum sapit, ac maiores nostros, summos cives atque oratores nobis aeque repraesentat. Ed. P.

3. *Redderis, etc.* Quanto nos bearint munere Parcae, quae te prope mortuum vitae restituerunt.

4. *Gustata Lethes.* Lethe, Inferorum fluvius; hoc est, fere mortuus, ad lucem resurgis.

5. *Vota metum.* Spe enim tuae vitae deposita iam desieramus timere, et

Tristia cum lacrymis; iamque peractus eras.
Non tulit invidiam taciti regnator Averni,
Et raptas fatis reddidit ipse colos.
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Moverit; et frueris posteritate tua.
Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe;
Perdiderit nullum vita reversa diem.

certam tuam mortem lugebamus.

6 *Tristia cum lacrymis* dedit Scriverius e membranis et Iunii margine. Videtur legendum: *securaque flebant tristia iam lacrymae.* Iam lugentium lacrimae, hoc est, lugentes lacrymis, flebant tristitia secura, id est, certum et creditum nec amplius pro dubio habitum casum tuum. *Gron.*

7. *Non tulit, etc.* Vidit ac sensit Pluto, se non fore parem ferendo invidiam et querelas hominum te lugentium ipsiusque rapacitatem detestantium; itaque eripuit Parcis colos fusosque et te vitae restituit.

10. *Frueris posteritate tua* Ipse velut redivivus scis quam fueris carus nobis, tuis nimirum posteris, quum mortuum te crediderimus.

11. *Vive velut rapto.* Hoc est percipe voluptates perinde ac si ex rapto viveres.

12. *Perdiderit nullum diem.* Qui metuebant et cavebant ne dies ita perderent, *vitam* se rapere dicebant. Vnde Flaccus ad Leuconoën: »*Carpe diem*;« et in lib. Epod. »*Rapiamus*, amici, occasionem de die.« Eleganter Plinius lib. XIV, cap. 22, de iis qui hesterna crapula mentem opprimebant: *Rapere se ita vitam praedicant quum priorem diem quotidie perdant, immo vero et venientem.* Sic *lethum non perdere* dicunt eos, qui non inulti moriuntur. Lucanus lib. III: *Non perdere lethum maxima cura fuit.* Perdere se diem illum putabant quem non indulgebant genio, voluptati.

48. — AD ANNIVM.

Quum mensas habeat fere ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros;

1. *Fere ducentas.* Numerus certus adponitur pro incerto.

2. *Pro mensis.* Hoc est, mensarum vicibus funguntur ei ministri, cibos et obsonia in gabatis sive paropsidibus circumferentes, nec quidquam apponunt convivis, Turnebus, lib. XXV, cap. 24, sic explicat hos versus. Puto, *inquit*, ita intelligendum: suppetunt illi plurimae mensae ad ducentas, non tamen in eis opsonia reponit: sed eas semper servi gerunt, nec epulis frui possunt convivae, ita ambulatoriam coenam potius spectant, quam comedunt; quum ministri celeriter paropsides et gabatas ante con-

Transcurrunt gabatae, volantque lances.
Has vobis epulas habete, lauti.
Nos offendimur ambulante coena.

vivas praeferant, etc. Mensas accipere videtur Turnebus pro gabatis ipsis et lancibus escariis.

5. *Nos offendimur*. Quia ambulatoriis his epulis frui non possumus, et praeferimus coenam appositam, qua famem et ventrem, non oculos pascamus. Ed. P.

49. — AD SEVERVM.

Parva suburbani munuscula mittimus horti:
Faucibus ova tuis; poma, Severe, gulae.

2. *Faucibus ova*. Hoc est, quae tuae raucitati medeantur (notum quippe quam ad molliendam vocem ova faciant); poma autem, quae palato grata sint, famemque stimulent.

50. — AD FONTEM IANTHIDOS.

Fons dominae, regina loci, quo gaudet Ianthis,
Gloria conspicuae deliciumque domus,
Quum tua tot niveis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedeo luceat unda choro;
Quid facit Alcides sylva sacratus in ista?
Tam vicina tibi cur tenet antra Deus?
Numquid Nympharum notos observat amores,
Tam multi pariter ne rapiantur Hylae?

4. *Ganymedeo, etc.* Pueris delicatis, instar Ganymedis, quorum niveos vultus repercutit unda. Ed. P.

7. *Notos*. Bene *notos*, quum rapto sibi Hyla, Hercules norit quantis amoribus ardeant Nymphae erga iuvenes egregios. *Observat*, ut Graecis ὁρᾷ et φυλάττει, id. qu. invigilat, cavet, ne illi pariter rapiantur. Ed. P.

51. — AD VRBICVM.

Mercari nostras si te piget, Vrbice, nugas,

Pompeium Auctum celebrat, qui Poëtae versus, ut suum nomen, tenebat, poteratque carentibus libro, ipse liber esse: hunc ut adeat, monet Vrbicum, si velit inemptum possidere Martialem.

Et lasciva tamen carmina nosse libet;
Pompeium quaeras (et nosti forsitan) Auctum;
Vltoris prima Martis in aede sedet.
Iure madens, varioque togae limatus in usu,
Non lector meus hic, Vrbice, sed liber est.
Sic tenet absentis nostros, cantatque libellos,
Vt pereat chartis litera nulla meis.
Denique, si vellet, poterat scripsisse videri;
Sed famae mavult ille favere meae.
Hunc licet a decima, nec enim satis ante vacabit,
Sollicites: capiet coenula parva duos.
Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille sonabit;
Et quum *Iam satis est* dixeris, ille leget.

2. *Pompeium quaeras*, *etc*. Adeas Pompeium Auclum, quem et lute fortasse nosti.

4. *Vltoris prima*. Quam Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat Augustus. — *Primam aedem* vocat aditum templi. Ed. P.

5. *Iure madens*. Alii intelligunt, coqui instar iusculo unctum fuisse hunc Auctum, cuius etiam toga, qua ad varios usus uteretur, attrita esset; ego vero et iurisperitum fuisse, et studiis pacis, et vario causarum genere exercitatum libenter dixerim.

6. *Sed liber est*. Adeo ad unguem tenet et memoriter recitat! Liber vivus est.

7. *Sic tenet absentis*. Pro *absentes*: ita et alii auctores locuti sunt. Sensus est: Ita memoria Pompeius Auctus tenet mea carmina, ut ea sine ullo errore, ne minimae quidem syllabae, recitare possit. Heraldus mavult *absentis* esse in genitivo: Martialis scilicet. — Scite quidem, et ad id facit horatianum illud: *Quum mea nemo Scripta legat vulgo recitare timentis*. Ed. P.

9. *Poterat*, *etc*. Se auctorem profiteri, nisi meae faveret famae. Ed. P.

11. *Licet a decima*. Prius enim propter sua negotia non vacabat Auctus. Hora vero nona coenare incipiebant Antiqui. De horis dictum lib. IV, epigram. 8. Sensus est: Si Auctum rogaveris ut mea carmina legat, te ad coenam invitabit et leget ad nauseam usque: ita meas amat nugas! Ed. P.

52. — AD AVCTVM.

Gratûm est, quod Celeri nostros legis, Aucte, libellos;
Si tamen et Celerem quod legis, Aucte, iuvat.

2. *Si tamen*, *etc*. Nisi molestum sit Celeri audire huiusmodi nugas.

Ille meas gentes, et Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in nostro certior orbe fides.
Maior me tanto reverentia turbat; et aures
Non auditoris, iudicis esse puto.

4. *Nec fuit, etc,* Nec alius quisquam maiori fide at abstinentia administravit nostram Celtiberiam. — *In nostro orbe.* In Hispania patria mea, quae mari et Pyrenaeis montibus clausa, quasi orbis alter est.

5. *Maior, etc.* Terreor viri tanti maiestate, nec minus sanctum exspecto iudicem carminis mei, quam olim gentis meae.

6. *Non auditoris.* Neque enim auditorem tantum, sed ut Celtiberorum olim sic et nunc Musarum iudicem vereor Celerem.

53. — IN VMBRVM.

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Vmber,
Munera, contulerant quae tibi quinque dies:
Bis senos triplices, et dentiscalpia septem;
His comes accessit spongia, mappa, calix;
Semodiusque fabae cum vimine Picenarum,
Et Laletanae nigra lagena sapae;
Parvaque cum canis venerunt coctana prunis,
Et Libycae fici pondere tèsta gravis.
Vix puto triginta nummorum tota fuisse

Vmbri munera Saturnalibus sibi missa, ironice elevat.

2. *Contulerant, etc.* Quae ab aliis tibi missa sunt per Saturnalia, quae ad V dies protraxit Caligula.

3. *Bis senos triplices.* Hoc est, duodecim pugillares: dicuntur autem triplices a tribus foliis: fiebant ex citro, ebore, aliisque generibus materiarum; ut hodie ex membrana, lapide, lignis, lib. XIV, epigram. 7. — *Dentiscalpia.* Quibus dentes purgantur.

4. *Spongia.* Ad tergendas mensas.

5. *Vimine Picenarum.* Fiscella olivarum Picenarum, ut lib. XIII, epigram. 36.

6. *Et Laletanae.* Hoc est, vinum faecis plenum ex Laletania, in Hispania Tarraconensi. Sapa proprie vinum est decoctum; at ponitur hoc loco, quia hoc vinum crassius: unde et alibi *faex Laletana.* Tum dicit *nigra lagena,* quod ad vinum refero, quod *purpureum* vocat Ovidius.

8. *Et Libycae fici testa.* Et vas grave Africanis et hibernis ficis.

9. *Vix puto, etc.* Puto vix valuisse 30 HS. quod nostrae monetae efficit circiter quinque franc. Ed. P.

Munera, quae grandes octo tulere Syri,
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer?

10 *Syri*. Hoc est servi ex Syria, quibus solitum baiulare.

12. *Argenti pondera quinque*, hoc est, libras argenti. Ed. P.

54. — IN NASIDIENVM.

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quae moveant animum sollicitentque meum.
Iam prior ad faecem, sed et haec vindemia venit;
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasque molas, et thuris acervos;
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt,
Aut vigila, aut dormi, Nasidiene, tibi.

1. *Semper mane mihi*. Vt munera captaret a poëta, Nasidienus usque fingebat plena terroris somnia, quae aliquid mali portenderent Martiali: atque ab illo, modo thus, modo vinum petebat ad ea placanda.

3 *Iam prior, etc.* Ad expianda infausta tua de me somnia, in sacrificiis absumpsi vinum omne meum superioris et hornae vindamiae. Tantum vini mei exhaussisti ad peragendas expiationes tuas, ut neque ex priori, neque ex hac vindemia quidquam mihi supersit. Martial. lib. XI, ep. 50, vs. 7: *Amphora nunc petitur nigri cariora Falerni, Expiet ut somnos garrula saga tuos.* Nam vini usus erat in sacrificiis, et post molam salsam saepius fundebatur. Quum vinum non haberent, aqua utebantur.

4. *Exorat noctes*. Id est, dum saga expiat infausta tua somnia. — *Saga*, somniorum interpres et expiatrix.

5. *Consumpsi salsasque*. In sacrificiis, quae fiebant ad omen aliquod avertendum, Antiqui adhibebant vinum, hostiam, thus et salsas molas.

6. *Decrevere, etc* Decrescunt mihi greges crebra immolatione.

7. *Non ova supersunt*. Haec dicit, quia ova adhibebantur ad expiationes

8. *Aut vigila, etc.* Aut nunquam dormias precor; aut de te somnies, quae scilicet male somniaveris, tuis, non meis impensis piaturus.

55. — IN CHRESTVM.

Nulla munera, Chreste, si remittis,

1. *Nulla munera*. Chrestus acceptis muneribus nihil remittebat, sed irrumatoribus, qui dederant, fellando satisfaciebat: si, inquit Poëta, ita

Nec nobis dederis, remiserisque;
Credam te satis esse liberalem.
Sed si reddis Apicio, Lupoque,
Et Gallo, Titioque, Gellioque;
Lingas non mihi (nam proba et pusilla est),
Sed quae de Solymis venit perustis
Damnatam modo mentulam tributi.

omnibus satisfacia, mihi reddes mea dona, lellando non me qui probus, sed servum meum qui Iudaeus est.

4. *Apicio, Lupoque, etc.* Turpitudinis tuae consciis irrumatoribus.

6. *Non mihi, etc.* Non meam mentulam, quae castior est, sed servi mei Iudaei damnati ad tributum, vel nomine tributi in servitutem damnati: grave autem tributum pendebant, quum Iudaei, tum qui Iudaicae sectae initiabantur circumsecti. Suet. Domit. cap. 12. — *Et pusilla est.* Palat. aperte *puella est.* Et cur non admittam, quum eamdem alibi nominet *anum*, mentionemque faciat *chartae virginis?* Gruter.

8. *Damnatam tributi* vocat, quia, Solyma incensa, Domitiano tributa a Iudaeis exigente, multi originem dissimulabant, ne pendere cogerentur: frustra sane, quum perspicuae nimiom fraudis admoniti qui administrabant fiscum per inquisitores inspicerent an circumcisi, et deprehensos damnarent. Ed. P.

56. — AD RABIRIVM.

Astra polumque tua cepisti mente, Rabiri,
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Iovi dare templa parabit,
Has petat a nostro Pisa Tonante manus.

1. *Astra polumque.* Sensus est: Palatium tam superbum Domitiano exstruxerat Rabirius, ut caelum ipsum mente concepisse videretur, ad cuius imaginem, alter Phidias Homero plenus, Palatium illud aedificaverat.

2. *Parrhasiam.* Id est, Palatinam, in monte nempe Palatino, ubi Evander Arcas ex urbe Parrhasia primus domum exstruxit. Sic interpretes hunc locum explicant Virg. Aeneid. XI, 31: *Parrhasio Evandro Armiger ante fuit.* Ed. P.

3. *Phidiaco si digna.* Pisa urbs Peloponnesi ad fluvium Alpheum si voluerit Iovi exstruere templum dignum illo simulacro, quod ex ebore Phidias statuarius nobilissimus formavit, a Domitiano, nostro Iove, petat Rabirium architectum.

57. — DE ACHILLA.

Castora de Polluce Gabinia fecit Achillam;
Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.

1. *Gabinia.* Dives femina equestri censu donavit Achillam, ut eques fieret. Alludit autem ad illum versum Homeri in Iliados γ. Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πύξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα: *Castora equorum domitorem, et Pollucem pugnis fortem.* Et solenne quidem Graecis, sive ob hunc Iliados versiculum, sive ob quosdam Hesiodi, Theocriti, etc. pro Castore dicere *Hippodamon*, et pro Polluce *Pyxagathon.* Achillas ergo antea quidem pugil erat strenuus: iam vero est equorum domitor; id est, eques factus est, et Gabiniam inibit. Lib. III, epigr. 91. Poëta autem iocum quaerit in ambiguitate τοῦ πύξ, quod significat *pugnis:* atque idem pro πυγὴ usurpatur Aristoteli in physiognom. Ita Achillas puer exoletus et modo πύξ strenuus, iam factus est ἱππόδαμος eques, *per maneggiare e cavalcare la donna Gabinia:* hoc est, e Castore versus est in Pollucem.

58. — AD GALLAM.

Iam sex, aut septem nupsisti, Galla, cinaedis;
Dum coma te nimium pexaque barba iuvat.
Deinde experta latus, madidoque simillima loro
Inguina, nec lassa stare coacta manu,
Deseris imbelles thalamos, mollemque maritum:
Rursus et in similes decidis usque toros.
Quaere aliquem Curios semper Fabiosque loquentem,
Hirsutum, et dura rusticitate trucem.
Invenies; sed habet tristis quoque turba cinaedos:
Difficile est vero nubere, Galla, viro.

1. *Cynaedis.* Dum ex cultu et elegantia eos iudicabas strenuos ad κλινοπάλην, te forma decepit.

6. *Similes toros.* Mollium et imbellium cinaedorum.

7. *Quaere aliquem, etc.* Ne ulterius te decipiant pexi isti et comati, quaere aliquem ex iis qui sermone et cultus neglectu et horridum comante barba gravitatem et virilitatem profitentur. Lib. I, epigr. 25.

9. *Sed habet, etc.* Cave tamen, nam et hi sunt nonnunquam Socratici cinaedi.

10. *Difficile est vero nubere viro.* Iuv. Sat. II, vs. 8: *Fronti nulla fides. Quis enim non vicus abundat Tristibus obscoenis?* neque enim minus hispidi illi philosophi et μακροπώγωνες, quam formosi et laeves sunt *verae sponsae*, non sponsi, non *viri.* Ed. P.

59. — DE CAECILIANO.

Non coenat sine apro noster, Tite, Caecilianus,
Bellum convivam Caecilianus habet!

Helluonem quemdam carpit qui solus opipara convivia consumebat.

1. *Sine apro.* Vnde Iuven. Sat. 1, 141: *quanta est gula, quae sibi totos Ponit apros, animal propter convivia natum, etc.* Aprum ergo sibi soli apponebat Caecilianus, quem facete eius convivam appellat. Domitius tamen mavult de Apro homine intelligere, cuius meminit Poëta lib. X, ep. 15. Eligat lector.

60. — AD IOVEM CAPITOLINVM.

Tarpeiae venerande rector aulae,
Quem salvo duce credimus Tonantem,
Quum votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quae Dei potestis;
Nil pro me mihi, Iupiter, petenti
Ne succensueris, velut superbo;
Te pro Caesare debeo rogare;
Pro me debeo Caesarem rogare.

1. *Tarpeiae aulae.* Hoc est, Capitolii, in quo colebatur Iupiter.

2. *Quem salvo.* Quem Iovem Deum credimus, salvo Domitiano, qui noster Deus Capitolium incensum instauravit. Ed. P.

7. *Te pro Caesare, etc.* Tu mea et publica prece rogatus, serva Caesarem, *mearum dulce decus columenque rerum*; ille me servabit: tu illi donato, ille mihi donabit. Potest enim Domitianus mihi suppeditare quidquid necessarium est. Turpis haec est erga Domitianum adulatio; quasi vero ille velut Deus potuisset Martialem tueri ab omnibus casibus quibus obnoxia est humana vita.

61. — AD CAESAREM GERMANICVM.

Abstulerat totam temerarius institor Vrbem,

1. *Abstulerat, etc.* Institores, tonsores, caupones, coqui, etc. vicos omnes Vrbis occuparant tabernis suis, et pergulis (quod apud nos in publicis nundinis factum videmus) fores et limina praestruxerant. *Institor* ergo proprie dicitur is, qui tabernis, vinis vendendis, vel alicui alteri negotio est praepositus; sic dictus, quod gerendo negotio et longius prove-

Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos;
Et modo quae fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est praecincta lagenis;
Nec praetor medio cogitur ire luto.
Stringitur in densa nec caeca novacula turba;
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant.
Nunc Roma est; nuper magna taberna fuit.

bendo perpetuus instet.

2. *Inque suo*. Hoc est, nullum ante aedes suas liberum euntibus per Vrbem transitum relinquebant mercatores.

3. *Germanice*. Sic vocat Domitianum ob devictos Germanos. Ed. P. — *Crescere*. Remotis tabernis, ampliores et latiores fieri.

5. *Nulla catenatis, etc.* Nullus caupo vendit vinum ad pilas in tabernis quae lagenis sunt refertae, et quae catenis fixae sunt (Iuven. sat. III, vs. 304); nisi forte et ipsae lagenae pilis affixae sunt catenis; signum nempe vini venalitii. — Pilae erant etiam columnae ad quas libri vendebantur. Horatius I, sat. IV: *Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.*

6. *Nec praetor*. Viis enim laxatis iam transitus liber est iuxta tabernas; nec per mediae viae coenosum canalem ire praetor cogitur. Ed. P.

7. *Stringitur in densa*. Hoc est, inquit Domitius, novacula non nudatur amplius media via; cellae enim tonsoriae media via collocatae, uti et cauponum tabernae deiectae sunt, et iam tonsores domi tondere coguntur. Raderus coniicit hoc referri posse ad saccularios, qui media in turba marsupia exsecarent. *Caeca novacula* dicitur, vel quod sit recondita theca sua, vel non videatur in turba, quum res brevis sit et exigua. — Vel quod ob incommodam transeuntium multitudinem non *videat* tonsor, et huc illuc velut *caecus* novaculam vagari sinat.

9. *Limina servant*. Hoc est, hi omnes non exstruunt amplius tabernas media via, sed domi suae exercent suas artes.

62. — IN AMILLVM.

Reclusis foribus grandes percidis, Amille,
Et te deprendi, quum facis ista, cupis;
Ne quid liberti narrent, servique paterni,
Et niger obliqua garrulitate cliens.

1. *Percidis*. Vide Nos ad lib. II, ep. 72, vs. 3.

3. *Narrent, etc.* Te gravius aliquid pati.

4. *Et niger*: ut *niger* ille designet garrulum quem, Horatianae picturae non dissimilem.

Non paedicari se qui testatur, Amille,
  Illud saepe facit, quod sine teste facit:

5. *Testatur.... teste facit.* Ludit io *testatur* et *teste*, neenon in ambiguitate τοῦ *teste*; hie autem ὄρχεις intelligit, id est, λείχει ἢ φοινικίζει.

63. — DE SILIO ITALICO.

Perpetui nunquam moritura volumina Sili
  Qui legis, et Latia carmina digna toga;
Pierios tantum vati placuisse recessus
  Credis, et Aoniae Bacchica serta comae?
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
  Implevit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum,
  Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annum
  Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit;

1. *Perpetui.* De Silio Italieo poëta vide lib. IV, epigr. 14, et Plin. lib. III, epist. 7. Silii opera latuere per multa saecula; nune vero teuebris eruta et in lucem vindicata vivunt. Eo. P.

2. *Et Latia.* Hoc est, inquit Domitius, digna rebus gestis Romanorum: Silius enim scripsit secundum bellum Puoicum. Farnabius ioterpretatur carmioa digna maiestate oratoris Romaoi et consulis; Raderus vero intelligit carmina tam egregia, quam natus in Vrbe Poëta scribere poterat.

3. *Pierios.* Vide lib. I, ep. 77, vs. 3. Sensus est: Credisne Silium poësi taotum vacavisse?

4. *Serta.* Quibus more Bacchico caput coronant Musae Aooiae.

5. *Cothurnati.* Propter carminum gravitatem. De cothurno lib. V, epigr. 30. — *Sacra.* Tum sacri ipsi poëtae ut reete Turnebus notat, lib. Adv. XXI, cap. 6. Poëtae enim inter vates et prophetas censentur, qui sacri habentur.

6. *Implevit magni.* Hoc est, non prius se Musis tradidit, quaedam Ciceronis opera implevisset legeodo et imitaodo.

7. *Centum gravis*, *etc.* Iudicium centum virorum qui de testamentis et haereditatibus in suo foro hasta posita iudicabant, quemadmodum auctionarii in atrio auctionario hasta praeconia posita.

8. *Hunc loquitur.* Quos defendit clientes, illum praedicant.

9. *Postquam bis senis* Postquam consul fuerat eo anno, quo Nero periit. — *Ingentem..... asserto, etc.* Quo terrarum orbis in libertatem assertus est, tyraono Nerone ad vim sibi inferendam adacto et occiso.

Emeritos Musis et Phoebo tradidit annos;
Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

11. *Emeritos Musis, etc.* Foro et honoribus emeritus secessit in Campaniam, ubi Musis vacavit scripsitque carmine heroico XVII libros de Punico bello secundo.

12. *Proque.* Pro causis agendis, iam Musis vacat.

64. — IN CINNAMVM.

Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,
Et post haec dominae munere factus eques;
Sicanias urbes Aetnaeaque regna petisti,
Cinname, quum fugeres tristia iura fori.
Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix et fugitiva quies?
Non Rhetor, non Grammaticus ludive Magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes;
Vendere nec vocem Siculis plausumque theatris;
Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.

Ex tonsore, beneficio feminae factus eques Cinnamus, et a nescio quo vocatus in ius, abiit in Siciliam exsulatum. Poëta inscitiam illius irridens, ait illum rediturum ad artem assuetam, quum aliam non teneat; iterumque tonsorem fore.

2 *Dominae.* Amirae nempe, quae censu equestri Cinnamum donaverat.

3. *Sicanias urbes, etc.* In ius vocatus mutavit solum, et exsulatum abiit in Siciliam, ut grave iudicium *fugeret.*

5. *Inutilis annos.* Nulla honesta, immo nec sordida arte instructus. — *Graves annos.* Hoc est, ingravescentem in dies senectutem.

6. *Fugitiva quies.* Qua frueris in tuo exsilio, in tua fuga miser.

7. *Ludive Magister.* Literatorem intelligit Raderus: nam ut a Rhetore, inquit, ad Grammaticum, ita a Grammatico ad Literatorem descendit Poëta; hoc sensu ludi Magister sumitur lib. X, epigr. 62.

8. *Non Cynicus, etc.* Nullius sectae philosophus.

9. *Vendere nec.* Nec potes sollicitis reis vendere; hoc est, nequis esse causidicus. Lib. V, ep. 16. — *Plausumque.* Hoc est, nec histrio nec citharoedus in theatrum venire potes.

65. — IN GARGILIANVM.

Lis te bis decimae numerantem frigora brumae
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, et demens! viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

4. *Cui vinci.* Qui enim semel vincitur, plus lucri facit, quam si, lite ad tot annos prorogata, tandem vincat adversarium post molestias et impendia viginti annorum. Ed. P.

66. — DE LABIENO.

Haeredem Fabius Labienum ex asse reliquit;
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

1. *Ex asse.* Id est, haeredem omnium bonorum: haereditas enim vulgo dividitur in duodecim uncias, quibus as constat.

2. *Plus meruisse.* Labienus enim multis donis captaverat haereditatem Fabii decoctoris, atque ita haeres institutus ex asse, minus acceperat quam donaverat. Sensus autem is est: Labienus dicit se plus meruisse, hoc est, dignum esse maiori praemio; quum intelligat Poëta, illum maiori poena esse dignum, qui malis artibus haereditatem Fabii captavisset.

67. — IN PHILAENIM.

Paedicat pueros tribas Philaenis,
Et tentigine saevior mariti
Vndenas vorat in die puellas.
Harpasto quoque subligata ludit,
Et flavescit haphe, gravesque draucis

1. *Paedicat pueros.* Τῷ ὀλίσβῳ. — *Tribas Philaenis.* Lacerata carmine Polycratis, quum mulierum omnium esset castissima, si verum quod de ea scribit Aeschrion apud Athenaeum, lib. VIII. Sed Aeschrionis apologia nihil eam iuvit apud posteros. *Herald.* — *Tribas.* Fricatrix.

2. *Tentigine, etc.* Libidinis prurigine magis inflammata quam maritus.

3. *Vorat in die puellas.* Λεσβιάζουσα, φοινικίζουσα, καὶ τρίβουσα. Gruter. legit *dolat.*

4. *Subligata ludit.* Veste subducta; vel, subligari usa.

5. *Flavescit haphe.* In palaestra flavescit aspergine arenae: ita Ache-

Halteras facili rotat lacerto,
Et putri lutulenta de palaestra
Vncti verbere vapulat magistri:
Nec coenat prius, aut recumbit ante,
Quam septem vomuit meros deunces;
Ad quos fas sibi tunc putat redire,
Quum coliphia sexdecim comedit.
Post haec omnia, quum libidinatur,
Non fellat: putat hoc parum virile;
Sed plane medias vorat puellas.
Di mentem tibi dent tuam, Philaeni,
Cunnum lingere quae putas virile.

lous cum Hercule luctans in Ovidii Met. IX, 36, *fulvae tactu flavescit arenae*. Ἁφὴ autem tactus est. Epictet. Enchir. cap. 26: Ἔστι δὲ ὅτε χεῖρα βαλεῖν, σφυρὸν στρέψαι, πολλὴν ἁφὴν καταπιεῖν. — *Gravesque, etc.* Et pondera illa plumbea seu ferrea, corpori exercendo in gymnasiis et balneis adhibita, vel ipsis grandibus draucis gravia, agili versat manu. Vide lib. XIV, epigr. 48 et 49; et Iuven. Sat. VI, 422, quae huic epigrammati consonat.

6. *Alterno facili* in edd. vett. *Alteras* hoc loco substituit Turnebus non e coniectura, ut ait, sed librorum fide.

7. *Putri.* Male olenti ab oleo. — *Lutulenta, etc.* Ceromate e luto inuncta.

8. *Vncti magistri.* Aliptae manus crepitu inter ungendum. Vid. Iuven. loco supra citato. — *Verbere vapulat.* Nam et hi magistri, quos ἐπιστάτας Graeci dicunt, ius virgae habebant.

9. *Nec coenat, etc.* Iuven. Sat. VI, 429, *sextarius alter ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim, etc.* Vide lib. V, epigr. 70.

12. *Quum coliphia.* Luctatorum panes, qui vires palaestritarum membris addunt a κῶλον et ἶφι, ut vult Dom. Calderinus, quam etymologiam asserere laborat Cornel. Vitellius contra Merulam Annotat. cap. 12. Certo enim ciborum genere ad palaestras et caeteras eiusmodi exercitationum formas praeparabantur. Iuven. Sat. II, 53: *Luctantur paucae, comedunt coliphia paucae.*

15. *Medias, etc.* ut supra vs. 3.

16. *Mentem tuam, Philaeni, etc.* Mentem sanam, aut compotem (*suus* enim pro *sui iuris* usitatum), vel quae feminam appetat libidinem.

68. — AD INSTANTIVM RVFVM.

Commendare meas, Instanti Rufe, Camoenas
Parce, precor, socero: seria forsan amat.

Quod si lascivos admittit et ille libellos,
  Haec ego vel Curio Fabricioque legam.

69. — DE THEOPHILA AD CANIVM.

Haec est illa tibi promissa Theophila, Cani,
  Cuius Cecropia pectora dote madent.
Hanc sibi iure petat magni senis Atticus hortus,
  Nec minus esse suam Stoica turba velit.
Vivet opus quodcumque per has emiseris aures;
  Tam non femineum, nec populare sapit.
Non tua Pantaenis nimium se praeferat illi,
  Quamvis Pierio sit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudavit amatrix;
  Castior haec, et non doctior illa fuit.

Sponsam Canii poëtae Theophilam, ab exquisita doctrina et singulari castimonia laudat.

2. *Cuius Cecropia pectora dote.* Hoc est, erudita literis graecis: hunc loquendi modum explicuimus lib. I, ep. 40.

3. *Atticus hortus.* Sensus est: hanc sibi discipulam iure vindicet Plato, vel quilibet alius magister, qui philosophiam doceat in horto ab heroë Academo Athenis in usum scholae consecrato.

4. *Stoica turba.* Theophilam expectant quoque Stoici suae disciplinae aemulam.

9. *Laudavit.* Hoc est, ipsa Sappho Poëtria nobilis, cuius historia satis nota est, et cuius exstant adhuc carmina aliis poëtis lyricis iuncta, laudaret Theophilam. Amatricem vocat Phaonis scil. Lesbii iuvenis forma egregia, a quo quum repulsam pateretur, se in mare praecipitem dedit.

10. *Castior haec, etc.* Theophila vincit Sappho verecundia: ingenio et doctrina illi non cedit.

70. — IN PHILAENIM.

Ipsarum tribadum tribas, Philaeni,
Recte, quam futuis, vocas amicam.

2. *Vocas amicam.* Male sonat, dicta viro *amica*; mulieri, bene; quam vero Philaenis *amicam* vocat, male audit, quum ipsa Philaenis sit tribas. Καλοῦσι γοῦν καὶ αἱ ἐλεύθεραι γυναῖκες καὶ αἱ παρθένοι τὰς συνήθεις καὶ φίλας, ἑταίρας, κ. τ. λ. Καλοῦσι γε τὰς μισθαρνούσας, ἑταίρας. Athenaeus lib. XIV, cap. 4.

71. — DE FAMILIA FICOSA.

Ficosa est uxor, ficosus et ipse maritus;
Filia ficosa est, et gener, atque nepos.
Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Quum sint ficosi pariter iuvenesque senesque,
Res mira est, ficos non habet unus ager.

1. *Ficosa est uxor.* Tota haec familia turpi ulcere laborabat, quod ficum vocant medici; de quo Celsus lib. IV, cap. 3.

6. *Ficos non habet.* Ludit in ambigua significatione *fici*, hoc est, solus ager non habet ficos, vel ficus, poma nempe; Conf. Catulli lepidum epigr. quo sic in ambiguam vocem *hircus* ludit.

72. — AD PAVLLVM.

Gratus sic tibi, Paulle, sit December;
Nec vani triplices, brevesque mappae,
Nec thuris veniant leves selibrae;
Sed lances ferat, aut scyphos avorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus,
Seu quod te potius iuvat capitque.
Sic vincas Noviumque Publiumque

1. *Sic* bene vel male precandi formula est. — *Sit December.* Saturnalia tibi sint fructuosa.

2. *Vani triplices* Pugillares nullius pretii. Epigr. 53 supra.

3 *Leves et librae*, lectio codicis Palatini, perplacet Grutero. Vide lib. VIII, epigr. 71.

4. *Sed lances.* Epigr. 48 supra. — *Scyphos avorum.* Hoc est, pocula antiqua et magni pretii.

5. *Grandis reus.* Cliens dives quem defendisti.

7. *Noviumque Publiumque.* Peritissimos nempe calculorum lusores. Calcagninus, de calculorum ludo, sic calculos explicat: »Quin et latronum et canum nomine celebratos calculos agnosco: erant scilicet in abaco, quem et πλίνθιον vocaverunt, seu tu laterculum dixeris, regiones lineis distinctae; has urbes nuncupabant. Erant hae regiones plerumque quinque lineolis, transversariisque, et decussationibus alternatim dimensae, quinque et viginti numero: singulis latrones quinque insidebant, praeter mediam, cui tantum quatuor tribuebantur: excubabant itaque utrinque latrones, nisi canes mavis eos dicere, coloribus distincti, hostili animo insidiantes. Ea fuit ludi ratio, ut si

Mandris et vitreo latrone clausos;
Sic palmam tibi de trigone nudo
Vnctae det favor arbiter coronae,
Nec laudet Polybi magis sinistras:
Si quisquam mea dixerit malignus
Atro carmina quae madent veneno;
Vt vocem mihi commodes patronam,
Et, quantum poteris, sed usque, clames;
Non scripsit meus ista Martialis.

unus ex hostili agmine incomitatus deprehenderetur, ita ut circumveniri posset, captivus ex acie traheretur.» Idem Calcagninus putat hunc calculorum ludum diversum esse a scapis, Gallice *Echecs*, quos alii *latrunculos* vocant. Vide Salmasium.

9. *Sic palmam, etc.* Sic tibi victoriam in ludo trigonalis pilae adiudicent uncti gymnastae. Vid. lib. IV, epigr. 19. — *Nudo, etc.* Quem ludum nudi unctique exercebant.

11. *Polybi.* Lusoris sane periti sinistra non magis laudetur quam tua. Observa sinistram maxime usui fuisse in hoc ludo.

12. *Si quisquam, etc.* Vt, si quis famosa et maledica et plus quam epigrammatico sale sparsa epigrammata sub meo nomine ediderit mihique adscripserit, patrocineris mihi, meque ab hac calumnia defendas.

73. — AD MAXIMVM.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianae,
Et tua patricius culmina vicus habet:
Hinc viduae Cybeles, illinc sacraria Vestae;
Inde novum, veterem prospicis inde Iovem.
Dic, ubi conveniam? dic, qua te parte, requiram?
Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.

In Maximum ludit pluribus in locis habitantem, quem nusquam reperire poterat, ut salutaret.

1. *Colle Dianae.* Hoc est, monte Aventino, ubi templum Dianae.

2. *Et tua patricius.* «Patricius vicus Romae dictus, eo quod ibi patricii habitaverunt, iubente Servio Tullio.» *Festus.*

3. *Hinc viviae Cybeles* codex Pulmanni; unde Lipsius legit, *bivirae*, propter Saturnum et Atym. — *Hinc viduae Cybeles.* Hoc est, Matris Deum templum hinc vides. Viduam vocat propter Atym puerum mortuum, quem illa deperibat.

4. *Inde novum.* Hoc est, Capitolium novum et vetus.

74. — PRO CARO ET NORBANA VOTVM.

Cyllenes caelique decus, facunde minister,
  Aurea cui torto virga dracone viret;
Sic tibi lascivi non desit copia furti,
  Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales;
Maternaeque sacris ornentur frondibus Idus,
  Et senior parca mole prematur avus;
Hunc semper Norbana diem cum coniuge Caro
  Laeta colat, primis quo coiere toris.
Hic pius antistes sophiae sua dona ministrat:
  Hic te thure vocat, fidus et ipse Iovi.

1. *Cyllenes.* Montis in Arcadia, ubi Maia a Iove compressa peperit Mercurium. Horat. lib, I, od. x, 1.

2. *Aurea cui torto.* Caduceum intellige, draconibus masculo et foemina involutum. Haec ad generationem spectare putabant Aegyptii; qua de causa Mercurium invocat Poëta, ut Norbanae et Cari nuptiis propitius sit.

3. *Lascivi furti*) *Callidus* quidem fuit Merc. *quidquid placuit, iocoso condere furto*, hic tamen *lasciva furta* intelligas *adulteria*, *amores*, propter versum sequentem.

4. *Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales.* Ita in Idyll. II, cui titulus Pharmaceutria, Theocritus: Εἴτ' αὐτῷ νῦν παῖς παρακέκλιται, sive θέαινα.

5. *Maternaeque* De Mercurii natali et feriis intelligendum est, ut ostendit versiculus ille lib. XII, epigr. 67: *Maiae Mercurium creastis Idus.* Turneb.

6. *Et senior parca.* Atlas scilicet, Maiae pater, qui caelum humeris sustinere dicitur.

9. *Hic pius.* Carus nempe colit sapientiam et eloquentiam, cuius tu Deus es.

10. *Fidus et ipse Iovi.* Domitiano nostro Iovi, quemadmodum et tu fidus es Iovi caelesti.

75. — IN ANVM DEFORMEM.

Vis futui gratis, quum sis deformis anusque.
  Res perridicula est: vis dare, nec dare vis.

2. *Vis dare.* Tui copiam, qua ellipsi nil Nostro usitatius. — *Nec dare.* Pecuniam, pretium renuis ei quem provocare vis, et anus et deformis. Ed. P.

76. — AD PHILOMVSVM.

Quod te diripiunt potentiores
Per convivia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita inoidisti,
Gestari iuvat, et iuvat lavari;
Nolito nimium tibi placere.
Delectas, Philomuse: non amaris.

Scomma in scurram Philomusum, qui eum ab omnibus cupiatur, rapiatur, ob ingenii elegantiam aut indolis amoenitatem id honoris sibi contigisse existimat; haud merito, quum non viri, sed morionis locum occupet apud proceres Romanos. Satis autem notum imperatorum temporibus habuisse Vrbis optimates in deliciis, immo et saepius immensa pecunia emisse moriones.

1. *Diripiunt.* Certatim invitant, ut alius huc, alius illuc te trahat, quod gallice dictum *s'arracher*.

6. *Delectas.* Ridiculis tuis dictis moves illis risum. — Pro scurra et morione haberis, non pro amico. Δι' ἡδονὴν ὡς εὐτράπελον, οὐ κατὰ σεαυτὸν καὶ ὡς φίλον σ' ἀγαπῶσι. Arist. VIII Nicom. Eth. cap. 3.

77. — IN TVCCAM.

Exigis, ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis vendere, non legere.

Illiberalem et sordidum animum Tuccae declarat; nampe qui facere quaestum in dono destinarat.

1. *Exigis*, efflagitas, usque et usque petis.

78. — IN PAPILVM.

Quum Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et bene si coenas, conchis inuncta tibi est;

Docet Papilum stultum, qui velit videri lautus foris, et domi egeat, bona sua aliis largiatur, ut ipse careat. *Rader.*

2. Non quadrant *ponatur* et *est*; itaque censeo delendum esse τὸ *est*. Constat enim satis oratio, si ex praecedenti versu hic quoque intelligas τὸ *ponatur*. Gronovius. — *Conchis inuncta.* Faba valde insulsa, nisi multo oleo perfundatur: *inunctus* tamen sumitur etiam pro uncto. Horatius: *Quum tua provideas oculis male lippus inunctis.* — *Conchis*, etc. Virides fabae, neque eae oleo perfusae.

Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos,
Mittis: habes nec cor, Papile, nec genium.

3. *Sumen.* Papillae porcae, a factu edito statim resectae. — *Mullos.* Pisces.

4. *Habes nec cor.* Hoc est, stultus es: homo enim prudens *cordatus* dicitur. — *Nec genium.* Cui nempe, neque voluptatibus indulges; optimos enim cibos aliis mittis, tu vilissimos comedis, et quum foris lautus videri velis, domi temet ultro excrucias inopia.

79. — AD SEVERVM.

Potavi modo consulare vinum.
Quaeris, quam vetus atque liberale?
Ipso consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

1. *Consulare vinum.* In hoc verbo ludit Poëta, nam *consulare vinum*, ut vulgo sumitur, vetus est vinum, et quidem Opimianum, de quo dictum lib. I, epigr. 27, vs. 1. Sed addit fuisse hornum, et ipso, qui poëtam invitarat, consule diffusum, atque adeo appositum.

2. *Quam vetus, etc.* Quam generosum et nobile?

3. *Ipso consule conditum.* Pendebat e vasis vinariis tabella, in qua vini aetas scripta erat; id est, quo tempore, quibusque Consulibus conditum esset. Hinc iocus pendet Martialis.

4. *Erat,* nunc scilicet, hoc anno: novum igitur et insulsum vinum.

80. — AD FAVSTINVM VT LIBELLOS SVOS MARCELLINO MITTAT.

Quatenus Odrysios iam pax Romana Triones
Temperat, et tetricae conticuere tubae,
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere: iam chartis, iam vacat ille iocis.
Sed si parva tui munuscula quaeris amici
Commendare, ferat carmina nostra puer:
Non qualis Geticae satiatus lacte iuvencae

1. *Odrysios,* hoc est, hyperboreos, Geticos. — *Triones.* Id est, ursam, lib. VI, epigr. 58.

3. *Hunc Marcellino.* Ad quem est lib. VI, epigr. 25, victis autem Dacis et Getis pax concessa fuerat.

7. *Satiatus lacte.* Getarum enim et Sarmatarum pueri lacte vescebantur.

Sarmatica rigido ludit in amne rota;
Sed Mitylenaei roseus mangonis ephebus,
  Vel non caesus adhuc matre iubente Lacon.
At tibi captivo famulus mittetur ab Istro,
  Qui Tiburtinas pascere possit oves.

8. *Sarmatica rigido.* Inculti quippe erant illi pueri, qui trocbo luderent super glaciem fluminis frigore concreti.

9. *Sed Mitylenaei.* Mitylene urbs est Lesbi insulae, unde formosi pueri accersebantur. Graecia autem nequitiarum officina. — *Mangonis.* Mangones hominum genus improbissimum, qui pueros exsecebant et frenabant in Venerem. Lib. I, epigr. 19, vs. 1.

10. *Vel non caesus.* Ad aram Dianae pueros verberibus caedere solebant Lacedaemonii, ut ferendis laboribus illos assuefacerent.

11. *Captivo Istro.* Hoc est a Dacia (quam praefluit Ister) devicta famulus mittetur ad pascendas oves.

12. *Qui Tiburtinas... oves.* Tibure villam hebebat Faustinus.

81. — AD LAVSVM.

Triginta toto mala sunt epigrammata libro:
  Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

1. *Triginta.* Carpit Lausum, qui forte in uno libro triginta epigrammata mala esse iudicaret, et illum docet bonum nihilominus iudicandum esse librum, modo totidem bona reperiantur. Qua sententia plurimum gaudet Noster. Sic lib. I, ep. 17: *Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura, Quae legis hic: aliter non fit, Avite, liber.* Prior versiculus in ore Lausi; altero vetes illi respondet. Ed. P.

82. — DE MENOPHILO.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,

1. *Tam grandis fibula, etc.* Subligaculum et vagina quaedam, cuius usus non ed custodiendam vocem; qui enim fieri poterat, si tam facile removebatur, et sponte cadebat? Sed honestatis causa adhibebatur, praecipue a Iudaeis ad celandam praecisionem, qui temeu non infibulati, nec enim poterant, quum pellicula carerent, quae traiiciebatur; quod Iosepho Scaligero negotium fecessebat: sed quia ferme, qui infibulati erant, etiam thecam huiusmodi, et alutam gestabant; sive ut laterent, sive ne nimio motu atque incussu annulus cutem laederet, sive aliam ob causam. Propterea improprie eam Martialis fibulam appellavit, quae

Vt sit comoedis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam saepe lavamur in unum)
Sollicitum voci parcere, Flacce, suae :
Dum ludit media, populo spectante, palaestra,
Delapsa est misero fibula; verpus erat.

fibula non erat, sed potius fibulae ipsius tutamen; quum praeterea Celsus fibulam maiorem dixerit quo levior: at haec quae ad celandum inventa, adeo gravis, ut *Iudaeum pondus* Martialis dixerit, quo recutitorum inguina trahebantur. *Ferrar.*

6. *Verpus erat.* Iudaeus, vel recutitus: utebatur autem fibula (illa priore modo dicta) ad velandam *περιτομήν*, vel ne cogeretur solvere tributum, de quo supra LV, 8.

83. — DE EVTRAPELO.

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
Expingitque genas, altera barba subit.

2. *Expingitque.* Scite radit, at pingit. — *Altera barba subit.* Tardus, seu circumspectus tonsor, tantam operi impendit moram, ut vel radenti altera per id temporis succrescat barba.

84. — AD LIBRVM.

Dum mea Caecilio formatur imago Secundo,
Spirat et arguta picta tabella manu,
I, liber, ad Geticam Peucen, Istrumque tacentem;
Haec loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parva dabis caro, sed dulcia dona sodali;
Certior in nostro carmine vultus erit.

1. *Caecilio.* Raderus et Farnabius putant hunc Caecilium esse Plinium Secundum, qui Pontum et Bithyniam provincias obtinuit, ut patet ex ipsius epistola. Quisquis tandem ille fuerit, imaginem nostri Poëtae ad se mitti optaverat: quod amici discessuri factitabant mutuo ad memoriam absentium sibi revocandam. Ed. P.

3. *Ad Geticam Peucen.* Insulam nempe ad Danubii ostia, de qua epigramm. 7 sup. Getae autem ad Danubii ostia incolebant. — *Istrumque tacentem.* Vel quod undas placide volvat, vel quod frigore concrescat.

6. *Certior, etc.* Epigrammata Caecilio grata, et quae ingenii mei imaginem certiorem expresserint et diuturniorem retinuerint, quam tabula quaevis ab artifice peritissimo efficta, et ad vivum expressa.

Casibus hic nullis, nullis delebilis annis
Vivet, Apelleum quum morietur opus.

7. *Hic.* In meis carminibus, *nullis casibus* obnoxia erit imago.

8. *Apelleum.* Vivent mei versus, quum opera Apellis pictoris nobilissimi peribunt.

85. — AD SABELLVM.

Quod non insulse scribis tetrasticha quaedam,
Disticha quod belle pauca, Sabelle, facis;
Laudo, nec admiror: facile est epigrammata belle
Scribere; sed librum scribere, difficile est.

Facile esse ait, unum alterumve epigramma commodum condere; sed librum totum, hoc difficile, nec cuiusvis: desideratur in tanto numero epigrammatum magna rerum varietas, et tot argumenta quot sunt epigrammata; nec quilibet aptus, nec quod faciendo libet epigramm.

4. *Sed librum.* In quo nempe conficiendo magna rerum varietate et largo ingenii fonte opus est.

86. — IN SEXTVM.

Ad natalitias dapes vocabar,
Essem quum tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum est, rogo, quid repente factum,
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quod sum praeteritus vetus sodalis?
Sed causam scio: nulla venit a me
Hispani tibi libra pustulati;

Ait Sextum munera venari suis coenis; eamque ob causam se praeteritum, quod nihil donasset Sexto, in ipsius natali.

1. *Ad natalitias.* Natalem diem solenni convivio celebrabant antiqui; ad quod iste Sextus invitabat ignotos, a quibus gratiam pro honoris et amicitiae testatione relaturis munera acciperet.

2. *Non amicus.* Soli amici et quidem intimi ad epulas vocabantur.

4. *Pignora nostra, etc.* Amicitiae mutua pignora.

5. *Praeteritus vetus sodalis.* Metaph. ab iis qui a Censoribus senatu moti in recitatione Senatorum non nominabantur, et dicebantur *praeteriti.* Heraldus dicit esse verbum iuris, ubi is, cuius testator non meminit, dicitur *praeteritus.* Nihil crebrius: id παρελθεῖν et παραλείπειν Graeci dixerunt.

7. *Hispani tibi libra pustulati* (po-

Nec levis toga, nec rudes lacernae;
Non est sportula, quae negotiatur.
Poscis munera, Sexte, non amicos.
Iam dices mihi, Vapulet vocator.

stulati). Pustulatum, vel pusulatum interpretatur Turnebus lib. XXIV, c. 2, argentum purum, quodque pustulas et tumores habet. Argenti pustulati mentionem facit Suetonius in Nerone, cap. 44. *Argenti pusulati*, quod melius plerisque visum et adoptatum est, fit mentio in lege 31, ff. Locati: ad quem vide notas Gothofredi in verbo *pusulatum*. Cuiacius Observ. lib. VII, cap. 39, existimat, *postulatum* vel *pustulatum*, idem valere quod *pusulatum*; gallice, *argent de coupelle*.

8. *Rudes lacernae.* Novae, inquit Raderus, quae togis iniiciebantur, ut hodie pallia.

9. *Non est sportula.* Sed potius mercatura, quum sportulam gratia non des, sed ex ea maiora te acceptorum munera speres. Nundinatio quaedam, negotiatio, auctio dicenda potius est, quam munus et beneficium. Ed. P.

10. *Pascis* in quibusdam.

11. *Vapulet vocator.* Hoc est: Iam te mihi excusabis, culpam reiiciens in eum servum, qui curam habet invitandi tuos amicos, quasi me oblivione praeterierit: dabit poenas, quod te neglexerit. Ed. P.

87. — DE SE.

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus;
Si fruitur tristi Canius Aethiope;
Publius exiguae si flagrat amore catellae;
Si Cronius similem cercopithecon amat;

Alia aliis in deliciis esse, se Labyea delectari puero formosissimo, ita ut hic sit sensus totius epigrammatis: si multi aves aut alia animalia amant, cur ego, inquit Poëta, non amabo formosum puerum? forte item monstrosum; namque ob luxum tandem distortis et prodigiosis corporibus gaudebant Romani.

2. *Tristi Canius.* De Canio Poëta Gaditano, lib. III, epigr. 20. *Tristi*, hoc est, atro, vel quia infausti ominis erat, si mane quis occurrisset Aethiopi. Iuv. sat. VI, 601 et 602.

4. *Cercopithecon.* Cercopithecus est caudatus, caetera simio similis. Lib. XIV, epigr. 202: *Callidus emissas eludere simius hastas, Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.* — *Similem* dixit: Aethiopine? an catellae? an simiae? an sibi similem? ut lib. XIV, epigr. citat. — Fortean *similis* pro *imitator*, *simulator*; ob id autem nulla vox τῷ *similem* ut regimen sociata, quod non illi, non huic, non Cronio, non catellae magis aut minus quam alii cuilibet obvio similem sese ferat cercopithecus. Ed. P.

Delectat Marium si perniciosus ichneumon;
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet;
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem;
Lusciniae tumulum si Thelesina dedit:
Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycae,
Qui videt haec dominis monstra placere suis?

7. *Gelidum*, solenne Graecis, mox Latinis, ed serpentes, colubros et id genus enimalia ἐπίθετον. Theocr. Idyll. xv: ἵππον Καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν. Ed. P. Caeterum eestivis mensibus dracones sinu gerebant, quibus et collum involvebant mulieres Romanae, ut se refrigerarent.

9. *Blanda Cupidinei*. Cur mihi non liceat amare Labycam forma parem Cupidini?

88. — DE SVIS LIBRIS.

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, iuvenisque, puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt;
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil ergo sumus, nec blandae munere linguae
Decipimur: credam iam, puto, Lause tibi.

2. *Pulchra Vienna*. Vrbs Galliae ad Rhodanum.

6. *Qui Nilum*. Hoc est, remotissimi Aethiopes.

7. *Meus*. Id est, popularis, qui Hispaniam patriam meam pervegatur. Ed. P.

8. *Hybla... Hymettos*. Hybla mons est Siciliae apibus et melle delicelissimo abundans, ut et Hymettos mons Atticae.

9. *Blandae munere*. Sensus est: Quum Viennae legantur mei libri, credam tot in illis bona esse epigrammata, quot mala, atque adeo bonos esse, licet, o Lause, aliter sentias.

89. — APOLLINARI MITTIT CORONAM ROSEAM.

I, felix rosa, mollibusque sertis

Apollinari, amicissimo suo carminumque suorum emendatori, mittit sertum rosaceum, optatque ut ei coma florida hac corolla cingatur ad

Nostri cinge comas Apollinaris.
Quas tu nectere candida, sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

multam usque senectutem et Nestoream.

2. *Apollinaris.* De quo lib IV, epigramm. 87, et lib. huiusce epigrammate 26. Felicem rosam dixit, quod Apollinaris comas circumdatura esset.

3. *Candidas, sed olim.* Hoc est, canas, sed multis abhinc annis. Sic optat Poëta diu vivere Apollinarem.

4. *Amet Venus.* Cui dedicata est Rosa Veneri peculiariter dicata erat; fingebatur flos ille candidus primum, concepisse subito purpureum hunc ruborem ex Adonidis sanguine quem aper interfecerat, aut etiam ex Veneris cruore, quam spina rosae vulneraverat. Ed. P.

90. — AD CRETICVM.

Iactat inaequalem Matho me fecisse libellum;
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.
Aequales scribit libros Calvinus et Vmber.
Aequalis liber est, Cretice, qui malus est.

3. *Aequales scribit libros.* Totos malos, cui nihil admiscetur boni. Alio forte sensu, qui bonus liber esset *aequalis*, id est, varietatis egenus? — *Calvinus.* Poëta, ut divinare est, malus.

4. *Aequalis liber* malus est, quia, ut dixit Poëta lib. I, epigr. 17, in uno libro quaedam sunt bona, et quaedam mediocria, plura vero mala: liber ergo *aequalis* malus est, quia Martialis iudicio nunquam liber totus bonus est.

91. — AD IVVENALEM.

De nostro, facunde, tibi, Iuvenalis, agello
Saturnalitias mittimus ecce nuces.
Caetera lascivis donavit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa Dei.

Nuces mittens ad sodalem Saturnalium tempore, veniam rogat, ne nimis exiguum id senioli videatur; ab hoc autem excusationem petit, quod sibi iam praeter nuces nihil reliquum, rapto quidquid fructuum tulerat ager. — At custos aderat Priapus! — At non defendebat; puellae enim rapiebant: puellis autem quid non sinet libidinosus et feminarum cupidissimus Deus?

2. *Saturnalitias, etc.* Quibus scilicet luditur in Saturnalibus. Conf. lib. V, epigr. 30.

4. *Mentula, etc.* Ipse Priapus, quem vel illius sub effigie saepius pinxit improba antiquitas; quem Φάλλον, immo et Ἰθύφαλλον nominavit.

92. — IN BACCARAM.

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis, Baccara, terque die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus;
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Pensio te coram petitur clareque palamque;
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Esse queror gelidasque mihi tritasque lacernas;
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus;
Dicere ne possis, Baccare, quid sit opus.

In vanum promissorem, et pollicitis divitem; aut potius in dissimulatorem. Veri enim amici est, etiam non roganti succurrere.

3. *Appellat.* Creditor scilicet a me exigit foenus.

4. Alii legunt: *et nescit Baccara quid sit opus?* Illa enim saepiuscule dixerat Martiali, Pete, si quid tibi opus.

5. *Pensio.* Aedium nempe conductarum. Lib. III, epigr. 30, 3.

6. *Audis et nescis* Pulmannus.

9. *Fias ut sidere.* Sideratio morbus est, quo laesae arbores arescunt: hinc siderationis nomen translatum est ad hominem, cuius corpus arescit. Sensus est: Sidere percussa tua lingua arescat. Idem dixit lib. XI, epigr. 85: *Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua.*

10. *Quid sit opus.* Ne proferas haec verba, quibus circumvenis amicos, qui credunt te tuis promissis staturum.

93. — AD NARNIAM.

Narnia, sulfureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda iugo,
Quid tam saepe meum nobis abducere Quintum
Te iuvat, et lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani causam mihi perdis agelli,

Rogat Narniam civitatem, ne diutius detineat Q. Ovidium agro Nomentano vicinum agrum habentem; se aegre ipsius praesentia carere. *Rad.*

1. *Narnia.* Vmbriae urbs, hodie *Narni*, quam cingit amnis Nar, hodie *Negra*; unde nomen civitati.

2. *Ancipiti iugo.* Hoc est, gemino, nempe iugo montis Apennini.

3. *Abducere Quintum.* Ovidium scilicet, de quo lib. X, epigr. 44.

5. *Causam* Hoc loco causa sumi-

Propter vicinum qui pretiosus erat?
Sed iam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quinto;
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

tur, ut opinor, pro emolumento. Et sensus est: O Narnia, cur me privas emolumento agri mei Nomentani, in quo scilicet iam habitare nequeo propter absentiam Quinti? Domitius sic interpretatur: O Narnia, cur aufers causam amandi illum recessum, et voluptatem quam ego percipiebam propter Quintum vicinum? Iudicet lector. — Ductam ego μεταφορὰν a litibus crediderim, quae et apud nostrates usitatissima nec a Latinorum consuetudine plane abhorret. Eo. P.

8. *Perpetuo liceat.* O Narnia, sic perpetuum dii propitii sinant, ut incolumis sis cum eximio tuo ponte, qui duos abruptos montes (quos supra *anceps iugum* vocavit) subterlabente flumine iungebat. Vid. Schotti itinerarium, lib. I, pag. 106.

94. — DE PAPILO.

Vnguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat;
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

Tam gravem sit et olentem Papili animam ex infami et impuro ore profectam, ut afflatu suo etiam pretiosissima unguenta corrumpat, et garum reddat.

1. *Onyx.* Hoc est, vas unguentarium ex onyce factum.

2. *Olfecit.* Papilus adeo male olebat, ut, si odoraretur unguenta nobilissima, statim corrumperet. — *Garum est.* Liquamen est piscium, de quo dictum lib. VI, epigr. 93. Corruptum ab impuro oris olfactu. Eo. P.

95. — IN LINVM.

Bruma est, et riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc et hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis graviusque saeviusque
Percussus facere, atque verberatus?

Linum monet, ne se basiet hyemali tempore, quum semper sit mucidus: Ille vero quum vellet ambitiosus et multis perquam familiaris videri, amicos obvios omnes naribus fluentibus basiabat. *Calderin.*

2. *Osculo.* Osculis salutare obvios amicos Romanis moris erat, ut et Persis, Iudaeis, Graecis, etc. — *Nivali.* Frigido et madido.

Hoc me frigore basiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu dulcior, elegantiorque,
Cuius livida naribus caninis
Dependet glacies, rigetque barba,
Qualem forficibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Centum occurrere malo cunnilingis;
Et Gallum timeo minus recentem.
Quare si tibi sensus est, pudorque,
Hibernas, Line, basiationes
In mensem rogo differas Aprilem.

9. *Sed tu dulcior elegantiorque.* Hoc sensu: at qui nec uxoris fero, nec filiolae oscula, tua accipiam, o femina, o puellula elegantior homunculo? εἰρωνικῶς, ut est obvium. Ed. Par.

11. *Dependet glacies.* Hoc est, stiria mucosa; gallice, *roupie.*

12. *Qualem forficibus.* Hoc est, qualem barbam habent hirci Cinyphii a Cilice caprario tonsi. — *Forficibus supinis.* Hoc est, acie erecta, et manubrio deorsum tandente. Cinyps, inquit Ortelius, fluvius est Africae. Strabo lib. XVII scribit *Ciniphus*, ad quem magna est hircorum copia. — Quod autem Cinyphium et Cilicem sociaverit Noster, plurimus viris doctis et in vano labor.

13. *Marito*; scilicet hirco, patre et viro gregis Cinyphii. Ed. P.

15. *Gallum timeo.* Turnebus lib. XXV, cap. 24, sic explicat hunc versum: Puto, inquit, significari malum odorem, quem corpore suo emittebant Galli Romam venientes, recentesque, quum intemperantius viverent, et labore itineris virus intemperantiae augerent. An forte Gallum sacerdotem Cybeles intelligit, cui recens castrato gravissima erat anima? An intelligit Gallum Baeticum, nuper λείξαντα; de quo vid. lib. III, epigr. 81?

96. — EPITAPHIVM VRBICI PVERI.

Conditus hic ego sum Bassi dolor, Vrbicus infans,
Cui genus et nomen maxima Roma dedit.

Elegans infantis bimuli tumulus dulces ciet lacrymas.

1. *Bassi dolor.* Id est, caussa doloris. Audacter et poëtice, ut et Virgilio, Aeneidos lib. VI, sub initium, de labyrintho, *inextricabilis error*, id est, caussa erroris.

2. *Cui genus.* Hoc est, qui natus sum in Vrbe, atque ab ea nomen sumpsi: Vrbicus enim nomen quod,

Sex mihi de prima deerant trieteride menses,
Ruperunt tetricae quum mala pensa Deae.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit aetas?
Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo.
Sic ad Lethaeas, nisi Nestore serior, undas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

ut manente republica minus usitatum, sic frequentissimum imperatorum temporibus, quum tot scilicet nova et barbara et *hybrida* et nescio unde petita nomina urbem Romam complevere. Ed. P.

4. *Quum mala.* Quum vitae filum absciderunt Parcae.

5. *Quid lingua.* Vt debilis at balbutiens adhuc, ita tamen praematura et amata parentibus. — *Quid profuit aetas?* Tam tenara: etenim duos tantum annos et sex menses natus erat Vrbicus quum mortuus est.

7. *Senior* quidam, sed pessime, dactylum hic imperante rhythmo. Ed. P.

8. *Non eat.* Non moriatur.

97. — AD LIBRVM SVVM DE CAESIO SABINO.

Nosti si bene Caesium, libelle,
Montanae decus Vmbriae Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis haec, vel occupato.
Instent mille licet premantque curae,
Nostris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximumque
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum mihi nominis paratur!
O quae gloria! quam frequens amator!
Te convivia, te forum sonabit,

Mittit librum Caesio Sabino ex Vmbria oriundo, et Auli Pudentis municipi. Quantum autem Caesius amarit Martialem, val ex hoc intelligas, quod omnibus negotiis anteposuerit Poëtae nova epigrammata, et ea unus omnibus legerit.

2. *Montanae.* Quippe quam Apenninus totam aut circuit, aut mediam tenet.

3. *Auli pudentis.* De quo saepe dictum amantissime.

8. *Turni.* Poëtae cuiusdam satirographi ex Aurunca.

10. *Quam frequens amator!* Id est, Quam multi me et mea amabunt!

Aedes, compita, porticus, tabernae.
Vni mitteris, omnibus legeris,

13. *Vni mitteris, omnibus legeris.* Quamquam enim ad unum (Sabinum scilicet) ego te miserim, multi, immo omnes te legent; ille enim te omnibus commendabit, et legendum dabit.

98. — AD CASTOREM.

Omnia, Castor, emis : sic fiet, ut omnia vendas.

Scomma in virum inopem et magnificum.

1. *Vt omnia, etc.* Quum praeter facultates multa emas lauta et nitida, tandem urgente inopia eo devenies ut cogaris omnia vendere.

99. — AD CRISPINVM.

Sic placidum videas semper, Crispine, Tonantem;
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet,
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula;
(Namque solent sacra Caesaris aure frui).
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude :
Temporibus praestat non nihil iste tuis;
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.
Hoc satis est : ipsi caetera mando Deo.

Commendat Crispino librum, eumque a Crispino vult Caesari commendari. Crispinus autem hic erat Aegyptius, qui plurimum gratia et potentis potuit apud Domitianum, et quem acerbe Iuvenalis momordit satir. 1, 26; ubi eum hoc versiculo notat, *quum pars Nilineae plebis, quum verna Canopi Crispinus.*

1. *Tonantem.* Iovem nostrum Domitianum.

3. *Parrhasia.* In Palatio Domitiani, quia ibi primus aedificavit Evander Parrhasius; epigr. 56 supra. Ed. P.

5. *Aude.* Aude, o Crispine, ut lectorem decet candidum, Caesari legenti adspirare hoc elogio: *Certe et hic Martialis est aevi huius tui ornamentum o Caesar.*

8. *Mando Deo.* Domitiano, cui, quum sit erga viros magni ingenii liberalis et literarum aestimator simul ac fautor egregius, curae erit laboris praemium mihi persolvere.

100. — AD PONTICVM.

Pontice, per reges discurris, et omnia lustras;
Magna quidem sequeris, Pontice; magnus homo es.
Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba;
Non adhibes multos, Pontice: cautus homo es.
Pontice, te celebrem forma natura creavit;
Dignus eras Helena, Pontice: pulcher homo es.
Pontice, voce tua posses adamanta movere;
Vox tua dulce sonat, Pontice: dulcis homo es.
Pontice, sic alios, sic te quoque decipit error;
Vis dicam verum, Pontice? nullus homo es.

1. *Per reges discurris.* Id est, per domos patronorum, quos salutes; saepe enim illa vox ut *principes* pro *optimates*, accipitur.

3. *Sine teste facis.* Infandum stuprum scelusve Pontico exprobrare videtur.

10. *Nullus homo es.* Hoc est, nullius omnino pretii homo, homo nihili faciendus.

101. — DE VETVLA.

Tacta places, audita places; si non videare,
Tota places: neutro, si videare, places.

2. *Neutro.* Hoc est, neque ex hac parte, neque ex illa: hoc est, nec tactum nec auditum delectas. Forte melius legeretur *nulli.* — Cave quidquam mutes, nisi quidquid hic acuminis est hebescere volueris. In hoc enim situm acumen, ut quae aures, quae manus merito, quae, sed immerito et vi sola φαντασίας, oculos delectaverit, mox ubi visa, non solum oculis, ut par est, taedium ferat, sed et manibus, sed et auriculis. Venustam ei iuraveris faciem, si vocem audieris; raucam vocem, si aspexeris quae facies. Ed. P.

102. — DE MILONE.

Milo domi non est; peregre Milone profecto
Arva vacant: uxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam;
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

3. *Vxor lactitet.* Hoc est, cur perpetuum habeat ubera plena lactis, quae labris infantis admoveat.

4. *Quo fodiatur.* Hoc est, ager non habet colonum, moechum habet uxor, ambiguo scilicet ac duplici sensu τοῦ *fodiatur.*

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATVM
LIBER VIII.

IMPERATORI DOMITIANO.
CAESARI AVGVSTO, GERMANICO, DACICO, (1)

VALERIVS MARTIALIS SALVTEM.

Omnes quidem libelli mei, domine, quibus tu famam, id est, vitam dedisti, tibi supplicant: et, puto, propter hoc leguntur. Hic tamen, qui operis nostri Octavus inscribitur, occasione pietatis [2] frequentius fruitur. Minus itaque ingenio laborandum fuit, in cuius locum [3] materia successerat: quam quidem subinde aliqua iocorum mixtura variare tentavimus; ne caelesti verecundiae tuae laudes suas, quae facilius te fatigare possunt, quam nos satiare, omnis versus ingereret.[4] Quamvis autem Epigrammata severissimis

1. *Dacico*, sive, ut alii, *Dacio*. Saepius supra de his nominibus actum. Hunc vero librum, in quo nullam fore verborum licentiam profitetur, Domitiano dedicat: omnes autem libros suos victuros sperat, quod illius nomen celebrent.

2. *Occasione pietatis*. Argumentum hic liber petit a tua pietate, atque a tuis victoriis, etc. — Aut potius frequentius occasiones habet quibus suam erga te pietatem testificetur. Ea enim vi est vox *pietas* ut caritatem simul et reverentiam significet, modo filii in parentes, modo uxoris in maritum, saepe et omnium in imperantem. Ed. P.

3. *In cuius locum*. Amplae quippe materiae verba non desunt.

4. *Omnis, etc.* Omne epigramma.

quoque, et supremae fortunae[1] viris ista scripta sint, ut mimicam[2] verborum licentiam affectasse videantur; ego tamen illis[3] non permisi tam lascive loqui, quam solent. Quum pars libri et maior et melior ad maiestatem sacri nominis tui allegata sit, meminerit non nisi religionis[4] purificatione lustratus[5] accedere ad templa debere. Quod ut custoditurum me lecturi sciant, in ipso libelli huius limine profiteri brevissimo placuit Epigrammate.

1. *Et supremae fortunae.* Quos viros enumerat Plinius iunior lib. V, epist. 3, dum ostendit epigrammata quidem lasciva, sed gravissimorum virorum exemplo se scripsisse.

2. *Mimicam (nimiam).* Quam in mimicis et iocose et licenter ante Caesarem actitatum, vel hoc conice quod, si Plautinis *et numeris et salibus* ea contulisses, in his gravitatis et sanctimoniae multum dixisses. Neque vero post Caesarem imperantibus, his qui per spectacula a populo et humillimis ius redimebant in altiora prout libitum saeviendi, *evagatae fraena licentiae* ullus obex opponebatur.

3. *Tamen illis.* Epigrammatibus nempe, quibus conveniunt lasciviae.

4. *Non nisi religionis.* Deus enim est Domitianus. Lib V, epigr. 8. Deos autem adire non licet nisi purgato.

5. *Lustratos.* Beverl. MS. quod etiam coniect. Gruterus: dubitanter vero.

I. — AD LIBRVM SVVM.

Laurigeros domini, liber, intrature Penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus; non est tuus iste libellus.
Tu mihi, tu Pallas Caesariana, veni.

Libro Palatinam domum ingressuro mandat verborum rerumque verecundiam et reverentiam.

1. *Laurigeros.* Hoc est, victricem Domitiani domum; ille enim lauream Iovi Capitolino de Sarmatis retulit (Suetonius in Domit.); quamvis et Augustas fores perpetua ornabat laurus. — *Domini.* Imperatoris, Domitiani.

3. *Nuda recede Venus.* Hoc est, hinc procul relegetur nimia verborum licentia et lascivia, et ut vocat in Arte poëtica Horatius *inornata et dominantia nomina solum*.

4. *Tu Pallas.* Quam scilicet ita mira superstitione vel potius amentia coluit Domitianus, ut illius filium haberi se prope iusserit. Suetonius in eius vita cap. 15. — Haud dissimili modo Augustus, qui et Apollinis sui oculos, faciem, habitum aemulatus, at se Dei spurium at Attiam (matrem) Dei pellicem libens audiebat.

— Ab hoc autem libro removet Venerem lasciviae Deam, Minervam pudicitiae patronam invocat, quod Domitiano pudoris et sanctimoniae famam assectanti dicatus sit hic liber. Ed. P.

2. — AD IANVM.

Fastorum genitor parensque Ianus
Victorem modo quum videret Istri,
Tot vultus sibi non satis putavit;
Optavitque oculos habere plures;
Et lingua pariter loquutus omni,
Terrarum domino Deoque rerum
Promisit Pyliam quater senectam.
Addas, Iane pater, tuam rogamus.

1. *Paterque Ianus* codex Pulmanni exhibet. — *Fastorum genitor.* Fasti sunt libri qui singulorum annorum gesta continent, quorum patrem Ianum vocat, quia ille, ut dicit infra epigr. 8, principium dat velocibus annis. Fuit autem Ianus rex Italiae antiquissimus, cui mortuo atque inter Deos relato primus anni mensis dicatus est.

2. *Victorem Istri*; sc. Sarmatarum incolentium ripas Danubii, aliter Istri. *Victorem*, Domitianum, ut patet.

3. *Tot vultus.* Ianum bifrontem, alii, quod annum elapsum respiciat, incipientem vero prospiciat; alii quadrifrontem dixere, propter quatuor anni tempestates, aut quatuor elementa. Hic vero quadrifrons: non enim aliter satis apte et *tot vultus* (v. 3), et *promisit Pyliam quater senectam* (v. 7), adulator dixisset. Ed. P.

4. *Optavitque oculos.* His verbis vehemens videndi Caesaris desiderium exprimit Poëta.

8. *Addas tuam.* Immortale aevum nempe; Ianus enim utpote Deus immortalis est.

3. — AD MVSAM.

Quinque satis fuerant; nam sex, septemve libelli,
  Est nimium: quid adhuc ludere, Musa, iuvat?
Sit pudor, et finis: iam plus nihil addere nobis
  Fama potest; teritur noster ubique liber.
Et quum rupta situ Messalae saxa iacebunt,

Colloquium quo se fingit post septem epigr. libros timentem *ne quid nimis*, et missionis cupidum, a musa incitari ad prosequendum studium. Ed. P.

5. *Messalae saxa.* Hoc est, tumuli

Altaque quum Licini marmora pulvis erunt;
Me tamen ora legent, et secum plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram, quum sic respondit nona sororum,
Cui coma, et unguento sordida vestis erat:
Tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An iuvat ad tragicos soccum transferre cothurnos?
Aspera vel paribus bella tonare modis?
Praelegat ut tumidus rauca te voce magister,
Oderit et grandis virgo bonusque puer?
Scribant ista graves nimium, nimiumque severi,
Quos media miseros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos;

lapidei et marmorei citius peribunt quam mei versus.

6. *Quam Licini.* Hoc est, quum iacebunt marmoreae aedes, aut potius marmorea sepulchra Licini, de quo lib. II, epigr. 32, et Senecae epist. 120. Fuit autem Licinus libertus, olim tonsor; Augusti ditissimus, de quo illud distichum: *Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parva, Pompeius nullo: quis putet esse Deos? — Me tamen ora legent.* Ovidium imitatur in Metamorphoseon clausula de fama sua apud posteros canentem *ore legar populi.*

9. *Nona sororum.* Thaliam intelligunt Interpretes, quum illam unguento sordidam dicat Poëta: etenim ante coenam ungebantur antiqui, Thalia vero, inquit Raderus Farnabio, apta erat conviviis; quod et ipsum nomen indicat; θαλία enim Graecis *epulae, lautae dapes.* Ed. P.

13. *Ad Tragicos.* Hoc est: An placet missos facere versus leviores, graviores scribere?

14. *Paribus*, hexametris, non imparibus, ut qui elegiarum scriptoribus et epigrammatistis usitati numeri. *Tonare*, pro *tonantem dicere*, fere ironice credo, ut in Persii Sat. 5, v. 3, *Fabula seu moesto ponatur* hianda *tragoedo.* Ed. P.

15. *Praelegat.* Vt hodie in scholis Virgilius, Homerus, et alii praeleguntur.

16. *Oderit et grandis.* Hinc liquet et ipsas puellas olim legendis et memoriter discendis auctoribus operam dedisse; quae quum aliquando vapularent, quod versus memoriter non tenerent, ipsis libris irascebantur, quos etiam lacerabant.

18. *Lucerna videt.* Noctu ad lucernam opera sua componebant graves auctores. Iuven. Sat. 1, vs. 51: *Haec ego non credam Venusina digna lucerna?* Notum est hoc verbum de Demosthenis orationibus, τὸν λύχνον ὄζει, *lucernam olet*, quod posthac dictum de sermone quovis multo studio elucubrato.

Agnoscat mores vita legatque suos.
Angusta cantare licet videaris avena,
Dum tua multorum vincat avena tubas.

20. *Agnoscat.* Hoc est, homines meis in libris agnoscant sua vitia et suas virtutes. — Inde patet quam vere Thaliam (v. 9) intellexerint supra interpretes; cui id munus, ut vitam in theatrum trahat et *castiget ridendo mores.* Ed. P.

21. *Angusta avena.* Licet tenues et leviores videantur tui versus, ex avenae axili sono.

22. *Dum tua, etc.* Hoc est, modo plus laudis consequaris quam poëtae heroici.

4. — AD CAESAREM DOMITIANVM, VEL, VT ALII, GERMANICVM.

Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras
Suscipit et solvit pro duce vota suo!
Non sunt haec hominum, Germanice, gaudia tantum;
Sed faciunt ipsi nunc, puto, sacra Dei.

Gratulatur Imperatori, καθ' ὑπερβολήν, ut pessimo par est, et ait non hominibus tantum, sed et diis, ob principis salutem gaudia, nec per terras duntaxat fieri sacra, sed et per Olympum. Ed. P.

1. *Mundi conventus.* Legati scilicet gentium exterarum; quibus missis, videbantur Europe, Asia, Africa, totus denique orbis in Vrbem convenire. Ed. P.

2. *Suscipit.* In venturum annum *suscipit vota et solvit* suscepta anno elapso pro incolumitate Domitiani reversi ex Sarmatia.

4. *Sed faciunt ipsi.* Hoc est, ipsi Dei, quibus tot templa erexisti, et quos tam assidue colis, laetantur de tuo adventu et quidem sic laetantur, ut, quamvis ipsi *Dei* sint, immolent. Vide lib. IX, epigr. 4.

5. — AD MACRVM.

Dum donas, Macer, annulos puellis;
Desisti, Macer, annulos habere.

2. *Desisti.* Hoc est, desiisti numerari inter equites. Annulus enim equitum erat insigne; equites vero qui patrimonium dilapidaverant; annulos equestres deponere cogebantur.

6. — IN EVCTVM.

Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti.

1. *Archetypis.* Archetypa pocula intellige, vetustissima et primi exemplaris.

Ficta Saguntino cymbia malo luto.
Argenti furiosa sui quum stemmata narrat
Garrulus, et verbis mucida vina facit.
Laomedonteae fuerant haec pocula mensae;
Ferret ut haec, muros struxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox commisit praelia Rhaecus
Cum Lapithis: pugna debile cernis opus.
Hi duo longaevo censentur Nestore fundi;
Pollice de Pylio trita columba nitet.
Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Aeacides vividiusque merum.

2. *Saguntino.* Fictiles cyathos interpretare ex argilla Saguntina. Cymbia *vero*, inquit Macrobius in Saturn. lib. V, cap. 21: *sunt pocula a cymba dicta; quod et apud Graecos, et apud nos ab illis trahentes, navigii genus est, etc.*

3. *Furiosa* (*fumosa*) *sui.* Legebatur vulgo *furiosa.* Lipsius vero, lib. I, cap 5, *fumosa* Quod magis placeret: sic enim et Cicero et Seneca *fumosas imagines* dixere, obductas nempe caligine; at Iuvenalis, Sat. 8, vs. 8: *Fumosos equitum cum dictatore magistros* Sensus hic est ergo: Dum nobilitatem et antiquitatem suorum poculorum verbosius narrat Euctus, vinum interim effusum mucescit, atque vappa fit. Poëta ostendit, nimia loquacitate corrumpi cibos et quidem optimos, hoc est, convivis ingratos fieri.

5. *Laomedonteae.* Laomedon fuit rex Troiae, qui Neptuno et Apollini certum auri pretium promiserat, ut Troiam muris cingerent. Poëta posuit *pocula* aurea pro auro.

7. *Praelia Rhaecus.* Lapitharum et Centaurorum pugnam lege apud Ovidium, Met. XII. Sed Rhaecus, inquit Ovidius, torre pugnavit, Theseus vero cratere.

8. *Pugna debile.* Hoc est, craterem illa pugna imminutum.

9. *Hi duo.* Sensus est: Hoc poculum, quod habet duos fundos, pluris aestimandum propter senem Nestorem, ad quem pertinuit. Ab Homero Iliad. Λ describitur, atque ab Eustathio fuse explicatur. Variae prodeunt Grammaticorum opiniones, opusne fuerit unum, an gemini crateres, alterque alteri impositus. Id genus Ἀμφικύπελλα vocatur Graecis. Turnebus lib. XXIII, cap. 23. Hesychius, ἀμφικύπελλον, dicit, περιφερὲς ποτήριον, hoc est, *rotundum poculum.* Athenaeus lib. XI ait poculum illud habuisse duos fundos. Consul. Animadversiones Casauboni ad cap. 12 libri citati.

10. *Trita columba.* Hoc est, saepius attrectata columba, quae prominebat insculpta in illo poculo: quo enim magis aurum teritur, tanto magis nitescit.

11. *Iussit amicis.* Vlyssi, Aiaci, Phoenici, qui ab Agamemnone ad placandum ipsum Achillem missi fuerant.

Hac propinavit Bytiae pulcherrima Dido
  In patera, Phrygio quum data coena viro est.
Miratus fueris quum prisca toreumata multum,
  In Priami cyathis Astyanacta bibes.

13. *Bytiae* Virgil. Aen. I, convivium describit, quo Aeneam Phrygium excepit Dido: *Tum Bytiae dedit increpitans, etc.*

15. *Prisca toreumata.* Quae sunt opera torno facta.

16. *Astyanacta bibes.* Id est, ut aiunt interpretes: Novum, hornum vinum bibendum porriget Eunctus in poculis vetustissimis. Notus est senex Priamus, cuius nepos fuit Astyanax Hectoris filius. — Quidam ad hunc versum impediti haesitant, nec quo pacto Astyanax pro *novum vinum* sumatur assequi satis queunt. At meminerint plus inesse audaciae iis quae per trivia et angiportus efferuntur, quam iis etiam quae dithyrambicus effuderit calor. Meminerint quoque consulum, principum, etc. nomina indita vinis. Sic Opimianum vinum, Opimianum, et mox forsan Opimium dicebant. Inter convivium igitur, nihil crepante Architriclino aliud nisi vetera, obsoleta, iis prorumpit Poëta: *Esto sane vetus quem porrigis cyathum, esto immo Nestor, Laomedon, Priamus... at vinum hercule est Astyanax!* Ed. P.

7. — IN CINNAM.

Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte,
  Horis, Cinna, decem dicere verba novem?
Sed modo clepsydras ingenti voce petisti
  Quatuor : o quantum, Cinna, tacere potes!

3. *Sed modo clepsydras.* Sensus est: O Cinna, quum nondum orationem absolvisses decem horis, quatuor adhuc clepsydras a iudicibus petiisti ad dicendum.

4. *Quantum, Cinna, tacere potes.* Hoc est, adeo lente verba profers, ut potius silere quam loqui videaris.

8. — AD IANVM DE REDITV CAESARIS.

Principium des, Iane, licet velocibus annis,
  Et revoces vultu saecula longa tuo;

Quamvis felix ita praedicari possis, quod abs te anni principium et auspicium ducatur; tuique mensis initio, consules purpuram et fasces sumant: tamen multo es felicior, quod mense tuo Domitianus victor et sospes a Sarmatia est reversus.

1. *Principium.* Veteres enim Ianum praefecerunt reducendis annis et saeculis.

2. *Et revoces* (alii *renoves*) *vultu tuo*; hoc est, tuis calendis, a quibus annus ducit initium.

Te primum pia thura rogent, te voce salutent;
Purpura te felix, te colat omnis honos:
Tu tamen hoc mavis, Latiae quod contigit urbi,
Mense tuo reducem, Iane, videre Deum.

3. Codex Florent. *pia turba rogent*; Id est, populus, plebs, ut et infra epigr. 15. Nisi velimus per *piam turbam* significari sacerdotes, quod non ita absurdum. — *Te primum*. Vt Ianus, qui limina servat, ad alios Deos supplicibus aditum patefaciat. Hac de causa, inquit Ovidius, Fast. I, primum Iano supplicabant Antiqui.

4 *Purpura*. Hoc est, purpurati consules, qui mense Ianuario fasces sumebant. Ovid. in Fast. I, vs. 81: *Iamque novi praeeunt fasces; nova purpura fulget, etc.* — *Omnis honos*. Hoc est, quilibet reipublicae magistratus.

5. *Hoc mavis*. Domitianum nempe a longo bello et externarum gentium terris *reducem* adspicere, quam coli ab omnibus magistratibus mense Ianuario tibi dedicato. — Aut: Gloriae plus tibi ex eo putas quod principis semel, quam quod anni multoties reditu Vrbem beaveris. Ad unicam enim vocem *redux* eo modo tendit totum epigramma per ἀντίθεσιν; et in hoc certe plus argutiae et epigrammatici acuminis. Eo.P.

9. — AD QVINTVM DE HYLA.

Solvere dodrantem nuper tibi, Quinte, volebat
Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum: brevis est occasio lucri.
Si fuerit caecus, nil tibi solvet Hylas.

1. *Solvere dodrantem*. Hoc est, novem uncias: plerumque summa credita, et haereditates dividebantur in duodecim partes. Hic vero Hylas debitor quum lippiret, novem tantum uncias propter hunc morbum Quinto suo creditori solvere volebat; at mox, amisso uno oculo, sex tantum reddere voluit, quas breviter accipiendas festive monet Poëta, ne Hyla caeco facto solidum assem perderet Quintus. Caeterum voluere quidam Quintum esse Hylae medicum: non bene.

10. — DE BASSO.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi: lucrifecit.

1. *Millibus decem*. Sestertium scilicet. De lacernis, quae reip. ultimis et imperii omnibus temporibus togia superinduerentur ad arcenda frigora saepius dictum supra.

Adeo bene emit? inquis: immo non solvit.

3. *Bene emit?* Sciscitatur hic aliquis, quo modo ita lucrifecerit: Tamne vili pretio lacarnas hasce sibi comparavit? — *Bene* autem emere est minore quam vendi solet pretio, *à bon marché*. — *Non solvit* (alii, *non solvet*). Respondet Noster: At non solvet; non quidem, ut plurimi voluere, quod solveodo esset Bassus impar aut quod illas laceroas forte suffuratus, sed quia ea illi consuetudo in perpetuum, ut undequaque emeret, dives quidem et ob notas opes fidem vendentibus iniiciens et soloturum tacito se pollicitus, velut quisquis emens non dedit statim pretium mercatori. Non solvit, ioquit Martialis, nec eo est animo, ut unquam solvat, et hoc est lucrum de quo agitur. Si acepta veste pecuniam emptor dedisset, nihil ei lucri, quum haud ita beoe emerit: at nunc et pecuoiam, pretium lacernarum, habet et lacernas; lucrifecit. Eo. P.

II. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Pervenisse tuam iam te scit Rhenus in urbem;
Nam populi voces audit et ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque
Laetitiae clamor terruit ipse novae.
Dum te longa sacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.
Nullum Roma ducem, nec te sic, Caesar, amavit;

Faustas populi et inusitatas acclamationes Caesare redeunte, Poëta describit, quas affirmat ipsis Sarmatis auditas, unde profectus erat; iodeque Caesaris adventum in Vrbem, etiam a remotissimis gentibus cognitum esse, adeoque omninm occupatos in Caesare spectando oculos fuisse, ut nemo, quid in Circi ludis ageretur, animadverteret. *Raderus.*

1. *Rhenus.* Hoc est, Rheni accolae. — *Tuam urbem.* Sive quia magnificis operibus fuerat a Domitiano exornata, et quasi denuo exstructa Roma, sive quia eam, caput Imperii et principis domicilinm, praecipuo habebat in amore. Eo. P.

3. *Sarmaticas.* De quibus supra. — *Istrum.* Optime Istrum, non Danubium, quum sit Danubii nomeo fluvio a footibus nondum procul evagato, et Istri, ubi latior et Pooto Euxino iamiam illapsurus: hic autem ferocissimae gentes et armis Romanis minus prospere semper (oisi demum Imperaote Traiano) lacessitae. Eo. P.

4. *Laetitiae clamor terruit.* Inexpectata et item felici verborum sociatione.

6. *Nemo quater, etc.* E vigioti spatiis a carceribus et septem flexibus circa metas, ad victoriae palmam quater cucurrisse equos, populus, dum tibi uni studet, in te oculos et mentem convertens non advertit; quamvis saepius nihil amplius optet quam *panem et Circenses*, ut ait Iuvenalis.

7. *Nisi te sic* Gruterus malebat

Te quoque iam non plus, ut velit ipsa, potest.

Raderus tamen pro receptæ stat; quem vide in Ver. Notis. — *Nec te sic.* Hue est, nec te ipsum lentum olim, quenlum nunc ema-it; nec plue amare potest. Argute quidem concludit, sed parum vere. Occisum enim Domitianum milites soli doluere, populus indifferenter tulit, Senatus vero valde laetatus est. Sueton. in Domit. c. 23.

12. — AD PRISCVM.

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quaeritis? uxori nubere nolo meae.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito;
Non aliter fuerint femina virque pares.

2. *Nubere.* Quod proprium est feminarum, quum *ducere* ad viros semper referatur, ita ut hic sit sensus: Nolo uxor esse uxoris meae; nolo ei inservire. Pauperem scilicet sponsum servo propiorem esse quam marito, et dote quasi libertatem vendidisse innuit. Quod varii inter Antiquos varie extulere, et in primis Iuven. Sat. VI, 460: *Intolerabilius nihil est quam femina dives, etc.*

3. *Matrona.* Matronam dicit γυναῖκα γαμετήν. Sic enim Graeci vertere. Vnde effatum illud Fortunae Muliebris, quod apud Val. Max. lib. I, 8, 4: RITE ME, MATRONAE, VIDISTIS, RITEQVE DEDICASTIS.

4. *Non aliter fiunt* in codicibus Farnabii, scilicet Bodl. et Oxon. et sic in Iunt. et Colin. — *Non fuerint pares*, concordes nempe: ubi enim uxor par est merito, iam impar est coniugium; uxoris quippe est parere, mariti vero imperare.

13. — AD GARGILIANVM.

Morio dictus erat: viginti millibus emi.
Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit.

1. *Morio.* Illi dicebantur moriones, qui naturali stoliditate risum excitabant. Fatui autem isti et moriones in pretio et deliciis erant apud divites, ad hilaritatem, vel, sicut hodie apud nostros fatuos divites, ut sit in aedibus aliquis domino ipso stultior.

2. *Sapit.* Plus iusto sapit, id est, plus quam fatuum et morionem vellem. Iocatur autem Noster in hoc παράδοξον sane et ἄτοπον, quod eo insaniae, duce luxuria et naturalium voluptatum fastidio, iam devenerint, ut vacuum prorsus intellectu caput multi aestimetur, haud vacuum, nihili; dum contra quo quis altior ingenio, eo pluris faciendus.

14. — IN CRVDELEM AMICVM.

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat et tenerum fortior aura nemus:
Hibernis obiecta Notis specularia puros
Admittunt soles, et sine faece diem.
At mihi cella datur, non tota clausa fenestra,
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare iubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuae tutior hospes ero.

Martialis queritur, melius arbores tegi ab amico, quam amicum.

1. *Pallida.* Ob hiemem qua pallescunt folia, immo et decidunt. — *Cilicum pomaria.* Intellige arbores e Cilicia translatas; quas summa cura colebat ille amicus.

2. *Tenerum nemus.* Succrescentes surculos interpretare.

3. *Specularia.* Quibus tegebantur arbores adversus ventos: specularia autem intellige lapides pellucidos, quibus, ut hodie nos vitro, sic vitri instar utebantur Romani.

4. *Et sine sole diem* in quibusdam libris. Caetera, nulla est varietas legendi in hoc epigrammate. — *Et sine faece*, sine nive, pluvia, aliave noxia tempestate, pulvere etiam.

5. *Non tota fenestra.* Id est quae per rimas ventum et nivem et pluviam admittat. Ed. P.

6. *In qua nec Boreas.* Tam frigidum, inquit, mihi cubiculum dedisti, ut nec Boreas ventorum frigidissimus in eo habitare sustineat.

8. *Arboris ergo.* Vndequaque enim tectae et munitae erant arbores frugiferae adversus frigus.

15. — AD DOMITIANVM.

Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis et ad reducem dum litat ara Iovem;

Epigramma est de laurea Domitiani, quam Iovi Capitolino ex bello Sarmatico intulit; quum tamen de Sarmatis triumphare noluerit. Nam, ut Sueton. cap. 60, Domitianus *de Cattis Dacisque post varia praelia duplicem triumphum egit: de Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi retulit.*

1. *Pannonici.* Hoc est, Sarmatici; licet Pannonia sit regio alia a Sarmatia, de quibus vide Cluverium: tamen, ut arbitror, Pannoniam sumit Poëta pro Sarmatia. Sueton. in Domit. cap. 6. — *Narratur.* Alii *numeratur.*

2. *Iovem.* Iovemne verum qui in patriam reduxerat, unde id temporis Fortunae Reduci templum iste dedicavit? an principem quem et *Iovem terrarum* merito hic caneret, et quem lib. VII, epigr. 99, vs. 1, *Tonantis*

Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus.
Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tuae laurea pacis erit;
Quod tibi de sancta credis pietate tuorum.
Principis est virtus maxima, nosse suos.

titulo significat? Mihi in ancipiti est. Ed. P.

3. *Dat populus, etc.* Ab enumeratione partium ostendit totam urbem et rempub. effusam in vota, ob principis adventum et victoriam.

4. *Et ditant Latias.* Bis iam de Cattis et Dacis triumphaverat Domitianus, atque ita iam bis populo dona distribuerat; iam vero, victoria de Sarmatis reportata, tertio munere populum donavit, illum quippe convivio excepit. Vide epigr. 50 infra. Georgius Merula legit: *Et libant Latiae tertia dona tribus*; hoc est, inquit, urbes, et oppida quae habent ius Latii iam tertio sacrificant pro tertia victoria de Sarmatia relata. Videat lector.

5. *Hos quoque.* Iustum de Sarmatis triumphum agere noluit Domitianus, sed lauream tantum retulit, quam vocat Poëta triumphum secretum: porro celebrem fore dicit, concessa nempe perdomitis gentibus pace. Causa vero triumphis secretis duplex fuit, ut si ea cive parta victoria, qualis laurea C. Antonii ex bello Catilinario; aut ex bello, non acie, sed pace et pactione, qualis haec Domitiani laurea de Sarmatis.

7. *Pietate tuorum.* Hoc est, quod iusta auguratus es de popularium reverentia et amore, credens te non minore admiratione fore apud tuos, laurea tantum relata, ac si plenum triumphum egisses? sciebas enim quid de te Roma sentiret.

8. *Nosse suos.* Hoc est, suorum civium animos perspectos habere. Vide ad notam superiorem.

16. — IN CIPERVM.

Pistor qui fueras diu, Cipere,
Nunc causas agis, et ducena quaeris;
Sed consumis, et usque mutuaris.
A pistore, Cipere, non recedis,
Et panem facis, et facis farinam.

2. *Et ducena* (*ducenta*). Interpretantur *ducena* sestertia, seu ducenta millia sestertium; hoc est: Vis locupletari in causis agendis.

5. *Et panem facis.* Id est, decoquis. *Herald.* Sed ita locum explicat Domitius. Facere panem, inquit, et facere farinam dicitur pistor, qui pinsit far, et coquit panem et farinam. Facere item panem et farinam

dicitur, qui liberalitate, aut prodigalitate sua aliis panem et farinam subministrat: quum igitur Ciperus nunc multos pascat prodigalitate sua, saque pistor videtur, ac olim erat, quum panem et farinam faceret. Farnabius vero sic explicat: In pistrino farinam pinsebas, deinde panem conficiebas, e cuius pretio rursus farinam comparasti, atque adeo in circulum laborans, sic vivebas in diem: nam quaeris, deinde consumis, rursus mutuaris, etc. Solus videtur attigisse sensum *d'Orléans*, intelligens scilicet aliquid esse contrarii inter *panem facis* et *facis farinam*, quemadmodum inter τὰ *opes compa-rare* et statim *effundere*. *Facis panem*, inquit vates, dum causas agis, et ducenta quaeris, quae tibi contra legem Cinciam, licet immerito, solvuntur; et *facis farinam* dum consumis quod male quaesivisti. Nam farina dum seccatur defluit et per foramina labitur: ita quod male quaesivit, deperditur et evanescit.

17. — AD SEXTVM.

Egi, Sexte, tuam, pactus duo millia, causam.
Misisti nummos quot mihi? mille: quid est?
Narrasti nihil, inquis, et a te prodita causa est:
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

Causidici dicterium, qui, quum sibi, quia causam perdiderat, pactae pecuniae dimidium offerebatur, abnuit et duplum ait sibi deberi; totum scilicet ob laborem et operam, et ob ruborem perditae causae.

3. *Narrasti nihil.* Hoc est, male causam egisti. — *A te prodita.* Ita Baverlandi MS. et codex Pulmanni: in edd. vett. *perdita causa est.* Placet prior lectio; neque enim praevaricatores tantum causam prodere dicuntur, sed et ii qui causam agendam suscipiunt, quam non intelligunt.

4. *Tanto plus.* Nam si vicissem, laus mihi praemii loco fuisset, at in solatium famae amissae maiorem mercedem praestare debes: faceta prorsus est haec ratio.

18. — AD CIRINVM.

Si tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Vel mecum possis, vel prior ipse legi;

Cirinium amicum alloquitur, candidissimi animi simul et optimi ingenii virum, qui quum epigrammata et quidem valde bona factitaret, renuebat illa in vulgus emittere, ne quid, aemulum sese farans, Martialis laudibus tolleret; at eo nomine laudat quod amicitiae ita omnia postponat, ut non rura duntaxat, villas, hortos det libens, sed, quod pretiosius et optatius, gloriam; quandoquidem, ut ait Tacitus Historiarum lib. IV sub initium, etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur.

2. *Vel mecum*, etc. Bonane haec fide? an ironice? sincerum sane vi-

Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior ut mea sit, quam tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
Pindaricos nosset quum superare modos;
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Quum posset Tragico fortius ore loqui.
Aurum, et opes, et rura frequens donabit amicus;
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

detur et ex enimo, propter exemplum Virgilii. — *Prior ipse legi.* Maiori laude quam ego. — *Vel (ut) mecum.* Hoc est, vel aeque magnum nomen in eo genere atque ego consequutus sum, vel maius etiam comparares. Sed tu me sic emas, ut tibi ipsi sis iniquus, at premas tue, et mihi soli eam famam relinquas; ita maior sum, quia te parem esse ignoretur.

3. *Sed tibi tantus, etc.* Hac modestia et amicitia inductus Virgilius cessit Horatio lyrici carminis laudem, et Vario tragici carminis, vel tragoediae gloriam; quum illum Pindaricae lyrae modis, hunc Sophoclei cothurni sublimitate vicisse potuit. — Bonane haec fide, an secus, quaesitum fuisse iam vidimus: sincere loqui videtur Poëte, quum Ciriniam et Virgilio ipsi comparet, qui volens quidem potuisset versus lyricos scribere; attamen Raderus et Domitius censent per ironiem illum loqui, quum concludat vix inveniri posse eum qui ingenio cedet.

5. *Calabri Flacci.* Venusia enim Horatii patria urbs est in finibus Calabriae.

19. — DE CINNA.

Pauper videri Cinna vult; et est pauper.

1. *Pauper.* Hic Cinna suam inopiam ostentens, volebat videri divitias dissimulare, dupliciter scilicet mendax, ut simulationis simulator: at vero ostendit Poëte nihil opus esse simulatione, quum re vera pauper sit.

20. — AD VARVM.

Quum facias versus nulla non luce ducenos,
Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

Varum quemdam, caetera ignotum, quod citissime et propemodum αὐτοσχεδιαστὶ versiculos faciat, sed et celet, carpit: carpit autem duplici modo, primo quidem vituperans quod tam celer in pangendis, mox laudans quod tam cautus in abscondendis versiculis videtur; mordaciori sane elogio quam vituperio. Ed. P.

21. — AD LVCIFERVM, VEL, IN ADVENTVM CAESARIS.

Phosphore, redde diem : quid gaudia nostra moraris?
  Caesare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat : placidi numquid te pigra Bootae
  Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?
Ledaeo poteras abducere Cyllaron astro ;
  Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus et Aethon
  Fraena volunt : vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidae non cedunt sidera luci,
  Et cupit Ausonium Luna videre ducem.
Iam, Caesar, vel nocte veni : stent astra licebit,
  Non deerit populo te veniente dies.

Pridie quam in Vrbem ex Septemtrione rediret Caesar, ad sidera orationem convertit Poëta, ut noctem praecipitent : tantum enim esse videndi Domitiani desiderium, ut nox longissima videatur.

1. *Phosphore.* Veneris stella, quae ante solis ortum Lucifer (Graecis Φώσφορος), post solis vero occasum Vesper dicitur. — *Gaudia nostra.* Caesaris Domitiani aspectum, qui populo exspectatur, et ubi lux adfulserit, Vrbem ingressurus est.

3. *Roma rogat.* Vt diem subito reducas. — *Pigra Bootae.* Stella quae a Polo parum distat et cui modo Arctophylax, modo Bootes nomen adscriptum est : illud, quod quasi servet et custodiat (φυλάττει) Arcton (Ἄρκτον); hoc, quod pastor boum videatur, septem enim stellae Arcti *triones*, quasi teriones, id est, boves dicebantur.

5. *Abducere Cyllaron.* In caelum translatus est Cyllarus equus Castoris. Ledaeum astrum intellige Castorem et Pollucem.

7. *Xanthus et Aethon.* Scilicet equi Solis.

8. *Memnonis alma parens vigilat.* Aurora, cuius historia nota.

11. *Stent astra licebit.* Nolunt diei locum cedere, ut et ipsa ingredientem in Vrbem Domitianum videant. Et aliunde quid die, quid sole opus est? ipse Caesar sibi Sol erit, gloriaeque suae fulgore lustrabit caelum, vel manente noctis facie.

12. *Non deerit.* Conclusio plena adulationis. Vbicumque Caesar, ibi dies; nam Caesar noster Sol est.

22. — IN GALLICVM.

Invitas ad aprum ; ponis mihi, Gallice, porcum.

Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

2. *Hybrida.* Quodcumque animal est ex fero et mansueto natum: transfertur etiam ad eos homines qui ex diversa conditione procreati sunt, ut si quis ex matre libera et patre servo, vel ex patre Romano et matre peregrina natus sit. Vida lib. VI, epigramm. 39. Sensus est: Medius ergo ego aprum inter et suem; particeps ego apri et suis, apri quem speravi, suis quem teneo: ergo hybrida! Vocibus hic abutitur. Alii sic expediunt: Re vera ego essem hybrida, nisi intelligerem loco apri mihi appositum fuisse porcum: etenim hybrida participans naturam utriusque animalis diversi via unum ab altero distinguat. Ed. P.

23. — AD RVSTICVM.

Esse tibi videor saevus, nimiumque gulosus,
Qui propter coenam, Rustice, caedo coquum?
Si levis ista tibi flagrorum causa videtur,
Ex qua vis causa vapulet ergo coquus?

4. *Ex qua vis.* An, quaeso, iniquum est, si quis pendat poenas eius quod deliquerit in sua arte? tum sane iniquus ego esse viderer si delictum alieni artificii in illo punirem.

24. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Si quid forte petam timido gracilique libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Caesar, permitte rogari;
Offendunt nunquam thura precesque Iovem.
Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

2. *Improba charta.* Qua scilicet a te peto aliquid: *improba* autem hoc loco est impudens, audax, insaturabilis, inquit Domitius. Fortean minus opportuna, et ut Gallice aiunt, *indiscrète.*

6. *Qui rogat.* Qui aureas Deorum statuas format, ille non facit Deos, sed qui illos adorat. Sic ego, inquit Poëta, dum te rogo, o Domitiane, te Deum esse demonstro.

25. — IN OPPIANVM.

Vidisti semel, Oppiane, tantum

1. Sensus est: Si laetaris quod semel gravi morbo me laborantem videris, quanto magis ego laetabor, qui te semper aegrum videbo! Aut:

Aegrum me male: saepe te videbo.

ne scommata in me et cavillationes facias, ne mihi insultes, quod me semel aegrum vidisti; ego enim caplum te valetudine saepe, et usque aspiciam.

26. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo,
Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres;
Delicias potuit nec numerare suas.
Vincit Erythraeos tua, Caesar, arena triumphos,
Et victoris opes divitiasque Dei.
Nam quum captivos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Tigrides plures in spectaculum adduxerat Domitianus, a qua re Martialis illum laudandi occasionem arripit; ipsique Baccho, qui duabus tantum tigribus invectus triumphavit, anteponendi.

1. *Gangeticus Raptor.* Venator nempe in India, ubi fluvius Ganges, prae timore pallidus raptis tigridis catulis fugit.

2. *Raptor et Hyrcano* conj. Farnabius. — *In Hyrcano equo.* Hoc est, celeri: sic enim Hyrcanum equum intelligere videtur Poëta: Hyrcania vero Asiae regio, ubi etiam tigres ferocissimae.

4. *Nec numerare.* His verbis significat multas in arena tigres fuisse exhibitas. — *Delicias suas.* Ferox enim et bellandi consuetudine saevitiae, quam fortitudini propior, populus sanguinem ferarum, immo et hominum in deliciis habuit, iis etiam temporibus quum antiqui rigoris nihil iam retineret. Ed. P.

5. *Vincit Erythraeos, etc.* Tuum amphitheatrum, o Caesar, superat triumphum Bacchi reducis ex India, Persia, et litoribus Rubri maris devictis; namque ille triumphavit gemina tantum invectus tigride, tu pluribus.

7. *Ageret sub curribus.* Captivi nobiles nonnunquam curribus vehebantur, caeteri catenis vincti catervatim praeibant.

27. — AD GAVRVM.

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,
Si sapis, et sentis, hic tibi ait: Morere.

Captatores testamentorum, insidiabantur divitibus aegris et senibus, illisque munera mittebant, ut haeredes scriberentur. De hac fraude monet Gaurum Poëta, ut sibi ab huiusmodi vulturum insidiis caveat.

2. *Morere.* Vt in bona tua succedat haeredipeta ille.

28. — DE PARTHENIANA TOGA.

Dic, toga, facundi gratum mihi munus amici,
Esse velis cuius fama decusque gregis?
Apula Ledaei tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi
Baetis in Hesperia te quoque lavit ove?
An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?
Te nec Amyclaeo decuit livere veneno,
Nec Miletus erat vellere digna tuo.

Donatus a Parthenio praefecto cubiculi Domitiani nobili toga Martialis, petit tecte meliorem etiam lacernam, alioqui se ludibrio fore populo, si nobilissima candidissimaque toga ornatus incedat, et vilem tritamque lacernam togae novae iniiciat. *Rader.*

1. *Dic, toga.* Per prosopopoeiam togam alloquitur et interrogat, quo nempe lanarum genere ait contexta. — *Facundi gratum, etc.* Docti scilicet atque politae.

2. *Esse velis, etc.* E cuiati vellere es?

3. *Apula.* Enumerat praestantissima genera vellerum, inter quae primum Tarentinum. — *Apula Ledaei tibi floruit?* An a gregibus in pascuis Tarenti in Apulia, quam condidit Phalantus Lacedaemonius l. V, epigr. 38, vs. 2. — *Ledaei tibi.* E Lacedaemone clara concubitu Iovis et Ledae, Ledaeque natis. — *Floruit herba.* Quam oves Tarentinae depastae sunt. — *Phalanti.* Tarentinae urbis conditoris, ut modo notatum.

4. *Qua saturat, etc.* Qua Galesus a Calabris ortus irrigat culta lib. V, epigr. 38, vs. 2..

5. *An Tartessiacus* Baetis Hispaniae fluvius, hodie *Guadalquivir*, qui et Tartessus a Strabone appellatur. Iuven. sat. XII, vs. 41. — *Stabuli Iberi.* Hoc est, ovium Hispanarum, quae nempe pascuntur ad Iberum.

7. *An tua multifidum.* An ab Altino nobili ovibus et lana prope Timavum multis ostiis in mare Adriaticum influentem? ut lib. IV, epigr. 25, vs 5. — *Numeravit, etc.* Pathos; quasi lana aut ovis nosset numerum ostiorum Timavi, sintne septem, an novem.

8. *Quem prius, etc.* Cyllarus quidem vexit Castora, qui cum Argonautis Timavum praeternieavit, ut lib. IV, epigr. 25; atque ipse Castor in sidus relatus est. Quum vero dicat *ore astrifero*, malim de ipso Cyllaro in astrum verso intelligere; supra epigr. 21, vs. 5.

9. *Amyclaeo veneno.* Amyclaeom venenum alii existimant esse colorem viridem, alii vero purpureum. Amyclae civitas est Laconiae: Miletus autem Ioniae in Asia Minore, ubi lana summo fuit in pretio.

Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiaeque columbae;
Cedet Erythraeis eruta gemma vadis.
Sed licet haec primis nivibus sint aemula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.
Non ego praetulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quae variantur acu.
Non Athamanteo potius me mirer in auro,
Aeolium dones si mihi, Phryxe, pecus.

11. *Ligustra.* Flores eximii candoris.

12. *Et Tiburtino* Caelum enim Tiburtinum utpote frigidum ebori candefaciendo inserviebat.

13. *Spartanus olor.* Cycnum intellige candidissimum, cuius formam induit Iupiter, quum Ledam Spartanam compressit. — *Paphiaeque.* Veneri scilicet dicatae, et sic dictae ab insula Papho, ubi colebatur Dea.

14. *Erythraeis.* Vide Plinium iuniorem lib. IX, epist. 33. In mari Rubro nobilissimae nascuntur margaritae.

15 *Primis nivibus, etc.* Intactis.

16. *Parthenio.* De quo lib. IV, epigramm. 45. *Candidiora* refer ad animum Parthenii sincerum.

17. *Babylonica picta superbe. Babylonica*, acu fieri solita. Non minori tamen varietate, nec paucioribus aut minus expressis, minusque mirandis figurarum imitationibus in vestibus contexendis luserunt antiqui artifices sola texturae ratione, et connexione staminis ad subtemen, quam qui acu pingerent. Hinc alicubi dixit Martialis lib. XIV, epigr. 150: *Victa est Pectine Niliaco iam Babylonis acus.* Et addit *texta.* Nam *plumarii*, textores dicti, non solum qui clavos seu plumas vestibus insuerent et intexerent; sed et qui quocumque genere picturae, quibuscumque coloribus et figuris variatas vestes acu pingerent. Hinc *plumare*, τὸ ποικίλλειν, et plumatum opus, τὸ ποικίλον seu πεποικιλμένον. Qui *Babylonica* igitur peristromata variis coloribus intextis pingebant, *plumarii* vocati; quod et Babylonem maxime celebrasse, et nomen imposuisse refert Plinius — Gronov. legendum censet: *Babylonos picta superbae Texta, etc.* quia in cod. suo erat *Babylonos.* Gronovii hanc conj. firmat vetustus fratrum Puteanorum liber.

18. *Semiramia acu.* Hoc est, Babylonica; Semiramis quippe Babylone regnavit.

19. *Non Athamanteo.* Vestis Phryxi ex aureo vellere confecta non mihi gratior foret: Athamas autem, rex Thebarum, Helles et Phryxi pater fuit, ac utrumque ex uxore Nephele genuit. Ovid. Metamorph. IV, 466 et sqq.

20. *Aeolium.* Aeolus, Thebarum rex, pater fuit Athamantis, et avus Phryxi. *Aeolium pecus* interpretare arietem, quo vectus Phryxus Aeoli nepos traiecit mare. De his legendae historiae. — *Aeolium dones si mihi*,

O quantos risus pariter spectata movebit
Trita Palatina nostra lacerna toga!

Phryxe, *decus* in quibusdam vett. Quod idem est; nam *Aeolium decus* hic significat splendidissimum hoc et celebratissimum Aeolii nepotis Phryxi vellus.

22. *Trita.* Quanto ludibrio ero omnibus, qui me toga nobili ornatum, et trita lacerna superiniecta indutum viderint! His verbis lacernam quoque petit a Parthenio, ut munus sit perfectum.

29. — DE DISTICHIS.

Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere.
Quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?

1. *Disticha qui*, *etc.* Superius epigramma paulo longius excusare videtur; quum enim iustum volumen scribere velit, perinde esse ait, si illud aut duorum, aut plurimum versuum epigrammatibus conficiat. Lib. VI, epigr. 65. — Sidonius, lib. VIII, epist. Lampridium quemdam oratorem laudat a brevitate: *praeterea*, inquit, *quod ad epigrammata spectat*, *non copia*, *sed acumine placens*, *quae nec brevius disticho*, *nec longius tetrasticho finiebantur.* Et merito quidem, quia quo breviora sunt et argutiora, eo promptius leguntur et recitantur, eo acrius pungunt et lacerant. Eo. P.

30. — DE SPECTACVLO SCAEVOLAE.

Qui nunc Caesareae lusus spectatur arenae,
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Aspicis, ut teneat flammas, poenaque fruatur
Fortis, et attonito regnet in igne manus!

1. *Qui nunc.* Temporibus Domitiani fortiores viros existere quam Bruti saeculo docet Poëta: nam quod olim fortissimus Scaevola in re seria, id ipsum nunc per iocum fit. Lib. Spect. epigramm. 7. Rei quippe damnati personas agebant Daedali, Orphei, et Laureoli; ita hic fictus Scaevola ad exemplum Mucii Scaevolae manum in flammas immissam combussit. Lib. I, epigr. 22: *Quum peteret regem decepta satellite dextra*, *Ingessit sacris se peritura focis.*

2. *Temporibus Bruti.* Quibus vixit Scaevola. Vide Liv. lib. II. — *Summa fuit.* Id fuit tunc summa gloria, quod nunc lusus est.

3. *Poenaque fruatur.* Hoc est, poenam in suam laudem vertat: sic loquitur Iuno apud Senecam in Hercule furente: *superat*, *et crescit malis*, *Iraque nostra fruitur*, *etc.*

4. *Attonito .... in igne.* Sensum nempe animumque flammis commo-

Ipse sui spectator adest, et nobile dextrae
  Funus amat: totis pascitur illa sacris.
Quod nisi rapta foret nolenti poena, parabat
  Saevior in lassos ire sinistra focos.
Scire piget post tale decus, quid fecerit ante;
  Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

dat, ut at infra vs. 8, ubi: *in lassos ... focos*.

5. *Ipse sui*. Ipse fictus Scaevola, ad exemplum veri Scaevolae, manum igne comburi spectavit, et delectatus est illo spectaculo.

6. *Totis pascitur*. Hoc est, comburitur toto igne ad sacra facienda accenso. Forte melius explices, delectatur toto igne. Quo sensu, ni fallor, verbum *pasci* usurpatur a Cicerone ad Atticum lib. IV, epist 9: *Ego*, inquit, *hic pascor bibliotheca Fausti*.

7. *Quod nisi* Nisi fictum hunc Scaevolam flammis eripi iussisset Domitianus, ut olim verum Scaevolam ab igne amoveri imperavit Porsena (lib. I, epigr. 22: *Et raptum flammis iussit abire virum*), sinistram sanam pariter combussisset.

8. *In lassos focos*, hoc est, in flammas victas, et cedentes tantae virtuti.

9. *Post tale decus*. Post tam egregium facinus: etenim si ob scelus damnatus manum suam combusserit, summam laudem consecutus est: at vero, si libens eiusmodi virtutis suae specimen, prospectante Domitiano, ediderit, licet colligere, illum antea egregia quoque praestitisse facinora.

31. — IN DENTONEM.

Nescio quid de te non belle, Dento, fateris,
  Coniuge qui ducta iura paterna petis.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
  Desine, et in patriam serus ab Vrbe redi:
Nam dum tu longe deserta uxore, diuque
  Tres quaeris natos, quatuor invenies.

1. *Nescio quid de te*. Te nempe parum esse virum, vel delectari te turpi libidinis genere.

4. *Et in patriam*. Poëta, ut ex Vrbe maturius in patriam redeat (nec enim erat Romanus) monet; nec desperationem ex eo concipiat quod non impetraverit ius trium liberorum; quatuor enim domi reperturum ex adulterio uxoris susceptos. Concludit ergo argute, domi inventurum et amplius, quod quaerit foris. *Rader*.

5. *Deserta uxore domoque* Iunius noster margini adscriptum habet; et sic est in quibusdam edd. vett. teste Iunio; sed *diu* plerisque, et magis arridet.

32. — DE COLVMBA ARETVLLAE.

Aëra per tacitum delapsa sedentis in ipsos
Fluxit Aretullae blanda columba sinus.
Luserat hoc casus, nisi inobservata maneret,
Permissaque diu nollet abire fuga.
Si meliora piae fas est sperare sorori,
Et dominum mundi flectere vota valent;
Haec a Sardois tibi forsitan exsulis oris,
Fratre reversuro, nuntia venit avis.

1. *Aëra per vacuum* legit Heins. ad Ovid Fast. III, v. 111. — *Aëra per tacitum*, *etc* Ominatur Aretullae fratris ab exsilio reditum.

3. *Luserat hoc casus*, *etc.* Casu aliquo, velut ab accipitre, acta videretur, nisi et in gremio Aretullae mansisset.

5. *Si meliora.* Huius Aretullae frater in Sardinia exsulabat, cuius reditum a Domitiano impetraturam se sperabat Aretulla. Poëta autem dicit hanc columbam omen esse fratris ab exsilio revocandi: saepius enim, ut antiquis visum, aves ominis causa ultro ad homines advolasse scribit, unus ex multis, Valerius Maximus, lib. I, cap. 4.

7. *Exsulis oris.* Ex regionibus fratris tui exsulis, hoc est, ex regionibus ubi exsulat frater tuus.

33. — AD PAVLVM, DE PHIALA.

De praetoritia folium mihi, Paule, corona
Mittis, et hoc phialae nomen habere iubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magis astuti derasa est ungue ministri

1. *De praetoritia.* Poëta avaritiam Pauli deridet, a quo phialam dono acceperat tam tenuem, ut nullius vel parvi esset pretii. In ludis praetores solebant victoribus dare coronas aureis vel argenteis bracteis insignes, quae flores et folia exprimerent. Sensus est: Folium seu laminam tenuissimam potius quam phialam misisti mihi.

3. *Hac fuerat.* Sic intelligunt Interpretes. Pegma de quo lib. Spect. epigr. 2, nuper fuerat hac lamina inauratum, quam nebulam vocat, hoc est, tenuem instar nebulae, et quae diluta seu ablata est croci adspersione, de qua lib. Spect. epigr. 3. — *Pallida unda* dicitur hic, quod crocus vino dulci mixtus flavum colorem referret.

Bractea, de fulcro (quod reor esse) tuo?
Illa potest culicem longe sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguae volitat suspensa vapore lucernae,
Et leviter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo;
Plena magis nimio lilia sole cadunt;
Nec vaga tam tenui discursat aranea tela,
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie vetulae stat creta Fabullae;
Crassior offensae bulla tumescit aquae.
Fortior et tortos servat vesica capillos,
Et mutat Latias spuma Batava comas.

6. *De fulcro.* Lecti et eorum fulcra bracteis argenteis erant ornata. Suetonius haec refert in Caligula, cap. 22: *Romae publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit.*

11. *Hoc linitur sputo.* Tenui corio, crusta, vel tectorio exponit Scaliger ad Tibulli lib. I. An forte, in deaurando, sputo utebantur vice gummi? inquit Farnabius. *Caryota* vero palmarum fructus est, quae ad patronos Kalendis Ianuariis mittebatur a clientibus. Lib. XIII, epigr. 27. Cum caryota autem simul atque assem porrigebant pauperes. Nam ineunte anno stips Iano offerebatur. Sic et Diis suis peculiaribus, singulis kalendis pecuniolam aliquam porrigebant. Ratio huius superstitionis est, quia kalendas et annorum principia religiose observabant. Et non Ethnici solum, verum et ex Dei praecepto Israëlitae initia mensium observabant, et sacrificiis celebrabant.

13. *Colocasia.* Fabae sunt Aegyptiae, quae coctae instar filorum tenduntur.

14. *Plena magis, etc.* Folia liliorum ab ardore solis decidentium, sunt crassiora quam tua phiala.

15. *Nec vaga, etc.* Aranearum et bombycum telae non sunt adeo subtiles.

17. *Crassior, etc.* Fucus seu incrustamentum faciei supertectum e creta Chia vel Selinusia. — Qua sive ad candidam faciendam, sive ad poliendam cutem utebatur Fabulla.

18. *Offensae, etc.* Leviter percussae, agitatae, unde oritur bulla.

19. *Servat vesica.* Reticulum tenue instar vesicae, quo retinebantur capilli: sed hunc sensum non dat Rob. Stephanus, Iuv. sat. 11, 96. Ed. P.

20. *Et mutat Latias.* Hoc est, nec phiala crassior est lixivio, quo Romani ad exemplum Batavorum capillos illinebant, ut flavescerent.

Hac cute Ledaeo vestitur pullus in ovo;
Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum phiala, ligulam quum mittere posses;
Mittere quum posses vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur, cochleam quum mittere posses;
Denique quum posses mittere, Paule, nihil.

21. *Hac cute*. Hoc est, ova cycni habent cutem aeque crassam.

22. *Splenia*. Fasciae sunt, quae ita in fronte componebantur, ut Lunae cornua exprimerent. Vid. lib. II, epigr. 29.—*Lunata*. Dicitur frons lunata quod hemicyclon a geminis temporibus efficiat.

23. *Ligulam*. Cuius *ligulas* saepe prodit vocabulum, ut lib. V, 19, lib. XIV, 120; at hic gladiolus est, vel spathula, mensurave.

24. *Cochleare*. Erat quoque liquidorum mensura, sed minor ligula. Lib. XIV, epigr. 121.

25. *Cochlear cum mittere possis* codex Pulmanni. —*Cochlea* limacis testa est sane minoris etiam pretii quam cochlear. Melius vero cum Poëta egisset Paulus nihil mittendo, quam phialam tam tenuem.

34. — IN IACTATOREM.

Archetypum Myos argentum te dicis habere.
Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.

1. *Archetypum*. Hoc distichum sic explicat Turnebus, lib. XXI, cap. 24: Ego, inquit, argutism iocumque epigrammatis latere puto in vocabulo *factum est*, hoc sensu: Dicis te habere toreumata argentea operis antiqui, quae quidem magni ab omnibus olim aestimabantur. Iocans Martialis ait: Tu ista verbosa ostentatione argenti tui et iactatione ventosa multum detrahis pretio, et efficis ut vasa tua convivis molestiae et taedio sint; adeo ut argentum factum, id est, vasa, (argenti enim facti nomine vasa censentur argentea), si sine te sit, et si absis, magis sit archetypum: scilicet, pluris censeatur, antiquiusque videatur. Vid. epigr. 6, supra.—*Myos*. Caelatoris egregii.

2. *Quod sine te*. Hoc est, inquit Raderus, vasa quae tu non attigisti nec adulterasti, magis archetypa sunt. Videat lector, et eligat.

35. — IN PESSIMOS CONIVGES.

Quum sitis similes, paresque vita,
Vxor pessima, pessimus maritus;
Miror, non bene convenire vobis.

3. *Non bene convenire*. Iocus in voce ambigua *convenire*, quae pariter significat et similem duobus indolem, et concordiam. Ita perspicuum hoc epigramma fit. *Convenit*, quum pessimi et hic et illa; non *convenit*, quum rixentur. Ed. P.

36. — AD CAESAREM DOMITIANUM.

Regia pyramidum, Caesar, miracula ride;
 Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiae labor est Mareoticus aulae?
 Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes;
 Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
Aethera sic intrat, nitidis ut conditus astris
 Inferiore tonet nube serenus apex;
Et prius arcano satietur lumine Phoebi,
 Nascentis Circe quam videt ora patris.
Haec, Auguste, tamen, quae vertice sidera pulsat,
 Par domus est caelo : sed minor est domino.

Domus haec Palatina Caesaris, digna erat spectatu; ut quae inter nobiliores orbis fabricas referri posset, quam Poëta pyramidibus aulisque Aegypti anteponit, atque altitudine etiam altissimis Thessaliae montibus praefert. Postremo, argute concludit: quamquam tam vasta, ampla et excelsa est domus, tamen est minor Domino Caesare. *Raderus.*

1. *Regia pyramidum.* De quibus diximus ad libr. Spectac. epigr. 1.

2. *Jam tacet.* Tuum enim Palatium longe superat has pyramides.—*Eoum barbara.* In Aegypto, quae orientem a meridie spectat.

3. *Parrhasiae aulae.* Hoc est aulae Palatinae, seu Palatii.—*Labor Mareoticus.* Hoc est, Aegyptius, a Mareotide celeberrima Aegypti palude.

5. *Septenos.* Septem Palatii turres tam mirae molis et altitudinis affirmat, ut superent et Ossam et Pelion Thessaliae montes, quos congestos in caelum struxisse feruntur Gigantes.

7. *Aethera sic intrat.* Id est, eam in altitudinem per inane surgit hoc Palatium; sic aula summum caput inter nubila condit, ita ad caelum usque eius apex pertinet; ut nubes et tonitrua inferiora habeat. Sic dictum ut illud Virgilii in Eclog. V, 57. *Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.* Sed hic hyperbole. Quum igitur omnia infra quandoque turbentur et fulminibus terreantur, fastigium tamen domus tam excelsae immotum manet; et longe est extra tempestatis impetum.

9. *Et prius arcano.* Hoc est, Palatii apex prius offenditur lumine solis, quam cacumen montis Circes, quae Solis filia dicta est. *Arcano,* quia scilicet prius quam alibi appareat lumen, iam sol illustravit tuum Palatium.

12. *Par domus.* Licet tua domus, o Domitiane, altitudine atque amplitudine caelum aequet, tamen non est satis ampla, quae te Deum capere possit. Conf. Papin. Sylv. 4.

37. — AD POLYCHARMVM.

Quod Caïetano reddis, Polycharme, tabellas,
Millia te centum num tribuisse putas?
Debuit haec, inquis: tibi habe, Polycharme, tabellas,
Et Caïetano millia crede duo.

Hominem notat cui quod mutuum sumpsit (et quidem saepe mutuum sumit), mos nunquam reddere. Remittit quidam illi debitum, et donum dedisse se arbitratur. — Minime, ait Noster, nam ille nunquam reddidisset; remittas, non remittas, perinde est. At crede rursum pecuniam, vel minimam (quam scilic. non reddet), id donum erit. Ed. P.

4. *Millia crede*. Rursus pecuniam da mutuo, sic vere muoificus videberis.

38. — AD MELIOREM.

Qui praestat pietate pertinaci
Sensuro bona liberalitatis,
Captet forsitan, aut vicem reposcat.
At si quis dare nomini relicto
Post manes tumulumque perseverat,
Quaerit quid, nisi parcius dolere?
Refert sis bonus, an velis videri.
Praestas hoc, Melior, sciente fama:
Qui solennibus anxius sepulti

Celebrat pietatem Melioris erga Blaesum scribam, cuius defuncti natalem quotannis revocabat, et festum Blaesianum appellabat.

3. *Captet forsitan.* Melior duos pueros habuit, Glauciam et Blaesum, et utrumque mortuum luxit. Lib. VI, epigr. 28 et 29. At vero, inquit Poëta, qui munera confert in vivos, aut ab iis maiora sperat, aut forte eorum haereditatem captat.

4. *Nomini relicto.* Hoc est, mortuo amico si quis officia pietatis praestat, nihil aliud nisi suo dolori lenimen quaerit.

7. *Refert sis bonus*, id est, plurimum interest. Sensus ergo est: Qui mortuum beneficiis prosequitur, revera beneficus est: qui vivum, beneficus fortasse videri vult. Atque magnum est discrimen inter τὸ ὄν et τὸ φαινόμενον. Cato enim *esse, quam videri bonus malebat.* Et sic Aeschylus de Amphiarao, Sept. ad Theb. vs. 544: Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

8. *Praestas hoc.* Id est, te probe geris, non ut probus videaris, sed quia sic faciendum existimas.

9. *Qui solennibus, etc.* Qui natalitium diem Blaesi celebras.

Nomen non sinis interire Blaesi;
Et de munifica profusus arca
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori piaeque turbae
Quod donas, facis ipse Blaesianum.
Hoc longum tibi, vita dum manebit,
Hoc et post cineres erit tributum.

13. *Scribarum memori.* Quia et Blaesus olim fuerat scribarum unus.

14. *Blaesianum.* Festum nomine Blaesi, et in illius gratiam. Vnde non tibi, sed illi praeseus gloria, et tumulo superstes.

15. *Hoc longum*, etc. Quamdiu vives, immo et mortuus, ea tanta pietate gloriam et famam consequeris. Aut forsan idem et tibi, quod nunc et manibus tribuis, post obitum aliquis tribuet. Eo. P.

39. — AD DOMITIANVM.

Qui Pallatinae caperet convivia mensae,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedea pocula mixta manu.
Esse velis, oro, serus conviva Tonantis.
At tu si properas, Iupiter; ipse veni.

Laudat regiam Domitiani a Rabirio exstructam. Namque ante aedificatum hoc Palatium, non poterant in aula celebrari solennia populi convivia; nunc accumbimus omnes, et divina Domitiani munera bibimus. *Rader.*

3. *Hic aurire decet.* Nempe in tuo Palatio.

4. *Et Ganimedea.* Hoc est, haurire pocula quae a tuis pueris, formoso Ganymedi similibus porriguntur.

5. *Esse velis.* Tarde adeas caelum, seu diu vivas.

6. *At tu si*, etc. O Iupiter, si tanto Domitiani videndi desiderio tenearis, descende in terras, ut cum illo conviveris.

40. — AD PRIAPVM.

Non horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, et potes renasci,

Minatur Priapo hortorum et silvarum custodi flammas, nisi custodiat silvam suam, flammarum alimenta.

3. *Ex quo natus es.* Vid. Horat.,

Furaces, moneo, manus repellas,
Et sylvam domini focis reserves.
Si defecerit haec, et ipse lignum es.

sal. VIII. *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum*, etc.

6. *Si defecerit* lignum nemoris, quum et ipse lignum sis, te comburam.

41. — AD FAVSTINVM.

Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quae medio brumae mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo;
Me certe tristem fecit Athenagoras.

1. *Tristis Athenagoras.* De quo lib. IX, epigr. 96. Sensus est: Moeatus mihi videtur Athenagoras, quod nihil ad me miserit Saturnalium tempore, ego, inquit Poëta, nescio an vere doleat, at ego vere dolen quod nihil acceperim.

2. *Medio brumae* Hoc est, mense Decembri: bruma vero significat dies hyemis brevissimos.

3. *Videbo.* Dubito, non affirmo.

42. — AD MATHONEM.

Si te sportula maior ad beatos
Non corruperit, ut solet; licebit
De nostro, Matho, centies laveris.

2. *Non corruperit, etc.* Non translulerit corruptum nidore maioris culinae ad coenas divitum. Vel, si te sportula maior non corruperit, et ad beatos ac divites tranatulerit, desertis tenuioribus Sic dicunt Graeci σώζεσθαι εἰς πολιν, id est, φεύγειν ἢ ἀπιέναι εἰς πόλιν τινὰ, καὶ ἐκεῖ σώζεσθαι *Herald.*

43. — IN FABIVM ET CHRESTILLAM.

Effert uxores Fabius, Chrestilla maritos;
Funereamque toris quassat uterque facem.

1. *Effert.* Verbum est funeris proprium: coniuges veneno forte necabant Fabius et Chrestilla.

2. *Funereamque.* Quum deberent adhibere taedas nuptiales.

Victores committe, Venus: quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

3. *Victores.* Fac ut matrimonio iuncti simul congrediantur, Fabius quidem uxorum victor, Chrestilla vero victrix maritorum.

4. *Vna duos.* Vt Libitina mortis Dea utrumque mutuis artificiis occisum simul rapiat.

44. — AD TITVLLVM.

Titulle, moneo, vive semper; hoc serum est;
Sub Paedagogo coeperis licet, serum est.
At tu, miser Titulle, nec senex vivis;
Sed omne limen conteris salutator,
Et mane sudas urbis osculis udus,
Foroque triplici sparsus ante equos omnes,
Aedemque Martis, et colosson Augusti
Curris per omnes tertiasque, quintasque.
Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est.
Superba densis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginae Kalendarum;
Iurabit haeres te nihil reliquisse,
Supraque pluteum te iacente, vel saxum,

Titullum monet vivat genialiter, neque haeredibus multa relinquat, nihil gratiae mortuo ob id relaturis.

2. *Sub paedagogo.* Hoc est, quamvis a prima iuventute genialiter vivere coeperis, tamen tardius est. Lib. I, epigr. 16.

5. *Vrbis osculis.* Quos enim salutabant, eos osculabantur Veteres.

6. *Foroque triplici.* Lege lib. III, epigr. 38. — *Ante equos omnes.* Hoc est, inquiunt Domitius et Raderus, ante equites: iudices enim erant equestris ordinis. Forte statuas equestres in foro positas.

8. *Per omnes tertias.* Decurias iudicum intelligunt alii, quae primo tres, quibus Augustus quartam, Caligula quintam addidit. Alii horas interpretantur. Epigr. 67 infra.

10. *Palleat.* Argento nempe, cuius color pallidus est.

11. *Centum explicentur.* Tabulae aperiantur, quibus constat apud centum debitores positam tibi pecuniam; negabit haeres quidquam a defuncto relictum. Hic mos enim multis, ut divites positis in arca, positis in foenore nummis, pauperes se praedicent, sive ut invidiam declinent, sive quod nunquam possidere se satis puteot.

Fartus papyro dum tibi torus crescit,
Flentes superbus basiabit eunuchos;
Tuoque tristis filius, velis nolis,
Cum concubino nocte dormiet prima.

14. *Fartus papyro.* Qua utebantur ad rogum struendum. Lib. X, ep. 97.

45. — AD FLACCVM DE REDITV P. TERENTII.

Priscus ab Aetnaeis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, et lento splendescat turbida lino
Amphora centeno consule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida mensis?
Tam iusto dabitur quando calere mero?
Quum te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros,
Luxuriae fiet tam bona causa meae.

Celabrat reditum e Sicilia P. Terentii, Martialis familiarissimi: et precatur, ut tam laete mox etiam Flacci redeuntis e Cypro diem agat.

1. *Priscus.* Ad quem Poëta mittit librum duodecimum.

2. *Lactea gemma.* Albo calculo prosperos, nigro dies infaustos notabant Antiqui: quem morem alii a Scythis, a Thracibus alii ortum putant. Ipsa margarita vice albi calculi.

3. *Et lento splendescat.* Vinum enim centum annorum ex amphora effusum, si commoveretur, turbidum fiebat.

4. *Amphora.* Annosum vinum et saeculare. — *Centeno consule.* Longo tempore, multis annis. — *Facta minor.* Quia subinde longo senio aliquid deperit.

5. *Continget nox quando .... Quum te, etc.* Ecquando iterum erit mihi aeque iusta convivii caussa? certe ubi idem Flaccus redierit ex Cypro, quae insula Veneri sacra est, quam proximo mari aut genitam, aut certe erupisse ferunt.

7. *Cythereia Cypros.* Non quod in insula Cipro urbs Cythere (Cythera enim urbs et insula est iuxta Laconiam); sed quod Veneri, quae et *Cythereis*, sacrata sit.

8. *Luxuriae.* Festae accubationi.

46. — AD CESTVM PVERVM.

Quanta tua est probitas, quanta est infantia formae,
Ceste puer, puero castior Hippolyto!

Celebratur in Cesto puero concordia formae atque pudicitiae.

2. *Castior Hippolyto.* Vide argumentum Hippolyti, in Senec. Trag.

Te secum Diana velit, Dorisque natare;
Te Cybele totum mallet habere Phryga.
Tu Ganymedeo poteras succedere lecto,
Sed durus domino basia sola dares.
Felix quae tenerum vexabit sponsa maritum,
Et quae te faciet prima puella virum!

3. *Diana velit.* Ipsa castitatis Dea. —*Natare* inter nymphas suas, neque oculos tuos ulcisceretur, ut quondam Actaeonis.

4. *Totum, etc.* Non castratum, ut Atyn quondam puerum suum Phrygium.

6. *Sed durus domino*; vix basia a te impetraret Iupiter, nedum quid ulterius. *Securus* quidam, hoc est, non suspectus Iunoni, nec zelotypam Deam urens. *Gruter.*

47. — IN VARIE SE TONDENTEM.

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est: unum quis putet esse caput?

1. *Pars maxillarum tonsa....rasa.... vulsa. Tonsa*, forcipibus nimirum, quibus utebantur iuvenes iam adulti; *rasa*, novacula scilicet, quam adhibebant viri; et *vulsa*, volsellis nempe, quarum feminis et iunioribus usus. Quum ergo triplicem ita aetatem, pueri nempe, iuvenis et viri, capite suo referret hic quisquis fuerit, non unum, immo triplex, caput habere videbatur.

48. — DE ABOLLA CRISPINI.

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.
Quisquis habes, humeris sua munera redde, precamur;
Non hoc Crispinus, te sed abolla rogat.
Non quicumque capit saturatas murice vestes;

Furem hortatur, ut ablatam Crispino abollam reddat; et togam potius subducat, alioqui deprehensum iri.

1. *Abollam.* Pallium duplicatum; de quo supra diximus ad lib. IV, epigr. 53. — *Crispinus.* De eo actum est lib. VII, epigr. 99, cui ut ablatam abollam restituat, furem hortatur Poëta; et Crispinum ipsum deridet, qui nesciret cui dedisset servandam abollam.

4. *Abolla rogat.* Quae tibi non convenit, furemque prodet.

5. *Non quicumque.* Hoc est, non cuiusvis est gestare purpuram.

Nec nisi deliciis convenit iste color.
Si te praeda iuvat foedique insania lucri,
Qua possis melius fallere, sume togam.

6. *Deliciis, etc.* Lautioribus et delicatis.
7. *Foedi lucri.* Furti.
8. *Quo possis melius* in quibusdam vett. — *Sume togam.* Abollae loco; magno enim in togatorum numero tu togatus delitesces.

49. — DE ASPRO.

Formosam plane, sed caecus diligit Asper;
Plus ergo, ut res est, quam videt Asper, amat.

1. *Formosam.* Poëta deridet istum caecum, qui puellae nunquam visae amore flagraret. Iuvenalis sat. IV, 114: *Qui nunquam visae flagrabat amore puellae.*

50. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi,
Quantaque nox Superis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe Deorum,
Et licuit Faunis poscere vina Iovem:
Tanta tuas, Caesar, celebrant convivia laurus;
Exhilarant ipsos gaudia nostra Deos.
Vescitur omnis eques tecum, populusque, patresque,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.

Epulum dedit populo Domitianus, post lauream a Sarmatis Iovi illatam, quod hoc carmine celebrat Martialis, et confert cum epulo Iovis ipsius.

1. *Quanta, etc.* Quantum convivium Iupiter praebuit Diis, relata de Gigantibus victoria, etc.

4. *Et licuit Faunis, etc.* Innuit hic Saturnalium libertatem, quo in tempore mensae accumbebant servuli, ministrantibus dominis. Eo. P.

5. *Tanta tuas, Caesar, etc.* Tanta est lautitia eius convivii, quod tu, o Domitiane, dedisti senatui, equitibus, plebi, post lauream a Sarmatis Iovi illatam. Supra epigr. 15, vs. 4.

6. *Exhilarant ipsos.* Tanta est nostra laetitia, ut deos ipsos afficiat, qui nobiscum accumbere vellent.

8. *Ambrosias.* Hoc est, divinas. Deus enim haberi volebat Domitianus. Lib. V, epigr. 8.

Grandia pollicitus, quanto maiora dedisti !
Promissa est nobis sportula; recta data est.

9. *Grandia pollicitus*. Epiphonema est, quo Domitiani liberalitatem extullit Poëta.

10. *Sportula*. Quam sustulit Domitianus, revocata coena recta Suetonius in Domitiano, cap. 7.

51. — DE PHIALA INSTANTII RVFI.

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris haec manus est; an, Polyclete, tua?
Livescit nulla caligine fusca, nec odit
Exploratores nubila massa focos.
Vera minus flavo radiant electra metallo,
Et niveum felix pustula vincit ebur.
Materiae non cedit opus: sic alligat orbem,
Plurima quum tota lampade Luna nitet.
Stat caper Aeolio Thebani vellere Phryxi

Laudat munus sibi ab Instantio Rufo missum.

1. *Quis labor, etc.* Cuius artificis opus est haec phiala mihi a Rufo missa? Myosne, Myronis, Mentoris, an Polycleti? caelatorum, de quibus Plinius lib. XXXIII, epigr. 12.—*Labor*, Proprie de caelatura *labor*. Hinc *laboriosi* caelatores dicti.

3. *Livescit nulla caligine*. Hoc est, phiala sincera est, et pura ab omni macula. — *Nec odit*. Sicut aurum adulterinum quod igne exploratum evanescit.

5. *Vera minus* Sensus est, inquit Raderus: Vera electra, seu succinum, minus radiant quam huius phialae flavum metallum, id est, aurum. *Vera electra* dixit ad differentiam electri factitii, quod fiebat ex quinta argenti portione auro admixta. At potest sic intelligi : Haec phiala ex electro factitio composita magis fulget quam verum electrum. Sed anteponendum prius.

6. *Et niveum*. De argento pustulato diximus lib. VII, epigr. 86. *Felix pustula* dicitur, vel quod feliciter et ingeniose esset elaborata, vel quod nostrum poëtam bearet.

7. *Sic alligat orbem*. Hoc est, phiala splendore et figura similis est Lunae plenae.

9. *Stat caper*. Sic Iuvenalis sat. I, 76: *Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.*—*Aeolio*. Nempe iste caper ornatus erat aureo vellere, quale habebat aries ille celeberrimus fabulis. Fingitur scilicet a Iove missum hunc fuisse, quo vectus mare traiiceret cum sorore Helle Phryxus. Erat is filius Athamantis regis Thebarum, cuius Aeolus pater fuit. Supra ep. 28.

Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror,
Hunc nec Cinyphius tonsor violaverit; et tu
  Ipse tua pasci vite, Lyaee, velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis;
  Palladius tenero lotos ab ore sonat.
Sic Methymnaeo gavisus Arione delphin
  Languida non tacitum per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus
  Non grege de domini, sed tua, Ceste, manus.
Ceste, decus mensae, misce Setina: videtur
  Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
Det numerum cyathis Instanti litera Rufi;

10. *Soror.* Helle, Phryxi soror: ab hoc enim capro si vecta fuisset, in mare non fuisset excussa.

11. *Nec Cinyphius tonsor.* Quid hoc genus, ad lib. VII, epigr. 95.

12. *Ipse tua.* Elegantissime dictum: namque grata Baccho victima hircus, lib. III, epigr. 24; attamen iste tam affabre erat formatus, ut sua vite libens illum pasceret Bacchus.

13. *Terga premit.* Capro insidebat Cupido.

14. *Palladius lotos.* Hoc est, tibia. *Lotos ad tibiarum cantus expetitur,* inquit Plinius lib. XIII, c. 17. *Palladius* dici videtur, quod frequens in Africa nascatur non procul a Tritone lacu sacro Minervae.

15. *Sic Methymnaeo.* Methymna Lesbi insulae urbs fuit, patria nempe Arionis; cuius historia legitur apud Herodotum lib. I.

16. *Non tacitum onus.* Hoc est ipsum Ariona lyra canentem.

17. *Imbuat egregium.* In phialam vinum primo infundat non quivis ex servis, sed Cestus puer formosissimus.

18. *Sed tua, Ceste.* Martiali in deliciis erat puer Cestus, de quo et modo supra dictum est epigr. 46.

19. *Misce Setina.* Vina nata Setiae in urbe Campaniae, hodie *Sezza.*

20. *Ipse puer.* Cupido caelatus in phiala.

21. *Det numerum.* De more bibendi pro numero literarum nominis vide lib. I, epigr. 72.—*Instanti (Instantii) litera Rufi.* Legunt alii *Instantis,* non *Instantii,* de quo lib. VII, epigr. 68, et lib. XII, epigr. 96. Attamen prior lectio placet Radero propter sequentem versum: *Si dubia est, septunce trahar.* Quum enim dominae essent venturae, parcius bibebant antiqui; ut lib. I, epigr. 107. Idcirco dixit Poëta: Si venit Telethusa, trientem tantum hauriam pro numero quatuor literarum, quas habet *Rufi* nomen in vocativo; at vero si incertum sit, num ad me ventura sit, hauriam septuncem pro numero septem literarum quas habet nomen *Instans* in recto. Si legeretur *Instanti,* in recto esset *Instantius*: decantem ergo haurire deberet. Videat lector. Difficilis mihi videtur iste locus. Forte Instans aut Instantius Rufus promi-

Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissaque gaudia portat,
Servabor dominae, Rufe, triente tuo:
Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem,
Vt iugulem curas, nomen utrumque bibam.

sive dicebatur: vel alter erat. Alii sic explicant. Si exspectanda sit amica, et hinc parcius bibendum, ut lib. I, epigr. 107, contentus ero quincunce, lib. I, epigr. 28, vs. 2; quinque cyathis, qui triens est tuus, hoc est, numerus tertiae partis nominis sui *Instantius Rufus*, quod literarum est xv. Eligat lector.

25. *Septunce trahar*. Septem cyathis, qui dimidium praeter propter literarum xv nominis tui.

26. *Vt iugulem curas*. Elegans Metaph. ut conficiam curas, affectus et amores, quae saepe cruciant, strangulant et iugulant homines, et hoc ex praecepto Ovidii lib. II, de Remed. Am. 809: *Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas Eripiat.* — *Nomen utrumque*. Hoc est undecim cyathos, seu deuncem; et aliis, quibus Instantius Rufus in recto casu sumi videtur, quindecim.

52. — AD CEDITIANVM.

Tonsorem puerum, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbae,
Aequandas semel in genas rogatus,
Rufo, Ceditiane, commodavi.
Dum iussus repetit pilos eosdem,
Censura speculi manum regente,
Expingitque cutem, facitque longam
Detonsis epaphaeresim capillis;
Barbatus mihi tonsor est reversus.

2. *Nec Thalamus*. Nomen tonsoris Neronis.

3. *Drusorum*. Familiae Neronis, cui cognomen addebatur Aenobarbi a Domitio: vid. ratio apud Plutarch. in Aemilio. Cf. Dion. VI. — *Contigere*. Ad radendum, comendum.

6. *Pilos eosdem*. Scilicet, dum iterum atque iterum barbae Rufi novaculam admovet. Hoc est, dum nimio studio ad speculi censuram pilos nunc hos, nunc illos cautius castigat.

9. *Detonsis aplopheresin* in codice Thuaneo. — *Epaphaeresim*. Non simul, sed lenta detonsione, ab ἐπαφαιρέω, *insuper detraho*.

10. *Barbatus*. Hoc verbo diutius a Rufo detentum fuisse Rufum significat Poëta.

53. — IN CATVLLAM.

Formosissima quae fuere, vel sunt,
Sed vilissima quae fuere, vel sunt,
O quam te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut magis pudicam!

1. *Formosissima, etc.* Hoc est, o tu omnium feminarum quae aut nunc sunt, aut olim fuerunt formosissima, sed et vilissima (quia scilicet omnibus prostituta)! tam rara est concordia formae atque pudicitiae.

1, 2. Noster hic poëta Catullum exprimit qui Carm. XLIX (edit. Vulpian.) ad Ciceronem: *Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli, Quotque post aliis erunt in annis.* Cicero ipse Decimo Bruto scribens, lib. XI, epist. famil. 21, hanc loquendi rationem adhibuerat: *Dii isti Segulio malefaciant, homini nequissimo omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt.* Ita Plautus Bacchid. Act. V, 1, 1; et Persa, Act. V, 2. 1; ita Livius, lib. XXIX, cap. 27. Ed. P.

4. Et ex hac lectione sensus exoritur acutior quidem, verum qui et Martialem minus sapiat; neque ullo modo stare possit cum versu, *Sed vilissima quae fuere, vel sunt.* Ed. P.

54. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Magna licet toties tribuas, maiora daturus
Dona, ducum victor, victor et ipse tui;
Diligeris populo non propter praemia, Caesar:
Propter te populus praemia, Caesar, amat.

Laudat congiarium Domitiani, argute satis; quum enim Imperatores largiendis donis studuerint sibi populum conciliare, ait munera amari propter Domitianum, non Domitianum propter munera.

1. *Toties.* Perditae enim huic multitudini quae nihil a regentibus expetebat praeter *panem et Circenses* congiarium ter dederat Domitianus (Vid. Sueton. in Domit.); et saepe spectacula, epulas, munera. Ed. P.

2. *Victor et.* Duplex ἡμιστιχίου huius sensus: 1.° qui nihil agis praeter rationem, quae victoria omnium difficillima videtur: 2.° qui te ipsum in dies virtute et benignitate superas. Et hunc ego praetulerim.

3. *Non propter munera* nonnulli.

55. — AD EVMDEM, DE LEONE.

Auditur quantum Massyla per avia murmur,
  Innumero quoties sylva leone furit,
Pallidus attonitos ad Poena mapalia pastor
  Quum revocat tauros, et sine mente pecus;
Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena.
  Quis non esse gregem crederet? unus erat:
Sed cuius tremerent ipsi quoque iura leones,
  Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem,
  Aurea lunatae quum stetit umbra iubae!
Grandia quam decuit latum venabula pectus,
  Quantaque de magna gaudia morte tulit!
Vnde tuis, Libye, tam felix gloria sylvis?

Numidicum et immanem leonem a Caesare in arenam missum et occisum laudat.

1. *Massyla.* Libyae pars est Massylia, in qua sunt multi leones.

3. *Pallidus.* Leonum rugitu exanimatus. Sic supra: *Raptor in hircano qui fugit* albus *equo.*

5. *Tantus in Ausonia, etc.* Non minore rugitu infremuit nuper leo terrorem incutiens in Romano amphitheatro.

7. *Ipsi quoque.* Hoc est, Tantus erat leo ille exhibitus in arena, ut inter alios leones leonibus ipsis rex videri posset.

8. *Marmore picta.* Marmore clara Numidia; Numidia enim maculoso marmore abundabat.—*Nomas.* Graeca vox, quae latine Numidiam valet; et Numidae prius Nomades dicti a νέμω. Sallust. et Plin. lib. V.

9. *O quantum decus.* Iubam insignem vocat *decus*: ut et Graecis et Romanis usitatissimum, qui ubi feras, equos, homines pingere occipiunt, iubam, crines, caesariem prius per hanc vocem *decus* significant, deinde et proprio nomine efferunt. Ed. P.

10. *Aurea lunatae, etc.* Quum fulva iuba horreret erecta undique in orbem, ad modum plenae lunae, eiusque extremitas aureo fulgore splenderet. Edd. vett. habuere *unda iubae*, quod et aptum sensum et pulcherrimam imaginem simul efficit. At codd. Thuan. Vat. Bodl. Florent. et Pulmann. *cum stetit umbra iubae.* Quam veram esse scripturam, et *umbram* saepenumero dici capillos et crines demonstrat Gronovius lib. IV, Obs. cap. 17.

11. *Grandia quam decuit.* Ingenti Domitiani venabulo convenit tam amplum leonis pectus.

12. *De morte magna gaudia, etc.* Ab ipso imperatore, Carpophoro, Glabrione vel alio nobili bestiario caesus.

13. *Vnde tuis, Libye.* Apostrophe ad Libyam leonum feracem, quam

A Cybeles numquid venerat ille iugis?
An magis Herculeo, Germanice, misit ab astro
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram?

beatam praedicat ob tam eximiam feram.

14. *A Cybeles.* Hoc est, ab Idae montis in Phrygia verticibus. Huic praeerat Cybele, quam a quatuor leonibus vehi fabulantur poëtae.

15. *An magis Herculeo.* Astrum Herculeum intellige leonem ab Hercule interfectum, atque inter Zodiaci signa relatum. Lib. IV, epigr. 57. *Germanicum* vocat Domitianum a devictis Germanis.

16. *Hanc tibi.* Vespasianus pater, vel Titus frater, inter deos relati. — Quasi imperatoris istius vani dominatum illustraret et posterorum laudibus commendaret portentosae magnitudinis leo! Ridicula prorsus adulatio, et quae id Iuvenalis, Sat. 4, 68 revocat: *Et tua servatum consume in saecula rhombum.* Ed. P.

56. — AD FLACCVM.

Temporibus nostris aetas quum cedat avorum,
Creverit et maior cum duce Roma suo,
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.
Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.
Iugera perdiderat miserae vicina Cremonae,

1. *Temporibus nostris, etc.* Nullos sit suo tempore Virgilios, quod nulli sint Maecenates. Videtur Flaccus de Martiale questus, quod nunquam ita se laudasset, ut Parthenium, Paulum et Rufum, qui dona miserant Poëtae, et Poëta vicissim carmen. Si vis, inquit, a me laudari, da munera Maecenatis, et ero tuus, si non Virgilius, certe Marsus. *Rad.* — *Quum cedat.* Qui fit ut nostro aevo, quo maxime floret Roma, nulli floreant vates?

2. *Cum duce Roma suo.* Meliore sub principe Domitiano pulchrior evaserit. Lib. V, epigr. 49, 5: *Pulchrior et maior quo sub duce Martia Roma?*

4. *Tanta tuba.* Stylo tam heroico et sublimi.

5. *Sint Maecenates.* Qui muneribus poëtas afficiant, quod quam liberaliter actitarit C. Cilnius Maecenas, notissimum est.

7. *Iugera.* Vide Virgilii eclogas I et IX. Cremona Bruti et Cassii partes secuta veteranis Augusti militibus praemii loco attributa fuerat; quibus quum non sufficeret, vicinum agrum Mantuanum, Virgilii patriam, assignari iussit Augustus. Itaque suo fundo spoliatus Virgilius Romam petiit; ubi propter ingenium carus Maecenati, non tantum possessionem suam re-

Flebat et abductas Tityrus aeger oves.
Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam
  Reppulit, et celeri iussit abire fuga:
Accipe divitias, et vatum maximus esto;
  Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
  Marmorea fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roseis carchesia labris,
  Quae poterant ipsum sollicitare Iovem.
Excidit attonito pinguis Galatea Poëtae,
  Thestylis et rubras messibus usta genas;
Protinus Italiam concepit, et Arma virumque,
  Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.
Quid Varos, Marsosque loquar, dilataque vatum
  Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Maecenatis
  Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

petravit, sed et munera amplissima consecutus est.

9. *Tuscus eques.* Maecenas nempe ordinis equestris a regibus Etruscis oriundus, ut et Propertius lib III: *Maecenas* eques etrusco *de sanguine regum*. En. P.

13. *Domini mensis.* Maecenatis.

14. *Marmorea fundens, etc.* Candenti purius Pario marmore. Et ἀντιτίθεται τῷ *nigra Falerna.*

15. *Carchesium* erat poculum Graecis tantummodo notum. Differt autem a *patera*, quacum saepius confunditur. Patera enim, ut et ipsum nomen indicat, planum ac patens est. Carchesium vero procerum, et circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertingentibus. En. P.

17. *Pinguis Galatea.* Sensus est: Non amplius humilia scripsit carmina de agresti Galatea, et Thestyli, cuius genae aestivo calore adustae erant.

19. *Italiam concepit, et arma virumque.* Id est, Aeneidem aggressus est, in qua praecipue de Italia agitur et cuius initium: *Arma virumque cano, etc.* — Frequentissime autem duo haec verba: *Arma virumque* Aeneida totam significant; et sic Persius in sat. 1, 96, « *Arma, virum,* nonne hoc spumosum et cortice pingui? » En. P.

20. *Vix Culicem.* Poëma quod scripsit Virgilius de culice.

21. *Dictataque vatum* in codice Pulmanni. — *Quid Varos.* Vari mentionem facit Virgilius ecloga 6.

24. *Marsus ero.* Epicus quidem non ero poëta, sed scribam epigrammata, qualia Marsus, de quo lib. II, epigr. 71, et lib. VII, epigr. 99. Herald.

scribit, *Marcus ero*, hoc est, inquit, Marcus ero Martialis, et huic nomini non minus celebritatis conciliabo, quam Virgilius olim conciliavit suo.

57. — DE PICENTE.

Tres habuit dentes, pariter quos exspuit omnes,
 Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum;
Collegitque sinu fragmenta novissima laxi
 Oris, et aggesta contumulavit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat haeres;
 Hoc sibi iam Picens praestitit officium.

1. *Expulit omnes* habet Beverlandi codex manu scriptus.

3. *Novissima fracti* in edd. vett Lectionem nostram exhibent codd. Grut. et Pulm. et editio Calderini. — *Collegitque*. Defunctorum ossa et cineres colligere atque inhumare solebant Veteres Picens vero iste, ut iocatur Poëta, non erit inhumatus; iam enim sui partem, dentes scilicet, terrae mandavit.

58. — IN ARTEMIDORVM.

Quum tibi tam crassae sint, Artemidore, lacernae,
 Possim te Sagarum iure vocare meo.

Ludit in ambigua voce *Sagari*. Artemidorus tam crassam enim gestabat lacernam, ut sagum videri posset. Quod si *Sagaris* sit genus scuti, quasi Artemidorus tam crassam gestaret lacernam, ut loco scuti esse potuerit. *Rad.*

1. *Artemidore lacernae*. Qui nomen habes ἀπὸ τῶν τῆς Ἀρτέμιδος δώρων, ac si tenuissima Minervae tela induceris (fallitur hic interpres Farnabius, non enim Minerva est Ἄρτεμις, sed Diana): quum tamen lacernis vestiaris non minus crassis quam sunt saga, *Sagarum* ego te pro Artemidoro vocabo.

59. — IN LVSCVM FVREM.

Adspicis hunc uno contentum lumine, cuius
 Lippa sub attrita fronte lacuna patet?

Nobilem et exercitatum furem monophthalmum seu unoculum celebrat, qui plus uno videbat, quam alii duobus oculis.

1. *Vno contentum*. Quod unus illi oculus sufficiat ad furandum.

2. *Sedet* legunt pro *patet* alii. — *Lippa lacuna*. Oculi scilicet amissi, a quibus putredo fluit. — *Attrita fronte*. Impudenti, effricta fronte.

Ne contemne caput, nihil est furacius illo;
Non fuit Autolyci tam piperata manus.
Hunc tu convivam cautus servare memento;
Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.
Pocula solliciti perdunt ligulasque ministri,
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec a cubito subducere pallia nescit,
Et tectus laenis saepe duabus abit.
Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil invasit, puerum tunc arte dolosa
Circuit, et soleas surripit ipse suas.

3. *Caput, etc.* Hominem, ut Graeci κεφαλὴν; pars pro toto sumitur. Vel simpliciter, caput unoculum noli credere inutile aut innocuum. — Sensus est: Ne desinas observare hunc hominem, licet luscum. Vid. not. ad vs. 5.

4. *Autolyci.* Cuius meminit Homerus, Iliad. K. Fuit ille Mercurii vel filius, ac ut pater, *Calidus quidquid placuit iocoso Condere furto.* — *Piperata.* Id est, calida. Fures autem calidas manus habere dicuntur, ut e Plauto atque Macrobio probavit Scriverius. *Gronov.*

5. *Servare memento.* Observare, servare oculis. Ita apud Graecos φυλάττειν duplici sensu.

8. *Et latet.* Et furatur mappas, quas in sinu condit.

10. *Laenis duabus.* Laena quam et chlamydem vocant, ut ait Bayfius de re vestiaria, genus est vestis militaris, qua etiam in coena utebantur antiqui, ut constat ex hoc loco. — *Duabus.* Sua scilicet atque aliena. Eleganter hoc modo furtum significatur.

11. *Vernam.* Verna est servus domi natus.

12. *Ardeat illa licet.* Nec tenebris opus esse putat, nec scelus curat nocte tegi.

14. *Et soleas.* Pueri ad pedes convivarum soleas custodiebant; sine calceis enim mensae accumbebant: iste vero luscus suas ipse soleas subripiebat, ne furandi artem dedisceret, aut quia non poterat se tenere quin unde unde aliquid alicui rapere gauderet.

60. — IN CLAVDIAM.

Summa Palatini poteras aequare colossi,
Si fieres brevior, Claudia, sesquipedem.

Longoliam aliquam feminam quam Poëta per hyperbolem locatur excedere statura altissimum Romae colossum, de quo epigrammate 2, lib. Spectac. 4.

61. — AD SEVERVM, DE CARINO.

Livet Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quaerit altos, unde pendeat, ramos;
Non iam quod orbe cantor et legor toto;
Nec umbilicis quod decorus et cedro
Spargor per omnes, Roma quas tenet, gentes;
Sed quod sub Vrbe rus habemus aestivum,
Vehimurque mulis non, ut ante, conductis.
Quid imprecabor, o Severe, liventi?
Hoc opto: mulas habeat, et suburbanum.

6. *Rus aestivum.* Hoc est, rus ad aestivandum.

9. *Mulas habeat.* Domitius sic intelligit: Habeat mulas meis similes, et suburbanum meo simile: hoc est, suas amplas divitias amittat, atque ad meam conditionem redigatur, seu pauper fiat. Alii sic: Mulas habeat quas oleribus ex horto suburbano decerptis onustas agat per urbem, et vendat illa olera, unde victum sibi quaeritet.

62. DE PICENTE.

Scribit in aversa Picens Epigrammata charta;
Et dolet, averso quod facit illa Deo.

Corripit quemdam et exagitat in scribendis epigrammatibus longiusculum; et ex eo acommatis ansam capit quod istum aliquis dixerit *aversa* charta scriptitare. — *Immo*, subiungit Noster, *et aversis deis*, iocatus, ut patet, in subita et inexspectata sensus variatione. Caeterum vid. not. seq.

1. *Scribit in aversa.* In una tantum parte chartae solebant scribere Veteres; qui vero ad nauseam usque, in tergo etiam scribebant.

2. *Et dolet averso.* Lib. II, epigr. 89: *Carmina quod scribis Musis, et Apolline nullo, etc.* Horatius Art. poët. 385: *Tu nihil invita facies dicesve Minerva.*

63. — DE AVLO.

Thestylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin;
Forsitan et nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc et dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum quum meus Aulus amet.

4. *Delicias.* Hoc est, pueros delicatos, qui deliciae poëtarum.

64. — IN CLYTVM.

Vt poscas, Clyte, munus, exigasque,
Vno nasceris octies in anno,
Et solas, puto, tresve, quatuorve
Non natalitias habes Kalendas.
Sit vultus tibi levior licebit
Tritis litoris aridi lapillis;
Sit moro coma nigrior caduco;
Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modo lactis alligati;
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella servat:
Tu nobis, Clyte, iam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestorisve?
Sit tandem pudor, et modus rapinis.
Quod si ludis adhuc, semelque nasci
Vno iam tibi non sat est in anno;
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

Clytus, saepius ut ab amicis natalitia munera reciperet, fere quot kalendis celebrabat natalem suum. Poëta impudentiam hominis arguit, et monet ut semel agat genethliaca, alioqui se nihil missurum, sed neglecturum perinde ac si natus non fuisset unquam. *Rader.*

2. *Nasceris octies.* Hoc est, natalitium diem octies celebras, ut toties munera accipias.

3. *Solas puto, etc.* Singulis mensibus, exceptis tantum tribus aut quatuor, habes fictitium natalem.

5. *Tibi levior licebit* MS. Beverl.— *Sit vultus, etc.* Sis licet imberbis, crine niger, tener et mollis; Priamum tamen et Nestora annis superare videris, qui toties celebraris natalem.

7. *Moro nigrior caduco.* Hoc est maturo, quidquid enim maturum sponte decidit.

9. *Massam modo, etc.* Metam lactis coagulati.

11. *Cruda.* Horatium imitatus qui lib. II, od. 11, v. 11: *Nuptiarum expers, et adhuc protervo Cruda marito.* Ed. P.

15. *Sit pudor.* Pudeat te, et finis imponatur tuis rapinis.

16. *Ludis.* Non, ut obvium videtur et bene multi putant, illudis, verba das, fraudem tentas; sed iocaris male salsus, quod Gallice, *tu badines*! Ed P.

18. *Nec semel putabo.* Hoc est, te negligam perinde ac si ne semel quidem natus esses, nec unquam munera ad te mittam. Suspicatus est quidam tacite hic spurium notari, de cuius natali non constet. Iudicet lector.

65. — AD DOMITIANVM.

Hic ubi Fortunae Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat:
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Caesar ab ore iubar;
Hic lauro redimita comas, et candida cultu
Roma salutavit voce manuque ducem.

Post victoriam Sarmaticam, arcum maximum triumphalem sibi poni iussit Domitianus, quem praeter alia illius opera celebrat hoc epigr. Martialis. Arcus statim a morte eius sunt disturbati. Tam multi erant per urbem conditi, ut uni ex iis graece quodam satis facete fuerit inscriptum, ἀρκεῖ, *sufficit*.

1. *Reducis fulgentia late.* Augusto ob reditum, ara Fortunae Reducis consecrata. Dion. lib. LIV. Domitiano a bello Sarmatico reduci, templum Fortunae Reducis aedificatum. *Τύχην ἐπανάγωγον* appellat Dio loco citato. Meminit huius Fortunae et Claudianus: *Aurea Fortunae Reduci si templa priores Ob reditum vovere ducum.*

2. *Felix area.* Vel quod in ea templum Fortunae destinatum sit, vel potius quod illic reversum Imperatorem primo salutaverit populus.

3. *Arctoi.* Sarmatici. — *Formosus pulvere.* Lyricum aemulatus, et ut reor, assecutus; qui lib. II, od. 1, *Duces* Non indecoro pulvere *sordidos.* Nil enim ingenii altitudinem et oestrum magis indicat quam novae huiusmodi verborum sociationes et, ut poëta poëtice dixit, *hymenaei.* Ed. P.

4. *Purpureum iubar.* Quod hic aiunt innui ruborem vultus, aegre fero. Neque sane utrum Domitiani in facie rubor iste, dubitaverim. Quo quid vulgatius? quum Suet. in Domitiano cap. 18, *Staturo fuit procera, vultu modesto,* ruborisque pleno; et in Agric. cap. penult. Tacitus, *Saevus ille vultus et* ruhor, *quo se contra pudorem muniebat.* Sed frigidum et puero quam poëta diguius ad id tali in re allusisse. Deinde quis nescit per *purpureum* non *tam rubrum* intelligi quam *coruscum, nitens, fulguribus* quodam modo *et radiis circumdatum?* Quod, gallice dictum *auréole*, Diis et Divis proprium finaimus. Conf. et Flacci lib. III, od. 3, vs. 11 et 12, quum principem Deum consilio inserens, ait: *Quos inter Augustus recumbens* Purpureo *bibit ore nectar.* Ed. P.

5. *Lauro redimito, etc.* Principi e bello reduci processerunt obviam cives laureati. Lib. VII, epigr. 6, v. 6. Et quoslibet laeta nuntiantes ad hoc exemplum excipiebant, et eo modo laetitiam suam testabantur. Vnde et domos lauro et caeteris frondibus ornabant in laetitia publica, et eiusmodi solennibus. — *Et candida cultu.* Albis vestibus induti triumphum comitabantur Romani. Iuvenalis sat. 10, 45: *Et niveos ad fraena Quirites.*

6. *Manuque ducem.* Adoratione, admota ori manu, ut in salutationibus deorum, inquit Lipsius. Retulere alii ad plausum quo imperatores excipi mos olim fuit. Quod certe melius, si ad hoc Nostri distichon attenderimus: *Quaeque sonant pleno vo-*

Grande loci meritum testantur et altera dona;
  Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequentem;
  Sufficit immensis aureus ipse iugis.
Haec est digna tuis, Germanice, porta triumphis;
  Hos aditus urbem Martis habere decet.

cesque manusque theatro, *Quum populus subiti Caesaris ora videt.*

7. *Et altera dona.* Arcum triumphalem, et templum Fortunae intellige, praeterquam quod ibi populus benigne a Domitiano exceptus fuit.

8. *Arcus ovans.* Ἀψὶς τροπαιοφόρος, arcus triumphalis, arcuata porta, cui e lapide in altum exstructae pictam inscribi victoriam eiusque seriem moris erat. De variis arcubus Domitiani, vide Sueton. Domit. cap. 13.

9. *Huic gemini currus.* Supra arcum collocatae erant duae quadrigae, propter duplicem ex Dacis victoriam, quibus elephanti iuncti erant, quos aurea Domitiani statua regebat.

10. *Aureus ipse, etc.* Id est, aurea effigie redditus (quemadmodum et Virgilio eclog. 7: *Si fetura gregem suppleverit*, aureus *esto*. Ed. P.); nam aureus et argenteus in istis arcubus stabat Domitianus. Neque enim statuas sibi nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi.

12. *Hos aditus.* Has portas arcuatas et triumphales. — *Vrbem Martis, etc.* Romam, a Martis progenie conditam.

66. — DE CONSVLATV SILII.

Augusto pia thura, victimasque
Pro nostro date Silio, Camoenae.
Bis senos iubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga

Consulatum filii, non patris Silii, ornat carmine Martialis; et optat, ut quondam et alter filius consul creetur; sicque consulares fasces ter ad domum Silii redeant. *Rader.*

1. *Augusto.* Imperatori scilicet Domitiano.

2. *Pro vestro* codex Palatinus, quae lectio impensius arridet Grutero. — *Date Silio.* Cuius filius a Domitiano creatus est consul cum Sextilio Laterano, anno V. C. 847, Christi nati 94.

3. *Redire.* Nempe in familiam Silii Italici, quam Castaliam dicit, hoc est, Musis deditam. Notum enim (e Plinii epist. iam commendata) quam fidelis poëseos cultor ille exstiterit, licet reipublicae administrandae diu particeps et provectus ad summas imperii dignitates: notum et eruditis viris haud nihili aestimandum poema cui titulus est *Punica.* Ed. P.

4. *Nato consule.* Filio Silii consulatum adepto.

Vatis Castaliam domum sonare,
Rerum prima salus et una Caesar,
Gaudenti superest adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque consul.
Pompeio dederit licet senatus,
Et Caesar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliavit
Ianus nomina; Silius frequentes
Mavult sic numerare consulatus.

5. *Domum sonare*. Quoties domum suam alienamve adibat consul, ad significandum eius adventum lictor antecedens virga sua forea pulsabat.

7. *Quod optet.* Vt nempe minor eius filius consul quoque fiat, cuius mortem refert Plinius Iunior lib. III, epist. citata.

10. *Et Caesar genero*. Agrippae Iuliam filiam in matrimonium collocavit Augustus, eumque ter consulem evexit.

11. *Pacificus, etc.* Templum Iani bis claudebatur ante Octavium, quod erat signum pacis. Tertio claudebatur, immo ter, sub ipso Augusto, semel quidem cum M. Agrippa secundum consule. Vnde nomina eorum illustrata. Alii *ter* referunt ad *ampliavit*, et sic explicant: Quorum tertium consulum nomina referebantur in fastos, qui in tutela et auspicio Iani. Epigr. II supra.

13. *Mavult sic.* Duos filios gerere consulatum, quam ipse ter esse consul, ut Pompeius et Agrippa.

67. — IN CAECILIANVM.

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, et tu
Iam conviva mihi, Caeciliane, venis,

Caecilianum convivam praemature ad coenam ventitantem, iubet aut maturius aut serius adesse, hoc est, omnino abesse.

1. *Horas quinque.* Nondum quintam, praeproperam nimis coenae horam. Coenare enim hora tantum nona (immo hiemis tempore non ante decimam. Ed. P.) solebant Romani. — *Puer nondum, etc.* Servorum erat nuntiare horas. Iuv. sat. 10, 216: ... *Clamore opus est, ut sentiat auris, Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.* Nuntiabant igitur horas pueri, et monebant quando lavare, gestare, coenare oporteret. Quam vero nonam dicebant, illa apud nos *trois heures du soir*. Aliter Graeci quibus decem tantum horae. Vnde distichon sequens Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς. Hoc est, *sex horae per labores exigendae; quae sequuntur literis dicunt quatuor VIVE*. Porro quatuor hae literae ζ, η, θ, ι, ibi numeros significant, et sunt 7, 8, 9, 10. Hebraei vero quibus dies naturalis constabat horis XXIV, numerare inci-

Quum modo distulerint raucae vadimonia quartae,
Et Floralicias lasset arena feras.
Curre, age, et illotos revoca, Calliste, ministros;
Sternantur lecti; Caeciliane, sede.
Caldam poscis aquam: sed nondum frigida venit;
Alget adhuc nudo clausa culina foco.
Mane veni potius: nam cur te quinta moretur?
Vt ientes, sero, Caeciliane, venis.

piebant a vespere; quod et Galli (Caesar. de B. G. edit. Paris. T. I, p. 258) et Athenienses. Neque ulla consuetudinis illius causa, nisi quod tenebrae sive Chaos ante lucem, ante mundum fuerunt. Ed. P.

3. *Raucae vadimonia partes* Ant. *de Rooy* conj. Vide Phaedr. de litigantibus lib. III, fab. 13, et ibid. Scheff. *Raucae vadimonia chartae* in quibusdam. Legunt alii: *raucae vadimonia cerae*; id est, libelli forenses, inquit Domitius. Raucae chartae dicuntur, meo iudicio, pro ipsis raucis causidicis. — *Quum modo*. Quum modo in alterum diem dimissa sint vadimonia, atque caussae forenses quae hora tertia agebantur. Lib. IV, epigr. 8: *Exercet raucos tertia causidicos*. Vadimonium vero sponsio est sistendi in iudicio.

4. *Et Floralicias*. De ludis in honorem Florae celebratis dictum lib. I, epigr. 1. In his lepores, capreae, atque alia animalia exhibebantur ab aedilibus

5. *Illotos*. Hora octava lavabant Veteres.

6. *Sternantur lecti*. In triclinio nempe.

7. *Nondum mihi frigida venit* Lips. Elect. lib. I, cap. 4, legit. — *Caldam poscis*. Qua vinum temperabatur. Lib. I, epigr. 12. — Aut, uti placet quibusdam, ut ad vomitum exciteris: Qui mos, ut nunc infrequens, ita olim Romanis usitatus, Caesari in primis. Ed. P.

8. *Nudo clausa*. Hoc est, nondum adsunt ligna quibus excitetur ignis.

9. *Mane veni potius, etc.* Importune et intempestive venisti, perinde ac primo mane: opportunius et humanius venisses tarde et post coenae horam.

68. — AD ENTELLVM.

Qui Corcyraei vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuae praeferat ille domus.
Invida purpureos urat ne bruma racemos,

Vindemiam Entelli florentem etiam hyeme, miroque artificio conservatam laudat.

1. *Corcyraei, etc.* Alcinoi regis Phaeacum.

3. *Vrat ne bruma racemos*. Inter

Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
Condita perspicua vivit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Femineum lucet sic per bombycina corpus;
Calculus in nitida sic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum sterilis ferre iubetur hyems.

alias arbores vitis praesertim uritur frigore, quum ab eo eircumobsessus calor naturalis interius contrahitur ultra modum.

4. *Bacchi munera.* Quibus valde inimicum est frigus.

5. *Perspicua gemma.* Lapidibus specularibus, ut epigr. 14 supra.

7. *Per bombycina corpus.* Multitia e bombyce vel serico intexta, ita tenuia et pellucida ut *Sumptis iis mulier parum liquido nudam se non esse iuravisset.* Seneca, Epist. et Plinius, Hist. Nat. lib. XI, cap. 22, de Pampbila Coa quae id genus vestis prima reperit, non *fraudanda gloria excogitatae rationis ut feminas denudet vestis.* Huiusmodi vestes vitreae primo non matronis Romanis in usu erant, sed solis meretricibus.

8. *Sic numeratur aqua.* Ita perlucent et apparent calculi, ut numerari possint.

9. *Quid non.* Sensus est: Quid non efficere potest ingenii humani solertia?

10. *Autumnum, etc.* Ita muniti specularibus horti, ipsa bruma fructus fuerunt, perinde ac in autumno.

69. — IN VACERRAM.

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poëtas.
Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.

Veteres et mortuos tantum laudabat poëtas Vacerra. Cui Martialis argute: Ego, pace tua dixerim, non tanti facio tuas laudes, ut tua caussa velim ante diem mori, quo abs te laudari possim.

3. *Tanti Non est.* Sensus est: Non tanti facio tuas laudes, ut mori velim, quo a te laudari possim. Forte non male legeris: *tanti Non est, ut pereum, tibi placere.*

70. — DE NERVA.

Quanta quies placidi, tanta est facundia Nervae;

Laudat M. Vlpium Cocceium Nervam qui postea Imperator. En P.

1. *Quanta quies, etc.* Aeque facundus et carmine dulcis est Nerva, ac mitis et lenis.

Sed cohibet vires ingeniumque pudor.
Quum siccare sacram largo Permessida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim;
Pieriam tenui frontem redimire corona
Contentus, famae nec dare vela suae.
Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

3. *Quum siccare sacram*. Permessia fons labitur ex Parnasso: hoc est, modice bibit e fonte Musarum, seu pauca scribit carmina, quum alioqui plura, et quidem egregia scribere posset.

5. *Tenui corona*. Ex hedera nempe, qua leviores poëtae, elegiographi et epigrammatarii; epici vero querna corona cingebantur. Carminibus heroicis quernam coronam consequi poterat Nerva, sed elegiis et epigrammatibus hederaceam maren satia habuit.

6. *Famae nec vela dare*. Non colligere omnem, quam possit, nominis celebritatem. Haec per translationem dicta, pro, celebrem facere famam suam.

8. *Carmina qui docti*, etc. Satis notum vel e Persii satyris, versiculos factitasse Neronem.

71. — IN POSTVMIANVM.

Quatuor argenti libras mihi tempore brumae
Misisti ante annos, Postumiane, decem.
Speranti plures (nam stare aut crescere debent
Munera) venerunt plusve, minusve duae.
Tertius et quartus multo inferiora tulerunt.
Libra fuit quinto Septitiana: quid est?

Postumianus quotannis, ad Saturnalia, poëtam donis coluit; sic ut quo magis crescerent anni, eo minus donaret, iamque post decimum annum adeo minuerat munera. Monet ergo hunc Martialis, ut incipiat a primo tandem anno, rursumque mittat quatuor argenti libras, atque ita deinceps pergat. *Rader*.

4. *Tempore brumae*. Mense Decembri, quo celebrabantur Saturnalia, et munera amicis mittere solebant Romani.

3. *Nam stare*, etc. Plinius iunior lib. III, epist. IV, sect. 6: *Est enim ita comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules*, etc. et Seneca de Beneficiis II, cap. 11: *parum est dedisse, fovenda sunt beneficia*, etc.

6. *Septitiana*. Duodecim unciis constabat libra Romana, quae tamen secundo bello Punico urgente ad novem uncias cum semuncia redacta

Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno;
  Post hunc in cotula rasa selibra data est.
Octavus ligulam misit sextante minorem;
  Nonus acu levius vix cochleare tulit.
Quod mittat nobis, decimus iam non habet annus;
  Quatuor ad libras, Postumiane, redi.

est, et libra Septiliana, ut existimat Raderus, a *Septis*, ubi Romani negotiabantur atque ad pondus vendebant, sic dicta, ut conicit Farnabius.

7. *Bessalem, etc.* Ad vasculum octo unciarum. *Bessalis* ergo a besse: bes octo constat unciis. *Scutula* vero erat vas cavum et rotundum a scuto dictum; unde et *scutella* apud Ciceronem.

8. *In cotula.* Quae *catula*, *cotyla*, mensurae est genus, quod sex uncias capiebat. — *Rasa selibra.* Forte intelligit simul cum cotyla datam fuisse selibram argenti. Alii *rasa* referunt ad cotylam, sed quantitas repugnat.

9. *Octavus ligulam.* Genus mensurae. Plures alias significationes habet ligula, vid. epigr. 33 supra. Sextanti autem duae numerantur unciae.

10. Κοχλιάριον pars erat decima κυάθου· ligula, quarta cyathi: cyathus et κύαθος idem.

12. *Quatuor, etc.* Incipe rursus a primo anno, et perage, si placet, annua munera in circulum. — *Quatuor ad, etc.* Sic lepide mendicat Poëta.

72. — AD LIBRVM SVVM.

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus,
Artanum properas sequi, libelle;
Quem pulcherrima iam redire Narbo,
Docti Narbo Paterna Votieni
Ad leges iubet annuosque fasces:
Votis quod paribus tibi petendum est,

Artano Narbonem redeunti comitem donat libellum, vices auctoris obeuntem, qui vellet ipse esse libellus, id est, comes Artani.

4. *Narbo*, aliter *Narbo Martius*, vetus Galliae civitas, hodie *Narbonne*; quae erat colonia romana ad reipublicae romanae imaginem administrata. Romae erat senatus, sic in coloniis erant decuriones. Ex decurionibus iuridicundo duumviri creabantur singulis annis, qui romanos consules repraesentabant. Hinc Poëta Artanum revocari dicit ad leges, hoc est, ad ius dicendum, et ad fasces, id est, ad magistratum gerendum.

7. *Votis quod.* Nempe frui illo loco, atque Artano amico.

Contingent locus ille, et hic amicus.
Quam vellem fieri meus libellus!

9. *Quam vellem.* Hoc est, quam optarem ipse vice libelli comitari Artanum, ut utroque fruerer: Narbone, loco amoenissimo; Artano, amico sincerissimo! Ovid. Amor. II, 15, vs. 8: *Invideo donis iam miser ipse meis. O utinam fieri subito mea munera possim!* Ed. P.

73. — AD INSTANTIVM.

Instanti, quo nec sincerior alter habetur
 Pectore, nec nivea simplicitate prior;
Si dare vis nostrae vires animosque Thaliae,
 Et victura petis carmina; da, quod amem.
Cynthia te vatem fecit, lascive Properti;
 Ingenium Galli pulchra Lycoris erat:
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli;
 Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.
Non me Pelignus, nec spernet Mantua vatem;
 Si qua Corinna mihi, si quis Alexis erit.

2. *Nivea simplicitate.* Id est, qui candidus atque simplex.

3. *Animosque Thaliae.* Amor quippe felicem ingenio materiam suppeditat: Vnde sic in arte poëtica Nostras *Boileau*:

Mais pour bien exprimer ces caprices heureux,
C'est peu d'être poète, il faut être amoureux.

5. *Cynthia te vatem, etc.* Latinos recenset poëtas, quorum ingenia amor excitavit, quorum amores et amicas nemo propemodum non audivit, quamvis sub aliis nominibus celebrentur.

9. Sensus est: Mea etiam carmina legentur a Pelignis et Mantuanis, licet Ovidio illi, hi Virgilio multum faveant.

74. — IN MALVM MEDICVM.

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante:

Imperitum medicum irridet, ex vicina vocum cognatione capto ioco.

1. *Hoplomachus.* Is est, qui armis pugnat gravissimis, gladiator (ex ὅπλον et μάχη): ophthalmicus vero medicus est qui curat oculos (gallice *oculiste*), sic dictus ab ophthalmia, quae mala est oculi affectio.

Fecisti medicus, quod facis hoplomachus,

2. *Fecisti medicus.* Imperitia homines necasti, quum esses medicus, quos et nunc occidis gladiator. Ego malim: excaecas homines; videturque Samnitium et gravis armaturae gladiatorum pugna fuisse punctim ferire. Vid. Lipsii Saturnal.

75. — DE GALLO LINGONO.

Dum repetit sera conductos nocte Penates
Lingonus a Tecta Flaminiaque recens,
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
Et iacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus, qua se ratione moveret?
Ingenti domino servulus unus erat,
Tam macer, ut minimam posset vix ferre lacernam;
Succurrit misero casus, opemque tulit.
Quatuor inscripti portabant vile cadaver,

locus est ἀπ' ἀμφιβολογίας; in Gallum, qui offenso pede eliserat talum; quem iacentem, vespillones a servulo unico et macro rogati, retulerunt domum in sandapila. Gallos porro, qui sacerdotes Cybeles, *mortuos* improbae linguae homines vocabant. Et hic quem in sandapila, sicut cadaver, ferebant, mortuus videbatur. Licebat ergo, siquando licuit, scomma illud iacere: *mortue Galle!*

3. *Expulit offenso*, etc. Elisit talum, laeso pollice pedis, vel forsan intorto.

6. *Ingenti domino.* Hoc est, corpore valde obeso et procero. Annotandum hic inimicitiam quodammodo Galliae et Gallis indixisse Martialem. Et id forsan quod ipse ex Hispanae. Nam, ut mihi videtur, peregrini Hispani et Galli ad Romanos minoris aestimabantur; ut sibi Hispani solatium afferebant Gallos irridendo.

7. Non omnino spreverim legere *lucernam.* Modo enim Noster ... *sera nocte*; et inter noctem necessaria magis est *lucerna* quam *lacerna.* Praeterea non multum crescit, hac lectione recepta, vis hyperboles. Ed. P. — *Ferre lacernam.* In usum domini, adversus ingruentem subito pluviam, aut quamcumque tempestatem.

8. *Succurrit misero.* Servo misero, qui dominum portare non poterat, casu occurrerunt vespillones, qui cadaver efferebant.

9. *Inscripti*, etc. Servi stigmatiae, literis inusti, literati vespillones; enimvero sic dicti a notis et literis, quae improborum frontibus inurebantur. Vel servi: erant enim publica mancipia huic operi attributa; et *inscripti*, ut *literati* Plauto et Apuleio. — *Vile cadaver.* Et idcirco ab

Accipit infelix qualia mille rogus.
Hos comes invalidus submissa voce precatur,
Vt quocumque velint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur;
Cui merito dici, Mortue Galle, potest.

nscriptis servis et vespillonibus baiulabatur.

10. *Infelix rogus.* Hoc est, pauperum rogus, in quem scilicet multi simul coniicerentur.

11. *Precatur.* Hos nempe vespillones.

12. *Corpus inane.* Hoc est, mortuum deponant, quocumque in luco voluerint; iacentem vero suum dominum tollant. Alii putant Poëtam alludere ad Gallos Cybeles sacerdotes, qui castrati inanes seu impotentes erat ad generandum. Videat lector.

13. *Stipata.* Hoc est, Gallus obesus valde coarctatus ponitur in sandapila, quae erat pauperum feretrum. Vel *stipata* dicitur a quatuor inscriptis servis libitinariis, qui mortuos efferrent.

16. *Mortue Galle.* Dicterium est in Gallos Cybeles sacerdotes, qui impotentes ad generandum, et effeminati, merito *mortui* nuncupabantur. Hic autem Lingonus a vespillonibus elatus poterat iure mortuus vocari.

76. — IN GALLICVM.

Dic verum mihi, Marce, dic amabo;
Nil est, quod magis audiam libenter:
Sic et quum recitas tuos libellos,
Et causam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me rogasque semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare:
Vero verius ergo quid sit, audi:
Verum, Gallice, non libenter audis.

Argutissime tangit Gallicum de suo ingenio scriptisque sententiam Poëtae requirentem, et aliquid laudis aucupantem.

1. *Mihi .... libenter.* Eae sunt voces quas perpetuum Gallicus recitans in ore habet.

3. *Libellos.* Videtur mihi hic de poëticis opusculis tangere; proximo autem versu de iis quae soluta oratione. Fortean tamen in hoc constat ἀντίθεσις, ut ad publicas recitationes versiculus prior, publicam ad actionem posterior referendus sit. Ed. P.

77. — AD LIBERVM AMICVM.

Liber, amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber, in aeterna vivere digne rosa;
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, et cingant florea serta caput.
Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno,
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic vel medio finitus vixit in aevo.
Longior huic facta est, quam data vita fuit.

2. *In aeterna rosa.* Hoc est, in perpetuis voluptatibus.

3. *Amomo Assyrio, etc.* Vnguentis delibuti et floreis sertis coronati convivabantur Veteres.

4. *Splendeat.* Nitescat: an, quod more romano optatissimum fuit, flavescat? Ed. P.

5. *Candida nigrescant.* Poculum enim ex crystallo vini infusi colorem trahit: Falernum vero fuscum est. — Vnde et supra *marmorea fundens* nigra *Falerna manu.* Ed. P.

7. *Vel medio.* Qui voluptatibus sic sese immiscuit, etiamsi media aetate occidit, diutius tamen vixit, quam Dii concesserunt: Poëta enim non numero dierum, sed voluptatibus vitam longiorem aestimat. Lib. I, epigramm. 16.

78. — DE LVDIS STELLAE.

Quos cuperet Phlegraea suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa, Lyaee, tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi;

Laudat Stellam, a quo praeter triumphum Domitiani, carmine celebratum, etiam ludi ad honorem Principis, et victoriae memoriam sunt dati: quem tamen honorem praesentia Caesaris supersvit; quod his Stellae ludis interesse non sit dedignatus. *Rader.*

1. *Quos, etc.* Magnificos ita et splendidos ludos ut iis cuperet Phlegraea victoria, iis Indiae triumphator Bacchus celebrari. Ed. P. — *Phlegraea.* Victoriam Phlegraeam intellige, quam de Gigantibus retulit Hercules in planitie Cumaea, quae olim Phlegraea (a φλέγειν, *urere*) dicebatur ob flammas illic erumpentes.

2. *Indica pompa.* Quem scilicet Bacchus triumphum debellata India egit, hunc nuper Stella exhibuit, ut Domitiani victoriam de Sarmatis celebraret. Triumphum Bacchi cum illa Herculis victoria coniunxit etiam Silius Italicus, Punicorum lib. XVII, 647.

3. *Fecit Hyperborei, etc.* Fecit ludos Sarmatici triumphi, quem et carmine descripsit Stella.

O pudor! o pietas! et putat esse parum.
Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus, et Hesperio qui sonat orbe Tagus.
Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat; et in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis;
Nunc dat spectatas tessera larga feras:
Nunc implere sinus securos gaudet, et absens

5. *Non illi.* Tagus fluvius Hispaniae, Hermus etiam Lydiae arenas aureas vehunt, quae, multae licet, Stellae liberalitati non sufficiunt.

7. *Omnis habet.* Ludi celebrabantur per plures dies, quibus singulis in populum munera spargebantur. Alii *lineam divitem* sumunt pro ordine subselliorum, et pro orchestra in qua spectabat Senatus. Lipsius in notis ad Raderum missis sic explicat, ut refert ipse Raderus: *Mihi*, inquit, *videbatur* linea *pro ordine subselliorum capienda, et interpretabar non solum populum habere quod caperet in missilibus, sed et Senatum.* Dives *igitur* linea *orchestra.* Et haec sententia placet Radero; Poëta enim, inquit, videtur consilio distinxisse popularia ab orchestra, quum subiecit: *et in populum multa rapina cadit.* Sic Ovid. in Amor. III, 2, 19, lineam accipit pro ordine sedentium: *Quid frustra refugis? cogit nos linea iungi.* Lineam *divitem* libenter explicarem schedulam, in qua scriptum esset quid pretiosum, quod referenti schedulam donaretur: in tesseris vero seu globulis ligneis scripta erant ferarum nomina, quae distribuebantur rapientibus tesseras. — Quid si intelligas, uno in loco, et quasi una in linea collocatum quidquid parat ille multitudini elargiri; neque unquam hac in linea, licet perpetuum multa ex ea iacienda et spargenda rapiantur, vacuum quid adspici, quum in illorum quae rapta sunt locum alia subinde et alia collocentur? Ed. P.

8. *Multa rapina.* Id est multa quae rapiantur.

9. *Nunc veniunt subiti lasciva numismata nimbi* ex veterrimo codice Vaticano legit Heinsius. — *Nunc veniunt.* E loco nempe superiore sparguntur nummi sestertiis, quos lascivos vocat, quod forte populum ad se alliciant vel recreent, vel quod per inane volantes ludere, lascivire quodammodo videantur. Ed. P.

10. *Nunc dat spectatas, etc.* In sphaerulis seu tesseris ligneis, quae spargebantur in populum, inscripta sunt munera vulgo cessura, vel visarum et praesentium, vel absentium ferarum aviumque. Tesseras ergo et sphaerulas seu globulos populus rapiebat quum iactarentur, et quod quisque in tessera signum habebat, illud accipiebat ab Imperatore; ut si tesserae esset inscriptus cervus, equus, domus, domum, equum vel cervum a Caesare vel munerario accipiebat.

11. *Nunc implere.* Hoc est, ut mihi videtur: Aves absentes, seu in arena non exhibitae tesseris inscriptae dan-

Sortitur dominos, ne laceretur, avis.
Quid numerem currus, ter denaque praemia palmae,
Quae dare non semper consul uterque solet?
Omnia sed, Caesar, tanto superantur honore,
Quod spectatorem te tua laurus habet.

tur iis, quibus forte contigit tessere: at vero si aves emissae fuissent, a diripientibus laceratae fuissent.

12. *Sortitur dominos.* Qui symbolum iactum occuparunt.

13. *Quid numerem currus.* Aurigarum factiones. — *Ter denaque*, etc. Ingentia victoriarum praemia. Palma enim multis praemium. Gladiatores victores eum palma discurrebant.

14. *Quae dare.* Sensus est: Plura victoribus praemia dedit Stella, quam ambo Consules, quum simul edunt ludos.

15. *Tanto superantur.* Stellae ludi per se quidem celebres, tua praesentia, o Domitiane, celeberrimi facti sunt.

16. *Tua laurus.* Id est quos ludos ob lauream tuam Sarmaticam exhibet Stella.

79. — IN FABVLLAM.

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque foediores;
Has ducis comites, trahisque tecum
Per convivia, porticus, theatra.
Sic formosa, Fabulla, sic puella es.

Feminam carpit, quae quum venusta parum, haud tamen turpis videbatur, quia numquam aspectabatur nisi feminarum turpissimarum globo cincta. Quum enim iis compararetur, pulchrior multo videbatur. Ita quaedam satis lepide ad invidam quae dicebat: *Temet nempe bellam existimas? — Minime, si me adspexerim; multum, si aliam.* Ed. P.

5. *Sic formosa.* Hoc est, collata cum illis vetulis, tibi videris formosa et adolescentula.

80. — AD DOMITIANVM.

Sanctorum nobis miracula reddis avorum,

Pugilatum exercuere Lacedaemonii, eiusque pugnae auctorem Pollucem tradunt, qui ab Homero Iliad. Γ, πὺξ ἀγαθὸς nominatus. Domitianus iam desuetum pugilatum revocavit, a quo facto eum Poëta laudat, et affirmat

Nec pateris, Caesar, saecula cana mori;
Quum veteres Latiae ritus renovantur arenae,
Et pugnat virtus simpliciore manu.
Sic priscis servatur honos te praeside templis,
Et casa tam culto sub Iove numen habet.
Sic nova dum condis, revocas, Auguste, priora:
Debentur quae sunt, quaeque fuere, tibi.

illi in acceptis referenda et antiqua et recentia spectacula, templa, etc. *Raderus.*

1. *Sanctorum nobis.* Hoc est, pugiles in arena exhibuisti, quos miratur antiquitas; nec enim gladiatorum cruenta spectacula priores Romani edidere; nec venationes tam feras, ut cum feris cogerentur pugnare homines. — *Sanctos* autem dicit avos, non ob mansuetudinem at φιλανθρωπίαν, sed ob antiquam probitatem et incorruptum animum. Ed. P.

2. *Nec pateris.* Prisca saecula excidere ex nostra memoria. — *Cana.* Hoc est antiqua, vetera. An pro *saecula canorum avorum?*

3. *Quum veteres.* Scilicet pugnaverunt olim in romanis amphitheatris at pugiles. Volunt quidam in hoc versu pro *renovantur*, *renoventur*; item in sequenti *pugnet*, pro *pugnat*. Inutiliter, et contra unanimem scripturam.

4. *Simpliciore manu.* Pugnis tantum, et caestibus, non ferro, non tridente, etc.

5. *Sic priscis servatur.* Quemadmodum ludos veteres renovas, sic et templa antiqua veneraris, nec sinis quos ibi olim colebant Deos negligi.

6. *Et casa, etc.* Nec Iupiter donariis uteumque dives et magnificis templis cultus, fastidit humilem suam in Capitolio casam: nec Domitianus Iupiter noster, in tanta gladiatorum copia, dedignatur spectare pugiles. — Namque in Capitolio inter tortiles et striatas et omnis modi columnas, casula erat Iovi sacra, casulae illius similitudinem referens quam, quum Vrbem conderet, Romulus Iovi dedicaverat. Ed. P. — *Tam culto sub Iove.* Quem nimirum tam assidue colis, et cui tot et tanta donaria offers.

7. *Sic nova dum... priora.* Domitianus plura templa condidit, atque antiqua plura restauravit. Vid. Suetonius in Domitiano. Atque ita, ait Poëta, ad omnia reipublicae tempora eius gloria pertinet.

81. — DE GELLIA.

Non per mystica sacra Dindymenes,

Gellia vita sua cariores habebat gemmas, sine quibus negabat se posse vivere. Poëta precatur, ut a fure Sereno gemmae clepantur, vel Gellia moritura. *Rader.*

1. *Sacra Dindymenes.* Id est, Cy-

Nec per Niliacae bovem iuvencae,
Nullos denique per Deos, Deasque
Iurat Gellia; sed per uniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur;
Hos fratres vocat, hos vocat sorores;
Hos natis amat acrius duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Eheu quam bene nunc, Papiriane,
Annaei faceret manus Sereni!

belas sic dictae a Diodymo Phrygiae monte ubi colebatur. Dicitur etiam Berecynthia mater, per cuius sacra iurare solebant antiqui.

2. *Niliacae bovem.* Hoc est, nec per Apim bovem, sub cuius specie Aegyptii colebant Osirim, cui nupsit Isis Aegyptiorum Dea ex Io vacca. Sic Farnabius.

4. *Vniones.* Margaritas, gemmas. Per ea vero quae sibi carissima fuerunt, iurabant Veteres.

5. *Hos perosculatur* in quibusdam editis.

6. *Hos fratres vocat.* Iuvenalis vividius etiam alloquitur nummos, quam quod de unionibus hic dicit Martialis: *O nummi, vobis hunc praestat honorem; vos estis fratres.* Sat. v, vs. 136. Ed. P.

10. *Papyriane* in eadem.

11. Vtinam, inquit Poëta, Annaeus Serenus, Gelliae uniones subduxisset! etiamsi illa prae dolore moreretur, digna quidem morte, quippe quae uniones vehementius liberis, immo et Diis ipsis amet.

82. — AD DOMITIANVM.

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque, qui domino carmina parva damus,
Posse Deum rebus pariter Musisque vacare
Scimus; et haec etiam serta placere tibi.

Laudat Domitianum quod faveat poëtis; nec summis et epicis tantum, sed epigrammatariis etiam.

1. *Dante tibi.* Per libellos supplices principem adibat populus: *quereli* vero dicuntur libelli, per quos conquerimur de infortunio vel iniuria; atque auxilium petimus.

3. *Posse Deum.* Domitianum scil. posse et Musis vacare, et terrarum orbem administrare. Namque, postquam Cerialis in Gallia fidem frustra tentavisset, *in altitudinem conditus, studium literarum et amorem carminum simularat* (Tacit.); unde vasta adulationum seges. Ed. P.

Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior deliciaeque sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phoebi;
Fiat et ex hedera civica nostra tibi.

7. *Non quercus, etc.* Non quercus sola te, o Imperator, decet, non laurus, ob servatos cives devictosque hostes; sed et hederae *doctarum praemia frontium* tibi poëtae poëtisque faventi debentur. Sic affatur Augustum Virg. Ecl. VIII, 12: *atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros.* Ponebatur enim querna corona, civica dicta, in vestibulo Palatii, laurus ante limina. Quod primum in honorem Augusti factum apud posteros invaluit et caeteris Imperatoribus datum. — *Laurea Phoebi.* Amatissimam Apollini laurum, ut et olim Δάφνην, omnes sciunt. Ed. P.

8. *Hedera.* Quam poëtis levioribus propriam supra diximus; epigrammatibus vero quid levius? Ed. P.

TABVLAE OCTO

NVMMORVM, PONDERVM, MENSVRARVM, APVD ROMANOS ET GRAECOS

AVCTORE A. LETRONNE,
ACAD. INSCR. SOCIO.

TABVLA I.

ROMANA PONDERA GALLICIS PONDERIBVS RECENTIORIBVS EXPRESSA.

	Grammata.		Kilogr.	Grammata.
Scripulum	1. 136.	Dupondium 2 asses ..	—	654. 374.
Sextula	4. 544	Tressis 3 — ..	—	981. 561.
Sicilicus	6. 816.	Quadrussis 4 — ..	1.	308.
Duella	9. 88.	Quincussis 5 — ..	1.	636.
Semuncia	13. 633.	Sexcussis 6 — ..	1.	963.
Vncia	27. 265	Septussis 7 — ..	2.	290.
Sescuncia 1 ½ unc. . . .	40. 898.	Octussis 8 — ..	2.	617.
Sextans 2 unc. . . .	54. 531.	Nonussis 9 — ..	2.	945.
Quadrans 3 — . . .	81. 797.	Decussis 10 — ..	3.	272.
Triens 4 — . . .	109. 62.	Vigessis 20 — ..	6.	544.
Quincunx 5 — . . .	136. 328.	Trigessis 30 — ..	9.	815.
Semis 6 — . . .	163. 593.	40 — ..	13.	87.
Septunx 7 — . . .	190. 859.	50 — ..	16.	359.
Bes 8 — . . .	218. 125.	60 — ..	19.	631.
Dodrans 9 — . . .	245. 390.	70 — ..	22.	903.
Dextans 10 — . . .	272. 656.	80 — ..	26.	175.
Deunx 11 — . . .	299. 922.	90 — ..	29.	447.
AS, sive libra romana. . .	327. 187.	Centussis 100 — ..	32.	718.

TABVLA II.

ROMANI NVMMI IN FRANCOS EORVMQVE CENTESIMAS CONVERSI.

Sestertii.	Denarii.	Ab an. V. C. 536 ad 720.		Augusto imperante.		Tib.-Claud. imperantibus.		Nerone imperante.		Galba-Domit. imperantibus.	
		FR.	C.	FR.	C.	FR.	C.	FR.	C.	FR.	C.
4	1	″	82	″	79	″	78	″	73	″	70
8	2	1	64	1	59	1	56	1	47	1	41
12	3	2	46	2	38	2	34	2	20	2	12
16	4	3	27	3	18	3	12	2	94	2	83
20	5	4	99	3	97	3	89	3	67	3	55
24	6	4	91	4	77	4	67	4	41	4	24
28	7	6	75	5	66	5	45	5	14	4	95
32	8	6	55	6	36	6	23	5	88	5	66
36	9	7	36	7	15	7	1	6	62	6	36
40	10	8	19	7	95	7	79	7	35	7	8
44	11	9	2	8	74	8	57	8	8	7	78
48	12	9	84	9	54	9	34	8	82	8	48
52	13	10	70	10	33	10	12	9	55	9	48
56	14	11	46	11	32	10	90	10	28	9	90
60	15	12	28	12	11	11	68	11	1	10	60
64	16	13	10	12	72	12	46	11	76	11	32
68	17	13	92	13	51	13	24	12	49	12	2
72	18	14	72	14	30	14	8	13	21	12	72
76	19	15	54	15	9	14	80	13	97	13	42
80	20	16	38	15	90	15	58	14	70	14	14
100	25	20	45	19	88	19	48	18	38	17	79
120	30	24	56	23	85	23	38	22	5	21	22
160	40	32	75	31	80	31	17	29	41	28	31
200	50	40	91	39	76	38	96	36	76	35	58
240	60	49	13	47	71	46	76	44	14	42	46
280	70	57	32	55	66	54	54	51	46	49	54
320	80	64	38	59	61	58	41	55	11	53	37
360	90	65	51	63	61	62	34	58	82	56	62
400	100	73	70	71	56	70	14	66	17	63	70

Monendi sunt lectores nummorum pondus post Augusti tempora paulatim imminutum fuisse, ut constat ex denariorum et aureorum pondere qui Caesarum effigiem prae se ferunt. Etenim inveni medium denarii pondus, granis gallicis expressum, imperante Augusto, 71, 2; Tiberio, 69, 8; Caio Caesare, 70; 4; Claudio, 69, 25; Nerone, 65, 83; Galbâ, 63, 8; Othone, 62, 8; Vitellio, 63, 4; Vespasiano, 45, 63; Tito, 63, 1; Domitiano, 63, 8. Sumens igitur unam marcam (selibram, = 4608 gran. = 244 gramm. 753) gallicam argenti puri, 53 fr. 60 cent. efficere; positâque argenti in denariis integritate = 0, 96, hanc tabulam praefixi, pro sestertiis et denariis ad monetam gallicam reducendis.

Quod ad aurei pretium attinet, quum hic nummus semper viginti quinque denarios valuerit, supervacuum duxi, ad eius pretium in nostram pecuniam convertendum, singularem tabulam construere.

TABVLA III.

DE PONDERIBVS ET NVMMIS ATHENIENSIVM IN MENSVRAS GALLICAS RECENTIORES CONVERTENDIS.

DRACHMAE.	MINAE.	TALENTA.	PONDVS.			PRETIVM.	
				Grammata.		Franc.	Cent.
1	.....	......	...	4	36	»	92
2	.....	......	...	8	72	1	83
3	.....	......	...	13	08	2	75
4	.....	......	...	17	45	3	66
5	.....	......	...	21	81	4	58
6	.....	......	...	26	17	5	50
7	.....	......	...	30	53	6	41
8	.....	......	...	34	90	7	33
9	.....	......	...	39	26	8	25
10	.....	......	...	43	62	9	16
aureus 20	.....	......	...	87	25	18	33
30	.....	......	...	130	87	27	49
40	.....	......	...	174	50	36	66
50	.....	......	...	218	12	45	83
60	.....	......	...	261	75	55	»
70	.....	......	...	305	37	64	16
80	.....	......	...	349	10	73	33
90	.....	......	...	392	62	82	50
100	1	......	...	436	25	91	66
200	2	......	Kil.	872	50	183	33
300	3	......	1	308		274	90
400	4	......	1	745		366	66
500	5	......	2	181		458	33
600	6	......	2	617		550	»
700	7	......	3	054		641	66
800	8	......	3	491		733	33
900	9	......	3	926		825	»
1,000	10	......	4	362		916	66
2,000	20	......	8	723		1,833	33
3,000	30	......	13	087		2,749	»
4,000	40	......	17	45		3,666	66
5,000	50	......	21	812		4,583	33
6,000	60	1	26	175		5,500	»
12,000	120	2	52	350		11,000	»
18,000	180	3	78	525		16,500	»
24,000	240	4	104	700		22,000	»
30,000	300	5	130	875		27,500	»
36,000	360	6	157	50		33,000	»
42,000	420	7	183	225		38,500	»
48,000	480	8	209	4		44,000	»
54,000	540	9	235	575		49,500	»
60,000	600	10	261	75		55,000	»

TABVLA IV.

MENSVRAE ROMANAE INTERVALLORVM IN GALLICAS MENSVRAS RECENTIORES CONVERSAE.

Vncia.								Kil.	Met.	Millim.
1	Palmus									
3	1	Pes								
12	4	1	Cubitus						0	295
18	6	1 ½	1	Passus					0	442
60	20	5	3 ⅓	1	Decempeda*				1	475
120	40	10	6 ⅔	2	1	Actus			2	950
1,441	480	120	80	24	12	1	Milliarium		364	
60,000	20,000	5,000	3,333 ⅓	1,000	500	41 ⅓	1	1	475	
							2	2	950	
							3	4	425	
							4	5	900	
							5	7	375	
							6	8	850	
							7	10	325	
							8	11	790	
							9	13	275	
							10	14	750	

Mensuras intervallorum ac superficierum Romanis usitatas, in duas tabulas distributurus, singulas rationes ad mediam pedis romani magnitudinem exegi, qualem, consultis omnibus fere monumentis, fuisse constat.

* Qua mensura in areis quadratis dimetiendis Romani utebantur.



TABULA V.

SVPERFICIERVM ROMANAE MENSVRAE IN MENSVRAS GALLICAS RECENTIORES CONVERSAE.

Pedes rom. quadrati.	Scripulum sive decemp. quadrata.							Hectar.	Ar.	Metr.
400	1	Clima sive duella . . .								8
3,600	36	1	Actus sive semis . . .						3	8
14,400	144	4	1	Iugerum . . .					42	34
28,800	188	8	2	1	Heredium . . .				24	68
57,600	576	16	4	2	1	Centuria . . .			49	36
				4	2	. . .	Saltus . . .		98	72
				6	3	. . .	. . .	1	48	8
				8	4	. . .	. . .	1	97	44
				10	5	. . .	. . .	2	46	80
				12	6	. . .	. . .	2	96	16
				14	7	. . .	. . .	3	45	52
				16	8	. . .	. . .	3	94	88
				18	9	. . .	. . .	4	44	24
				20	10	. . .	. . .	4	93	60
				200	100	1	. . .	49	36	60
				800	400	4	1	197	44	

Vnitas quadratorum erat *iugerum*, in quo partiendo recurrit distributio assis in uncias et unciarum partes. Iugerum, 240 pedes longum, 120 latum, continebat 28,800 pedes quadratos.

TABVLA VI.

INTERVALLORVM MENSVRAE ATTICAE IN MENSVRAS GALLICAS RECENTIORES CONVERSAE.

Digitus.								Kilom.	Metr.	Millim.
1	Palmus									49
4	1	Pes								77
16	4	1	Cubitus							307
24	6	1 ½	1	Orgyia						461
96	24	6	4	1	Plethrum				1	843
1,600	400	100	66 ⅔	16 ⅔	1	Stadium			30	729
9.600	2,400	600	400	100	6	1	. . . . .		184	375
						2	. . . . .		368	750
						3	. . . . .		553	125
						4	. . . . .		737	500
						5	. . . . .		921	875
						6	. . . . .	1	106	250
						7	. . . . .	1	290	625
				Milliarium romanum.		8	. . . . .	1	475	
						9	. . . . .	1	660	
						10	. . . . .	1	844	

Pedis ratio apud Graecos et Romanos ponitur a scriptoribus antiquis : : 25: 24. Sumpto igitur romano pede = 0m 295, pes graecus erit = 0m 30729.

TABVLA VII.

MENSVRAE CAVAE ROMANORVM MENSVRIS GALLICIS RECENTIORIBVS EXPRESSAE.

Ligula.												Hectol.	Litr.	Decil.	Centil.	
1	Cyathus														1	14
4	1	Acetabulum													4	58
6	1½	1	Quartarius												6	87
12	3	2	1	Hemina										1	3	75
24	6	4	2	1	Sextarius									2	7	5
48	12	8	4	2	1	Congius								5	5	
288	72	48	24	12	6	1	Semodius						3	3		
384	96	64	32	16	8	1⅓	1	Modius.					4	4		
768	192	128	64	32	16	2⅔	2	1	Vrna				8	8		
1,152	288	192	96	48	24	4	3	1½	1	Amphora			13	2		
2,304	578	384	192	96	48	8	6	3	2	1	Culeus.		26	3	9	9
46,080	11,520	7,680	3,840	1,920	960	160	120	60	40	10	...	2	64			
										20	1	5	28			
										30	...	7	92			
										40	2	10	56			
										50	...	13	20			
										60	3	15	84			
										70	...	18	8			
										80	4	21	12			
										90	...	23	76			
										100	5	26	39	9	5	

Vnitas mensurarum cavarum apud Romanos erat amphora, quam antea *Quadrantal* vocabant, ut quae cubum quovis latere pedalem repleret. Eius pondus, teste Festo, octoginta libris vini aequale erat; quod efficit (posita vini gravitate = 0,9915) 26lit. 3995.

TABVLA VIII.

MENSVRAE CAVAE ATHENIENSIVM MENSVRIS GALLICIS RECENTIORIBVS EXPRESSAE.

Κοτύλη	Ξέστης	Χοῖνιξ	Χοῦς	Ημίεκτον	Εκτεύς	Αμφορεύς	Μετρητής	Μέδιμνος	Hectol.	Lit.	Decil.	Centil.
1											2	75
2	1										5	5
4	2	1								1	1	
12	6	3	1							3	2	9
16	8	4	1 ⅓	1						4	4	
32	16	8	2 ⅔	2	1					8	8	
96	48	24	8	6	3	1				26	4	
144	72	36	12	9	4 ½	1 ½	1			39	6	
288	96	48	16	12	6	2	1 ⅓	1		52	8	
					12	4	2 ⅔	2	1	5	6	
					18	6	4	3	1	58	4	
					24	8	5 ⅓	4	2	11	2	
					30	10	6 ⅔	5	2	64		
					36	12	8	6	3	16	8	
					42	14	9 ⅓	7	3	69	6	
					48	16	10 ⅔	8	4	22	4	
					54	18	12	9	4	75	2	
					60	20	13 ⅓	10	5	28		

Mensurarum cavarum norma apud Graecos erat *μέδιμνος*, frumento metiendo maxime destinatus. Medimnum vero Atticum sex modios Romanos continuisse, liquido constat ex scriptorum veterum testimoniis:

Αμφορεύς igitur amphoram aequabat.
Εκτεύς, modium. —
Χοῦς, congium. —
Χοῖνιξ, semisextarium. —
Ξέστης, sextarium. —
Κοτύλη, heminam. — Cf. Tab. VII.



TABVLA RERVM

QVAE IN HOC PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

Praefatio Editoris . . . . Pag. v
Ad Lectores Th. Farnabius 1
Vita M. Val. Martialis 7
De M. Val. Martialis ingenio et operibus dissertatio . . . 15
Testimonia et iudicia in eumdem 35
Recensus editionum M. Val. Martialis 41
De Metris Martialis 58
Index lemmatum alphabeticus 69

M. VAL. MARTIALIS LIBELLVS DE SPECTACVLIS.

1. In Amphitheatrum Caesaris . . . . Pag. 105
2. In Opera publica Caesaris 107
3. De Gentium confluxu et congratulatione 109
4. Ad Caesarem, quod expulerit delatores 111
4.* Ad populum Romanum de iisdem delatoribus . . . 112
5. De Pasiphaes spectaculo 113
6. De feminarum pugna cum bestiis 113
6.* De eadem 114
7. De damnato quodam supplicium Laureoli vere repraesentante 114
8. De fabula Daedali 116
9. De rhinocerote 116
10. De leone qui gubernatorem offendit 117
11. De urso 118
12. De sue quae ex vulnere peperit 119
13. De eadem 120
14. De eadem 120
15. De Carpophoro venatore 121
16. De Hercule insidente tauro ad caelum rapto 122
17. De supplice elephante 123
18. De tigride cicure ad feritatem subito reversa viso leone 124
19. De tauro et elephante 125
20. De pari gladiatorum 125
21. De spectaculo Orphei 126
22. De rhinocerote 127
23. De Carpophoro 128
24. De Naumachia 129
25. De Leandri spectaculo 129

25* De Leandro . . . . Pag. 130
26. De natatoribus 130
27. De Carpophoro 131
28. De naumachia et diversis spectaculis in aqua exhibitis . 132
29. De Prisco et Vero gladiatoribus 134
30. Ad Caesarem 135
31. Alterum 135
32. De dama et canibus 135
33. Aliud, apud antiquum Iuvenalis scholiasten 136

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATVM LIBER I.

Epistola ad lectorem 137
1. Ad Catonem 139
2. Ad lectorem 139
3. Ad lectorem, ubi libri venales 140
4. Ad librum suum, iu lucem prodire gestientem . . . 141
5. Ad Caesarem 142
6. Respondet Martiali Imperator 143
7. De leone Caesaris 143
8. Ad Maximum, de colnmba Stellae 144
9. Deciani dogma laudat 144
10. In Cottam 145
11. De Gemello et Maronilla 145
12. Ad Sextilianum potorem 146
13. De Regulo, porticus ruina non oppresso 146
14. De Arria et Paeto 148
15. Ludus leonis cum lepore in arena 148
16. Ad Iulium 149
17. Ad Avitum, de suis epigrammatis 150
18. Ad Titum 150
19. Ad Tuccam 150
20. Ad Aeliam 151
21. Ad Caecilianum 151
22. De Porsena, et Mucio Scaevola 152
23. De leone et lepore 153
24. Ad Cottam 153
25. Ad Decianum 154
26. Ad Faustinum 154
27. Ad Sextilianum 155
28. Ad Procillum, convivam nimis memorem 156
29. De Acerra 157
30. Ad Fidentinum, plagiarium 157
31. De Diaulo medico 157
32. De Encolpo, puero Pudentis 158
33. Ad Sabidium 159
34. De Gellia 159
35. Ad Lesbiam 159

36. Ad Cornelium . . . . pag. 160
37. Ad Lucanum et Tullum 161
38. Ad Bassam 162
39. Ad Fidentinum 162
40. De Deciano 162
41. In Invidum 163
42. In Caecilium 163
43. De Porcia uxore Bruti 165
44. In Mancinum, avarum convivatorem 166
45. Ad Stellam 167
46. De libro suo 168
47. Ad Hedylum 168
48. De Diaulo medico 169
49. De leone et lepore 169
50. Licinianum in Hispaniam proficiscentem ad vitam rusticam et genialem hortatur 170
51. Iocus ex Homero in cocum 174
52. Ad leporem 174
53. Quintianum facit assertorem 175
54. Ad Fidentinum, plagiarium 177
55. Ad Fuscum 178
56. Ad Frontonem, de voto vitae suae 179
57. Ad Cauponem 180
58. Ad Flaccum 180
59. De pueri pretio 181
60. Ad Flaccum de sportula 181
61. De lepore et leone 182
62. Ad Licinianum, scriptorem unde 182
63. De Laevina casta, et ad Baias adultera . . . 184
64. Ad Celerem 184
65. Ad Fabullam sui laudatricem 184
66. Ad Caecilianum, de genere et declinatione ficus . . . 185
67. Ad Furem de libro suo 185
68. Ad Choerilum 188
69. De Rufo 188
70. Ad Maximum 189
71. Ad librum 189
72. Ad Somnum 191
73. Ad Fidentinum 191
74. Ad Caecilianum 192
75. Ad Paullam 193
76. De Lino 193
77. Ad Flaccum 193
78. De Charino 195
79. De Festo 196
80. Ad Attalum, Ardelionem 197
81. Ad Canum 197
82. Ad Sosibianum 198

83. De Regulo 198
84. De Manneia 199
85. De Quirinali 199
86. In praeconem stolide facetum 200
87. Vicinus non vicinus 200
88. Ad Fescenniam potricem 201
89. Epitaphium Alcimi pueri 202
90. Ad Cinnam 204
91. Ad Bassam tribadem 204
92. Ad Laelium, obtrectatorem 205
93. Ad Mamurianum 205
94. De Aquino et Fabricio 206
95. Ad Aeglen fellatricem 208
96. Ad Helium, rabulam 208
97. Ad Scazontem, de fellatore 208
98. Ad Naevolum causidicum 210
99. Ad Flaccum 210
100. Ad Calenum avarum 211
101. De Afra vetula 212
102. De Demetrii servi morte 212
103. Ad Lycorim 213
104. Ad Scaevolam 214
105 De spectaculo 215
206. Ad Ovidium 217
107. Ad Rufum 217
108. Ad Lucium Iulium 218
109. Ad Gallum 219
110. De Catella Publii et pictura eiusdem 221
111. Ad Velocem 222
112. Ad Regulum 222
113. In Priscum 223
114. Ad lectorem, ubi libri sui venales 223
115. Ad Faustinum 224
116. In Procillum 225
117. De Agro in Antullae eiusque familiae sepulcrum reposito 225
118. In Lupercum 226
119. Ad Caecilianum 228

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATVM LIBER II.

Martialis Deciano svo s. . . . . Pag. 229
1. Ad librum suum 231
2. Ad Caesarem Domitianum 232
3. Ad Sextum 233
4. In Ammianum 233
5. Ad Decianum 234
6. Ad Severum 234

7. Ad Attalum . . . . Pag. 236
8. Ad lectorem 237
9. De Naevia 238
10. In Posthumum 239
11. Ad Rufum de Selio coenipeta 238
12. In Posthumum 239
13. Ad Sextum 240
14. Ad Paulinum de Selio coenipeta 240
15. In Hermum, male olentem 242
16. In Zoilum, aegrum se simulantem 243
17. Ad Ammianum, de tonstrice moecha et avara 244
18. In Maximum 245
19. Ad Zoilum 246
20. De Paullo 246
21. In Posthumum 246
22. Ad Apollinem de eodem 247
23. De eodem 247
24. In Candidum 247
25. Ad Gallam 248
26. Ad Bithynicum 249
27. De Selio coenipeta 249
28. In Sextillum 250
29. Ad Rufum 250
30. In Caium, avarum amicum 253
31. Ad Marianum 253
32. In Ponticum, patronum inutilem 254
33. In Philaenium 254
34. In Gallam anum luxuriosam 255
35. Ad Phoebum, varum 255
36. Ad Pannicum 256
37. In raptorem coenae Caecilianum 257
38. In Linum 258
39. De muneribus ad moecham missis 258
40. De Tongilio morbum simulante 258
41. In Maximinam 260
42. In Zoilum 262
43. In Candidum 263
44. In Sextum 265
45. Ad Glyptum 266
46. In Naevolum 266
47. In Gallum 268
48. Ad Rufum 269
49. De Thelesina 270
50. In Lesbiam 270
51. In Hyllum 270
52. De Dasio 271
53. In Maximum 271
54. In Linum 272

55. Ad Sextum . . . . Pag. 271
56. Ad Gallum, de eius uxore 273
57. In fictum divitem 273
58. In Zoilum 275
59. De coenatione micae 275
60. In Hyllum 277
61. In maledicum 277
62. In Labienum 278
63. In Milichum 278
64. In Teurum 279
65. In Saleianum 280
66. In Lalagen 281
67. In Posthumum 282
68. Ad Olum 282
69. In Classicum 284
70. In Cotilum 284
71. Ad Caecilianum 285
72. In Posthumum 286
73. In Lyrim 286
74. In Saufeium, fictum divitem 287
75. De leone cicure, ad feritatem reverso 288
76. De Mario 288
77. In Cosconium 289
78. Ad Caecilianum 290
79. In Nasicam 290
80. De Fannio 291
81. In Zoilum 291
82. Ad Ponticum 292
83. In saevum maritum 292
84. In Sertorium 293
85. Ad amicum 293
86. Ad Classicum 294
87. In Sextum 297
88. In Mamercum 297
89. In Gaurum 297
90. Ad Qintilienum 298
91. Ad Caesarem Domitienum 299
92. Ad Vxorem 300
93. Ad Regulum 301

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATVM LIBER III.

1. Ad lectorem, de libro gallicano . . . . Pag. 302
2. Ad librum suum 303
3. In mulierem deformem 304
4. Ad librum suum 304

5. Ad eumdem . . . . Pag. 305
6. Ad Marcellinum 307
7. De edicto Domitiani coenas rectas revocante 307
8. In Quintum 309
9. In Cinnam 309
10. In Philomusum 309
11. Ad Quintum 310
12. In Fabullum, avarum convivatorem 311
13. In Naeviam, avaram convivatricem 312
14. De Tuccio 312
15. De Codro 313
16. In cerdonem 313
17. In Sabidium 314
18. In Maximum 315
19. De vipera in ore ursae 315
20. De Canio 316
21. In crudelem dominum 318
22. De Apicio 319
23. In avarum invitatorem 320
24. De haruspice hernioso 320
25. Ad Faustinum, de Sabineo rhetore frigido 321
26. In Candidum 321
27. In Gallum 322
28. In Nestorem 323
29. In servum equitem factum 323
30. Ad Gargilianum, clientem egenum 324
31. Ad Rufinum, divitem arrogantem 324
32. In Matriniam 325
33. Qualem puellam velit 326
34. Ad Chionem 326
35. De piscibus sculptis 326
36. In Fabianum, arrogantem patronum 327
37. In irascentes amicos 328
38. Ad Sextum 328
39. De Lycori 329
40. In Thelesinum 329
41. In lacertam caelatam 330
42. In Pollam 330
43. In Lentinum 331
44. In Ligurinum 331
45. De eodem 332
46. Ad Candidum 333
47. De Basso 334
48. De Olla 336
49. In invitatorem 337
50. In Ligurinum 337
51. Ad Gallam 338
52. Ad Tongilianum, de utili incendio 339

53. Ad Chloën . . . . Pag. 339
54. Ad Gallam 339
55. In Gelliam 340
56. De cisterna ravennate 340
57. De caupone 341
58. De villa Faustini, ad Bassum 341
59. De sutore at fullona, munerariis 347
60. In Ponticum 347
61. In Cinnam 348
62. In Quintum 348
63. In Cotilum 349
64. Ad Cassianum, de Canio 351
65. Ad Diadumenum puerum 352
66. In M. Antonium 354
67. De pigria nautia 355
68. Ad Matronam pudicam 357
69. Ad Cosconium 358
70. Ad Cervinum 359
71. In Naevolum 359
72. Ad Laufeiam 359
73. In Phoebum 360
74. In Gargilianum 360
75. In Lupercum 361
76. In Bassum 362
77. In Baeticum 362
78. Ad Paulinum 363
79. Ad Sertorium 363
80. Ad Apicium 364
81. In Baeticum 364
82. In Zoilum 364
83. In Coelitem 368
84. In Tongilionem 368
85. Ad Maritum 368
86. Ad castam matronem 369
87. In Chionem 369
88. In fratres fellatores 369
89. Ad Phoebum 370
90. De Galla 370
91. De Misitio, et Achilla 370
92. Ad Gallum 371
93. In Vetustillam 372
94. In Rufum 374
95. In Naevolum 375
96. In Gargilium 376
97. Ad Rufum 377
98. In Sabellum 377
99. Ad cerdonem 377
100. Ad Rufum 378

LIBER IV.

1. De natali Domitiani . . . . Pag. 379
2 De Horatio 381
3. De nivibus 382
4. In Bassam 384
5. Ad Fabianum 386
6. In Malisianum 388
7. Ad Hyllum 388
8. Ad Euphemum 389
9. In Fabullam 390
10. Ad Faustinum 391
11. In Ant. Saturninum 392
12. In Thaidem 393
13. Ad Rufum, de nuptiis Pudentis et Claudiae Peregrinae . 393
14. Ad Silium 395
15. Ad Caecilianum 397
16. In Gallum 397
17. Ad Paulum 398
18. De puero per stiriam cadentem iugulato 398
19. De endromide 399
20. De Caerellia et Gellia 402
21. De Selio 402
22. De Cleopatra uxore 403
23. Ad Thaliam, de Brutiano 403
24. De Lycori, ad Fabianum 405
25. De litoribus Altini et Aquileia 405
26. Ad Posthumum 406
27. Ad Caesarem Augustum Domitianum 407
28. Ad Chloën 408
29. Ad Pudentem 409
30. Ad piscatorem 410
31. Ad Hippodamum 412
32. De ape electro inclusa 413
33. Ad Sosibianum 414
34. Ad Attalum 414
35. De pugna damarum 414
36. Ad Olum 415
37. Ad Afrum 415
38. Ad Gallam 416
39. Ad Charinum 416
40. Ad Posthumum 418
41. In male recitantem 419
42. Ad Flaccum 419
43. In Coracinum 421
44. De Vesuvio monte 422
45. Votum Parthenii ad Phoebum pro Burro filio 423
46. De Sabello 425

47. De Phaëthonte . . . . Pag. 427
48. In Papilum 428
49. Ad Flaccum 428
50. In Thaidem 429
51. Ad Caecilianum 430
52. In Hedylum 430
53. Ad Cosmum 431
54. Ad Colinum 432
55. Ad Lucium 434
56. In Gargilianum 437
57. Ad Faustinum 438
58. In Gallam 439
59. De vipera electro inclusa 440
60. De Curiatio 441
61. In Mancinum 442
62. De Lycori 444
63. De Caerellia 444
64. De hortis Iulii Martialis 445
65. De Philaeni 449
66. Ad Linum 449
67. In praetorem 452
68. Ad Sextum 453
69. Ad Pamphilum 454
70. De Ammiano ad Maronillum 454
71. Ad Sophronium Rufum 455
72. Ad Quintum 456
73. De Vestino 456
74. De Damis 457
75. De Nigrina 457
76. In avarum amicum 458
77. In Zoilum invidum 459
78. In Varum 459
79. In Afrum 460
80. Ad Mathonem 461
81. In Mathonem 461
82. De Fabulla 462
83. Ad Rufum 462
84. In Naevolum 463
85. In Thaidem 464
86. In Ponticum 465
87. Ad librum suum de Apollinari 465
88. De Bassa 467
89. In avarum amicum munera a se accepta dissimulantem 467
90. De rusticatione 469
91. Ad librum 470

LIBER V.

1. Ad Caesarem . . . . . Pag. 472
2. Ad Lectores 474
3. Ad Domitianum 474
4. Ad Paulum de Myrtale 475
5. Ad Sextum 475
6. Ad Musas: vel librum commendat Parthenio 476
7. Ad Volcanum 478
8. De Phaside 479
9. In Symmachum 480
10. Ad Regulum, de fama poëtarum 481
11. De Stella 482
12. De eodem 483
13. In Callistratum 484
14. De Nanneio 485
15. Ad Caesarem Domitianum 486
16. Ad lectorem 486
17. In Galliam 488
18. Ad Quintianum 489
19. Ad Caesarem Domitianum 490
20. Ad Iulium Martialem 493
21. De Apollonio 494
22. In Paullum 494
23. Ad Bassum 496
24. De Hermete 497
25. De Chaerestrato 499
26. Ad Codrum 500
27. In fictum Equitem 501
28. Ad Aulum, de Mamerco 501
29. Ad Gelliam 502
30. Ad Varronem 503
31. De ludo puerorum cum iuvencis 504
32. Ad Faustinum, de Crispo 505
33. In Causidicum 505
34. Epitaphium Erotii ad Frontonem parentem 506
35. De Euclide 507
36. Ad Faustinum 508
37. De Erotio puella 508
38. In Calliodorum 511
39. In Carinum 512
40. Ad Artemidorum 513
41. In Didymum 514
42. Amicis quod datur, non perire 515
43. De Thaide et Lecania 515
44. In Dentonem 516
45. In Bassam 516
46. Ad Diadumenum 517

47. De Philone . . . . Pag. 517
48. De Encolpo 517
49. Ad Labienum 518
50. In Charopinum 520
51. Ad Rufum 520
52. In Posthumum 522
53. Ad Bassum 522
54. De Rhetore Apollonio 523
55. De Aquila portante Iovem 523
56. Ad Lupum 524
57. Ad Cinnam 525
58. Ad Posthumum 525
59. Ad Stellam 526
60. Ad Detractorem 526
61. In Marianum 527
62. Ad Hospites 528
63. Ad Ponticum 529
64. Ad suos ministros 530
65. Ad Caesarem 531
66. In Pontilianum 533
67. De hirundine 533
68. Ad Lesbiam 534
69. In M. Antonium 535
70. De Syrisco, ad Maximum 536
71. Ad Faustinum 537
72. Ad Rufum, de origine Bacchi 537
73. Ad Theodorum 538
74. De Pompeio et filiis 538
75. Ad Quintum 538
76. Ad Cinnam 539
77. Ad Marullum 539
78. Ad Turanium 540
79. In Zoilum 543
80. Ad Severum 543
81. Ad Aemilianum 544
82. In Gaurum 545
83. Ad Dindymum 545
84. Ad Gallam 546

LIBER VI.

1. Ad Iulium Martialem . . . . Pag. 548
2. Ad Caesarem Domitianum 548
3. De filio Domitiani 549
4. Adulatorium 550
5. Ad Caecilianum 551
6. Ad Lupercum 551
7. De Thelesina 551

8. Ad Severum . . . . Pag. 552
9. Ad Laevinum 353
10. Petit latenter a Domitiano pecuniam 553
11. In Marcum 554
12. De Fabulla 555
13. De statua Iuliae 555
14. In Laberium 556
15. De Formica succino inclusa 557
16. Ad Priapum 557
17. In Cinnamum 557
18. Epitaphium Salonini, ad Priscum 558
19. In Posthumum causidicum 558
20. In Phoebum 559
21. De Stella et Ianthide 560
22. In Proculinam 661
23. In Lesbiam 561
24. De Charisiano 561
25. Ad Marcellinum 562
26. De Sotade 562
27. Ad Nepotem 563
28. Epitaphium Glauciae 564
29. De eodem 564
30. In Paetum 566
31. In Charidemum 566
32. De morte Othonis 566
33. In Sabellum 567
34. Ad Diadumenum 568
35. Ad Caecilianum 568
36. Ad Papilum 570
37. In Charinum 570
38. De filio Reguli 570
39. In Cinnam 571
40. Ad Lycorim 573
41. In raucum poëtam 573
42. De Etrusci thermis, ad Oppianum 573
43. Ad Castricum 576
44. In Calliodorum 577
45. In nuptias Lygdi et lectoriae 577
46. Ad Catianum 577
47. Ad Ianthida Nympham 578
48. In Pomponium 579
49. De se Priapus 579
50. De Thelesino 580
51. Ad Lupercum 580
52. Epitaphium Pantagathi tonsoris 581
53. De Andragora 581
54. De Sextiliano 581
55. In Coracinum 582

56. In Charidemum . . . . Pag. 582
57. In Phoebum 583
58. Ad Aulum Pudentem 583
59. In Baccaram 584
60. De Pompillo, ad Faustinum 585
61. In invidum 586
62. Ad Oppianum 586
63. Ad Marianum 586
64. In Detractorem 587
65. Ad Tuccam 589
66. De praecone puellam vendente 590
67. Ad Pannicum de Gellia uxore 590
68. De morte Eutychi pueri 591
69. De Bassa 591
70. De Martianum 592
71. De Telethusa 592
72. De Cilice fure 593
73. De Priapo Hilari 594
74. Ad Esculanum 594
75. In Pontiam 595
76. Epitaphium Fusci 595
77. In Afrum 596
78. Ad Aulum, de Phryge lusco 597
79. Ad Lupum 598
80. Ad Caesarem de rosis hibernis 598
81. In Charidemum 599
82. Ad Rufum 599
83. Ad Caesarem Domitianum 600
84. De Philippo 601
85. In mortem Rufi Camonii 601
86. In bibentes aquam calidam 602
87. Ad Caesarem 603
88. Ad Caecilianum 603
89. De Panareto potore 604
90. De Gellia 604
91. In Zoilum 604
92. In Ammianum 605
93. De Thaide 605
94. De Calpetiano 606

LIBER VII.

1. Ad Domitianum, de lorica . . . . Pag. 607
2. Ad ipsam loricam 608
3. Ad Pontilianum 609
4. De Oppiano 609
5. Ad Caesarem Domitianum 609
6. De fama reditus Domitiani 610

7. Ad Caesarem Domitianum . . . . Pag. 611
8. De reditu Domitiani 612
9. De Cascelio 613
10. In Olum 614
11. Ad Aulum Pudentem 615
12. Ad Faustinum 615
13. De Lycoride 616
14. Ad Aulum, de luctu suae puellae 616
15. Ad Arginum puerum Ianthidos 617
16. Ad Regulum 617
17. Ad bibliothecam Iulii Martialis 618
18. In Gallam 618
19 De fragmento Argus 619
20. In Sanctram 620
21. De natali Lucani 622
22. De eodem 622
23. De eodem, ad Phoebum 622
24. In maledicum 623
25. In malum poëtam 623
26. Scazonta mittit ad Apollinarem 624
27. De apro sibi a Dextro misso 625
28. Ad Fuscum 626
29. Ad Testilum puerum 627
30. In Caeliam 628
31. Ad Regulum 628
32. Ad Atticum 629
33. In Cinnam 630
34. Ad Severum, de Charino 631
35. Ad Lecaniam 632
36. Ad Stellam 632
37. Ad Castricum, de thata 633
38. Ad Polyphemum 633
39. De Caelio 634
40. Epitaphium patris Etrusci 634
41. Ad Sempronium Tuccam 635
42. Ad Castricum 635
43. In Cinnam 636
44. De imagine Maximi Caesonii, ad Q. Ovidium 636
45. De eadem 637
46. Ad Priscum 638
47. Ad Liciuium Suram 638
48. Ad Annium 639
49. Ad Severum 640
50. Ad fontem Ianthidos 640
51. Ad Vrbicum 640
52. Ad Auctum 641
53. In Vmbrum 642
54. In Nasidienum 643

55. In Chrestum . . . . Pag. 643
56. Ad Rabirium 644
57. De Achilla 645
58. Ad Gallam 645
59. De Caeciliano 646
60. Ad Iovem Capitolinum 646
61. Ad Caesarem Germanicum 646
62. In Amillum 647
63. De Silio Italico 648
64. In Cinnamum 649
65. In Gargilianum 650
66. De Labieno 650
67. In Philaenim 650
68. Ad Instantium Rufum 651
69. De Theophila ad Canium 652
70. In Philaenim 652
71. De familia Ficosa 653
72. Ad Paullum 653
73. Ad Maximum 654
74. Pro Caro et Norbana votum 655
75. In anum deformem 655
76. Ad Philomusum 656
77. In Tuccam 656
78. In Papilum 656
79. Ad Severum 657
80. Ad Faustinum, ut libellos suos Marcellino mittat . . . 657
81. Ad Lausum 658
82. De Menophilo 658
83. De Eutrapelo 659
84. Ad librum 659
85. Ad Sabellum 660
86. In Sextum 660
87. De se 661
88. De suis libris 662
89. Apollinari mittit coronam roseam 662
90. Ad Creticum 663
91. Ad Iuvenalem 663
92. In Baccaram 664
93. Ad Narniam 664
94. De Papilo 665
95. In Linum 665
96. Epitaphium Vrbici pueri 666
97. Ad librum suum de Caesio Sabino 667
98. Ad Castorem 668
99. Ad Crispinum 668
100. Ad Ponticum 669
101. De vetula 669
102. De Milone 669

LIBER VIII.

IMPERATORI DOMITIANO CAESARI AVGVSTO, GERMANICO, DACICO,
VALERIVS MARTIALIS SALVTEM . . . . Pag. 670
1. Ad librum suum 671
2. Ad Ianum 672
3. Ad Musam 672
4. Ad Caesarem Domitianum, vel, ut alii, Germanicum . 674
5. Ad Macrum 674
6. In Euctum 674
7. In Cinnam 676
8. Ad Ianum de reditu Caesaris 676
9. Ad Quintum de Hyla 677
10. De Basso 677
11. Ad Caesarem Domitianum 678
12. Ad Priscum 679
13. Ad Gargilianum 679
14. In crudelem amicum 680
15. Ad Domitianum 680
16. In Ciperum 681
17. Ad Sextum 682
18. Ad Cirinium 682
19. De Cinna 683
20. Ad Varum 683
21. Ad Luciferum, vel in adventum Caesaris 684
22. In Gallicum 684
23. Ad Rusticum 685
24. Ad Caesarem Domitianum 685
25. In Oppianum 685
26. Ad Caesarem Domitianum . . . . 686.
27. Ad Gaurum 686
28. De Partheniana toga 687
29. De distichis 689
30. De spectaculo Scaevolae 689
31. In Dentonem 690
32. De columba Aretullae 691
33. Ad Paulum, de Phiala 691
34. In Iactatorem 693
35. In pessimos coniuges 693
36. Ad Caesarem Domitianum 694
37. Ad Polycharmum 695
38. Ad Meliorem 695
39. Ad Domitianum 696
40. Ad Priapum 696
41. Ad Faustinum 697
42. Ad Mathonem 697
43. In Fabium et Chrestillam 697
44. Ad Titullum 698

45. Ad Flaccum de reditu P. Terentii . . . . : . . Pag. 699
46. Ad Cestum puerum 699
47. In varie se tondentem 700
48. De abolla Crispini 700
49. De Aspro 701
50. Ad Caesarem Domitianum 701
51. De phiala Instantii Rufi 702
52. Ad Ceditianum 704
53. In Catullam 705
54. Ad Caesarem Domitianum 705
55. Ad eumdem, de leone 706
56. Ad Flaccum 707
57. De Picente 709
58. In Artemidorum 709
59. In luscum furem 709
60. In Claudiam 710
61. Ad Severum, de Carino 711
62. De Picente 711
63. De Aulo 711
64. In Clytum 712
65. Ad Domitianum 713
66. De consulatu Silli 714
67. In Caecilianum 715
68. Ad Entellum 716
69. In Vacerram 717
70. De Nerva 717
71. In Postumianum 718
72. Ad librum suum 719
73. Ad Instantium 720
74. In malum medicum 720
75. De Gallo lingono 721
76. In Gallicum 722
77. Ad liberum amicum 723
78 De ludis Stellae 723
79. In Fabullam 725
80. Ad Domitianum 725
81. De Gellia 726
82. Ad Domitianum 727
Tabulae octo nummorum, ponderum, mensurarum, apud Romanos et Graecos 729

FINIS PRIMI VOLVMINIS.

Facultate obtenta.





